




3 1761 08097240 9






BEQUEST OF  
REV. CANON SCADDING, D. D.  
TORONTO, 1901.









~~112~~  
**L. ANNAEI SENECAE**

3068  
**OPERA**

**DEPARTMENTAL LIBRARY.**

**QUAE SUPERSUNT.**

RECOGNOVIT ET RERUM INDICEM LOCUPLETISSIMUM  
ADIECIT

**FRIDERICUS HAASE**

PROF. VRATISLAV

**VOL. I.**



117/06  
—  
70592

LIPSIAE

SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLII.

11  
2.50  
11

6661

LIBRARY

PA  
6661  
A2  
1852  
V.1-2

11/11/11  
- 6661 -

## FRID. HAASII PRAEFATIO.

**L.** Annaei Senecae libri quamquam multum lecti nec raro editi sunt, tamen dici non potest, quot vitiis, quot interpolationibus obsessi fuerint, donec nuper admodum strenua Fickerti opera novam paene faciem induerunt, quae ad veram ac genuinam prope accedat: comparatis enim ille et editionibus prioribus paene omnibus et excussis permultis libris mss., inter quos etiam praestantissimos quosdam nactus est, reliquisque, si qua erant, auxiliis adhibitis facere potuit, quod nemo ante eum, ut non aliquot locis passim aliquid melius quaereret, sed exploraret ubique, quid verum esset. Quod qua prudentia, qua diligentia perfecit, nolo nunc in amico vetere laudibus celebrare, id quod et alii fecerunt ante me et facient semper quicumque accurate cognoscere volent, quid quoque loco Senecam scripsisse verisimile sit. Neque tamen credendum est, nihil fere Fickertum ex iis reliqui fecisse, quae in philosophi disertissimi libris philologorum studia exspectabant; nam ut illa omitam, quae Fickertus se pertractaturum pollicitus est volumine quarto, de quo aurem ei pervellere non desisto, ipsam etiam verborum emendationem non potuit unus homo absolvere, praesertim qui id non suscepisset. Cum enim duo haec sint arti criticae proposita, primum ut ea cuiusque libri forma reperiatur, quae codicibus mss. continetur optima et antiquissima, deinde vero ut prima illa indagetur, quae ab auctore ipso profecta est, quae quidem saepe longe discrepat a codicibus, Fickertus quidem suam diligentiam in priore illa parte continuit adeo, ut unam librorum auctoritatem secutus nonnumquam talem Senecae orationem efficeret, qualem eius non fuisse vel ipse monuit vel argumentis certis demonstrari potest. Quamobrem quid mihi consilii fuerit in nova hac editione instituenda facile intelligitur. Primum enim id egi, ut constanter sequeretur optimorum codicum fidem in iis locis omnibus, in quibus probabilem scripturam offerrent, id quod Fickertus modo sciens, modo etiam nescius et invitus non semper fecit. Deinde vero ubi librorum omnium scripturam corruptam esse intellexi, non dubitavi aut mea aliqua aut aliena coniectura opem ferre, quod ille non fere fecit nisi nimia quadam necessitate coactus. Quare accidit, ut haec nostra editio haud raro a Fickerti exemplo discedat, quod qui improbandum iudicabit, is profecto coniunctis criminibus, quae separata esse solent, nimiam simul et in sequendis



codd. superstitionem et audaciam in deserendis accusabit. Ac vellem quidem, nisi huius editionis consilium obstaret, eorum omnium, quae ego novavi, rationem reddere; nunc vero, quoniam id in aliud tempus differendum est, illud monere satis habeo, non fuisse mihi ulla librorum mss. copias nisi quas Fickertus protulit, nec causas emendationum mearum aliis rebus contineri nisi ipsius Senecae et in quaque re consilio et usu dicendi studiose observato. Non tamen credendum est tenuia haec esse et parum firma auxilia, quamquam sunt, quibus Seneca videatur adeo totus vel rerum quas tractat studio vel verborum et sententiarum nitido ornatu occupatus fuisse, ut sine consilio fere et sine ordine quae dicere vellet effunderet et artificiosae orationis flumine vagus ferretur, non autem ad certum finem firmo gradu contenderet; dicendi vero consuetudo post laudabilia H. Stephani studia adeo neglecta iacuit, ut ab eius diligente observatione quantum praesidii in emendandi negotio petere liceat, nondum sit a quoquam demonstratum. Sed de ordine quidem falsam esse vulgarem opinionem, ego tacitus nunc ipsa litterarum forma planum fecisse videor; ea enim verba, quibus argumenti summa et partes ab ipso Seneca indicantur, diductis litteris plerumque describenda curavi, ut si quis vel mediocriter attendere velit, de ordinis neglectu queri non admodum possit. Nam negari sane non potest, sicuti praeceptorem Senecae Fabianum Papirium constat aliquando in declamando philosophum fuisse, ita Senecam esse in philosophando declamatorem, qui facile se ostentandae artis occasione a re proposita abduci paulisper patiatur, ut, quod Quintilianus ait, fiat oratio eius sinuosa et accersitis descriptionibus, in quas plerumque imitatione poeticae licentiae ducuntur, lasciviat. Satis est eius rei unum insigne praeter cetera exemplum memorare e Nat. Quaest. lib. III, c. 27 sqq. ubi arrepta benigna luxurianti ingenio materia fatalem diluvii diem describit nec aemulatur modo Ovidium sed etiam artem eius examinat. Sed eiusmodi emblemata orationi ordine procedenti moram sane obiciunt, ordinem quidem ipsum non turbant. Ceterum quominus recte ubique orationis continuïtas et progressus intelligeretur, haud exiguum impedimentum fuit perversissima saepe capitum et minorum partium distinctio, adeo illa importuna nonnumquam, ut non solum sententia scriptoris obscuraretur sed ipsa etiam scriptura corrumperetur aut corrupta recte emendari non posset; ac Fickerto quidem religioni fuit in hac re mutare quicquam, scilicet ne variarum editionum numeri discrepant; ego vero quod mihi gravius incommodum visum est, sustuli, levius illud ferendum existimavi, eo tamen temperamento usus, ut non quasi in re integra novam distinctionem facerem, sed vulgarem ferrem, quoad eius fieri sine sensus detrimento posset, capitumque numerum minuerem numquam, augerem raro, ubi qui ea primus divisit, oblivione aliquem locum transmisisse videtur. Praeterea quae tamquam adversarii verba suis interponere solet Seneca, utile iudicavi signis positis discernere, quoniam id quoque multum facere ad errores prohibendos animadverti.

Dicendi vero usus accurata observatio cum ad alias res graviores est necessaria, — neque enim sine ea fieri poterit, ut tandem aliquando condatur linguae latinae historia causis suis rationibusque explicata —, tum ad emendationem magnum mihi hoc auxilium fuit, multo id maius futurum, si quis dedita opera plene hanc materiam pertractaverit. Nullum autem vitiorum genus in Senecae libris mss. frequentius est, quam quod ad vincienda et distinguenda orationis membra pertinet; librarii enim ferre non poterant crebra asyndeta aut in vocabulis demonstrativis relativorum loco positis desiderabant elegantiam et nesciebant plura quam olim adverbium coniunctionum vice fungi, nec satis cognitae habebant dicendi formulas certas quasdam, quae et ipsae ad coniungendas vel disiungendas orationis partes constanti usu receptae erant, partim illae a poetis primum inductae, partim e scholastica declamandi consuetudine et usu forensi adscitae, partim etiam inventae illa aetate, qua scriptores ingeniose ambitiosi pro se quisque in dicendi arte erant novarum rerum studiosi, cum sermo rectus, ut ait Quintilianus, et secundum naturam enunciatum nihil habere ex ingenio videretur, illa vero, quae utcumque deflexa essent, homines admirarentur. Sed de toto hoc genere vario et multiplici ego nunc pauca exempla proferre satis habeo, quae ad particularum quarundam usum pertinent.

Novicius est et frequentissimus apud Senecam etiam nunc particulae usus is, quem paucis attigit Hand. Tursell. II, p. 585. eius usus exempla sunt Epist. 20, 4. 92, 12. de Benef. III, 8, 2. 35, 2. V, 12, 4. 19, 4. Dial. IV, 5, 1. VII, 9, 4. XI, 8, 1. 18, 3. et alia plurima; ad quorum normam dubitandum non est, quin duobus locis Dial. XI, 3, 3. et Nat. quaest. I, 4, 1. recte scripserim etiam nunc, cum antea legeretur iam nunc, de quibus particulis alibi dixi. Nec minus certum, locum alio modo corruptum de Benef. V, 12, 3. in eo certe recte a me emendatum esse, quod etiam nunc particulam cum sequente sententia coniunxi.

Ita est formula est usitatissima apud Senecam, qua quod antea dixit confirmat et eius summam comprehendit et novum quasi impetum capit ad idem denuo aliis verbis dicendum. Eius usus aliquot certa et manifesta exempla haec sunt: Epist. 17, 6. 22, 9. 94, 70. Dial. X, 1, 4. XI, 1, 1. de Benef. II, 29, 6. Nat. Quaest. II, 59, 6. III, 27, 2. IV, praef. 2. Ab horum similitudine discedit locus Nat. Quaest. II, 59, 9. ubi e bonis libris itane pro ita est reponendum fuit, quod erat ante Fickertum vulgatum. Contra Dial. VI, 23, 5. Pinciani veterem librum secutus scribendum iudicavi: Ita est: indicium est imminentis exitii maturitas; nec dubito quin recte eandem formulam restituerim Nat. Quaest. I, 5, 11.

Utinam quidem particulis addito coniunctivo vel imperfecti vel plusquamperfecti temporis ita uti solet Seneca, ut dicat frustra aliquid optari, quod si esset, conveniens fore significat eius rei rationi, de qua agit; veluti Epist. 19, 4. 89, 1. de Benef. III, 15, 1. de Clem. I, 19, 4. Dial. VIII, 3, 1. XII, 17, 4. Quare fugere nemi-

nem potest, quomodo emendandus sit locus Dial. VII, 20, 1. ubi quod adhuc edi solebat, plane inauditum est: Nam quidem si et paria dictis agerent, quid esset illis beatus? Vetus vitium esse monstrat si particula, quae iam in optimo cod. Mediol. legi perhibetur, illata illa haud dubie ab infelice correctore; ut autem *uti* syllabae exciderent, accidit ob similem exitum vocis antecedentis.

Haec speciminis causa sufficere posse videntur pauca de multis; nec tamen dubito, quin eorum, quae ob constantem Senecae usum emendanda sunt, ego quoque alia non animadverterim, alia, cum suspecta essent, iniuria intacta reliquerim; est enim haec res tam infinitae diligentiae, ut etiam in scriptore familiarissimo novae tibi semper quaestiones suboriantur et novo studio iteranda sit observatio. Ceterum dicendi genus in omnibus Senecae libris idem fere et semper sui simile est, adeo quidem ut ne Epigrammata quidem excipere velim, quae nonnullis sine idonea causa spuria visa sunt; idem de Consolatione ad Polybium dico; quid, quod in Ludo quoque de morte Claudii Senecam agnoscere facile est, quamquam in eo res ipsa singularem orationis formam desiderabat, in qua manifesta est Petronianae saturae imitatio. De emendandi vero difficultate si quaerimus, non omnium librorum par ratio est. Exstant autem omnium multi codd. mss.; cum enim medio aevo Seneca inter scriptores probatissimos et lectu dignissimos haberetur, factum est ut plurimis ubique exemplis descripta eius opera vitiis inficerentur innumerabilibus; pauci sunt codices vetustissimi, qui quamquam et ipsi aliquando aut errore depravati sunt aut mala emendatione, longe tamen reliquos integritate superant. Ex his est cod. Mediolanensis, quem Fickertus statuit non esse post seculum IX. scriptum; continet Dialogorum libros XII. itemque Epistolas Pauli ad Senecam et Senecae ad Paulum; scripturae discrepantiam in Fesslerii usum diligenter a duobus Italis enotatam primus Fickertus publici iuris fecit. Par virtus est codicis Nazariani, qui postquam a Grutero usurpatus est, non comparuit; continebat libros de Beneficiis et de Clementia; ad accuratam collationem in libro Mediolanensi aliqua, in Nazariano multa desiderantur, neque tamen dubium est, quin prae illorum auctoritate reliqui codices omnes parvi aestimandi sint, quippe qui in locis corruptis nihil plerumque habeant nisi vitia ex illorum vitiis nata aut vitiorum correctiones vitiosas. Atque Mediolanensem codicem etiam in eo secutus sum, quod quos ille Dialogorum nomine libros XII. comprehendit, eodem nomine et ordine coniunxi; nam etsi ampliora etiam scripta de Beneficiis et Nat. Quaest. et imperfecti de Clementia libri poterant pari iure dialogi appellari atque ipse etiam Seneca libros de Benef. eo nomine appellat, — vid. lib. V, c. 19, 8. —, nulla tamen causa est, cur non codicis illius testimonio hanc fidem habeamus, ut iam antiquitus hoc quasi corpus dialogorum existisse credamus, praesertim cum Quintilianus X, 1, 129. dialogos memoret; ac potuit id iam ab ipso Seneca sic institui; nihil enim eo continetur, quod ad postremos Senecae annos Neronisque imperium pertineat. Ceterum non opus est expo-

nere, quales mendae esse soleant in codicibus tam vetustis; nec credo qui artis criticae periti sunt, miraturos, quod in mendosis locis non recondita aliqua et ignota vocabula indaganda existimavi sed vel notissima et multo usu trita reposui. Veluti Dial. X, 13, 9. cum in optimo cod. legatur: quae aut facta sunt mendaciis aut similia, Fickertus id tolerandum iudicavit; novicii librarii emendarunt ficta scribentes, non facta; denique Erasmus, quem plurimi secuti sunt, transpositione adhibita sic scripsit: quae aut facta sunt aut mendaciis similia. ego multo simplicius facta mutavi in paria, quod unice verum videtur; nam sive facta sive ficta scribas, neutrum in eos cadit, quos Seneca fatetur fide bona dicere; paria autem et similia saepissime componuntur; vid. Burm. ad Quintil. declam. VIII, c. 4. cf. ib. V, c. 13. c. 16. XI, c. 5 extr. Kritz. ad Sall. Cat. c. 14, 4. Cic. de nat. d. II, 10, §. 28. Legg. I, 10, §. 29. Liv. XXII, 46, 5. Ovid. Trist. II, 431. Quintil. X, 1, 102. atque ita ipse etiam Seneca Dial. III, 10, 1 et 3.

Item Dial. VIII, 1, 4, ubi in deterioribus libris est: eruti manu vel eruta manu, in optimo eniti manu, Lipsius coniecit: mente, manu, Ruhkopffius: miti manu, nihil in rem propositam aptius erat quam scribere senili manu mutatione levissima, cum littera perierit ob antecedentem eandem, t facile ex l nata sit.

Loco autem paene desperato de Clem. II, 6, 3 videor mihi rem optime gessisse, quod aersucantem civem expuli, quem Gronovius doctrinae copiis male usus longe arcessiverat ex Festo et Gellio idque eo loco, quo de cive cogitare alienissimum est; ego codicis Nazariani litteras accurate secutus, nisi quod hic quoque l pro t posui et paucas alias mendas manifestas ita correxi ut alii fecerant, e monstrosa scriptura obrusati cuiusaredum aut panno iam maciem et in noxam baculo senectutem elici veram hanc: ob crus alicuius aridum aut pannosam maciem et innixam baculo senectutem, sane pro doctis illis Gronovii cupediis rem tenuissimam et despectam proponens, sed quae ipsa est consilio Senecae aptissima; ita enim magna gravitate rei indignitas, de qua agitur, demonstratur. Crus aridum ut in elegantibus hominibus contumeliae loco est, ita idem in egenis, fame ac macie confectis misericordiam et vel lacrimas non quidem sapientum sed mollium hominum excitare potest. Dixit autem arida crura Ovid. A. A. III, 272. cf. Rem. Am. 317. nec Seneca hominum crura neglexit; vid. Dial. II, 16, 4. 18, 1. Epist. 92, 18.

Praeterea in vetustis libris illis etiam scribendi compendia non potuerunt talia esse, qualia postea frequentata sunt; atque codicis Mediol. librarius ubi festinantius scripsit, id quod maxime accidit in Dial. VI., non certis compendiis usus est, sed voces variis modis aliquando in medio, plerumque in fine trunceavit; itaque in illa quidem libri parte Dial. VI, 17, 6. pro incidi, quod est in codice, non est audacius incidisset scribere quam incidit; illud poscit sententiae structura, hoc si verum esset, vix tanti erat librario unam litterulam

omittere. Ibid. c. 26, 3. quod ex vibar feci videbar, facillimum est et aptissime significat id de quo agitur, Cremutium Cordum morte voluntaria comprobasse non falsam fuisse hominum opinionem, quibus videbatur magno animo scripsisse historias. Similiter etiam alibi correxi, veluti de Benef. IV, 6, 1. solidum scribens pro eo quod vulgatum est solum, et in Nat. Quaest. I, 2, 7. eieci glossam, quales in illo opere permultae sunt, exturbat, et recepi optimi cod. scripturam ex eo trahatur, nisi quod travehatur scripsi.

Sed de codicum illorum et praestantia et vitiis plura nunc exponere longum est. quorum virtute etsi plurimi loci restituti sunt, restant tamen haud pauci, qui feliciorum medicinam desiderant quam qua ego usus sum. Neque enim ita mihi placeo, ut coniecturas meas unice probandas putem, inter quas sunt etiam, quas non aliam ob causam intuli quam quia aliquid certe ponendum erat qualecumque id esset, neque editionis huius consilio convenire arbitrabor, nimis saepe verba corrupta retinere et crebris stellarum signis lectores abstertere; cavi tamen litteris inclinatis, ne certi et integri putentur loci, qui coniecturis correcti sunt; item quae ipse supplementa in locis lacunosis adieci, de quibus idem nunc dictum volo, quod in praef. ad Velleium Paterculum a me editum dixi, uncis inclusa litterisque inclinatis descripta sunt; contra quae abiicienda uncis significo, ea relictis litteris exprimenda curavi. Transpositione ubi usus sum, ipsum locum transpositum ab initio et in fine crucis figura signavi, ibi autem, unde is transpositus est, crucem duplicem posui.

Ad Epigrammata, quae a Fickerto nondum edita sunt, nihil novi auxilii habui.

Ludum non ausus sum ad solos codices vetustissimos Sangallensem et Valentianensem recensere, praesertim cum de illius scriptura aliquotiens non constet; pertinuit autem dubitatio mea non tam ad verba singula quam ad totos locos, qui illis desunt; qua in re nolui media illa via ingredi, quam Fickertus elegit, qui cum plurimos ex illis abiiceret, alios tamen retinuit; scilicet nondum exploratum est, quae sit eorum origo et sitne omnium eadem, an habeant nonnulli fontem vetustiorum; quare quoniam tutum non erat omnes abiicere, satius visum est pariter omnes retinere uncis inclusos, quamvis probabile sit, eos nihil aliud esse nisi supplementa Nodotianis similia, seculo XV confecta, quae in paucis haud inficeta iudices, sed maximam partem frigida et sine idonea causa confecta.

Orthographiam quoniam par est ab eo constitui, qui libros mss. ipse tractavit, talem fere reliqui, qualem Fickertus esse voluit, quamquam erant in ea, quae non probarem; interpunctionem vero perspicuitatis gratia auxi. Denique postremo volumine adieciam rerum indicem novum a me diligenter confectum.


Scribebam Vratislaviae mense Octobri a. MDCCCLI.



L. ANNAEI SENECAE

D I A L O G O R U M

LIBRI XII.



L. ANNAEI SENECAE  
DIALOGORUM LIBER I.

AD LUCILIUM

QUARE ALIQUA INCOMMODA BONIS VIRIS ACCIDANT  
CUM PROVIDENTIA SIT.

SIVE

DE PROVIDENTIA.

---

I. Quaesisti a me, Lucili, quid ita, si providentia 1  
mundus ageretur, multa bonis viris mala accidere. hoc  
commodius in contextu operis redderetur, cum praeesse  
universis providentiam probaremus et interesse nobis  
deum. sed quoniam a toto particulam revelli placet et unam  
contradictionem manente lite integra solvere, faciam rem  
non difficilem, causam deorum agam. Supervacuum est in 2  
praesentia ostendere non sine aliquo custode tantum opus  
stare nec hunc siderum coetum discursumque fortuiti in-  
petus esse et quae casus incitat saepe turbari et cito arie-  
tare, hanc inoffensam velocitatem procedere aeternae le-  
gis imperio tantum rerum terra marique gestantem, tantum  
clarissimorum luminum et ex disposito relucentium, non  
esse materiae errantis hunc ordinem nec quae temere coie-  
runt, tanta arte pendere, ut terrarum gravissimum pondus  
sedeat inmotum et circa se properantis coeli fugam spectet,  
ut infusa vallibus maria molliant terras nec ullum incre-  
mentum fluminum sentiant, ut ex minimis seminibus na-  
scentur ingentia. ne illa quidem quae videntur confusa et 3  
incerta, pluvias dico nubesque et elisorum fulminum ia-  
ctus et incendia ruptis montium verticibus effusa, tremo-  
res labantis soli et alia quae tumultuosa pars rerum circa  
terras movet, sine ratione, quamvis subita sint, accidunt,  
sed suas et illa causas habent non minus quam quae alie-

#### 4 DIAL. I. QUARE ALIQUA INCOMMODA BONIS VIRIS

nis locis conspecta miraculo sunt, ut in mediis fluctibus calentes aquae et nova insularum in vasto exsilitium  
4 mari spatia. Iam vero si quis observaverit nudari litora pelago in se recedente eademque intra exiguum tempus operiri, credet, caeca quadam volutatione modo contrahi undas et introrsum agi, modo erumpere et magno cursu repetere sedem suam, cum interim illae portionibus crescunt et ad horam ac diem subeunt ampliores minoresque, prout illas lunare sidus elicit, ad cuius arbitrium oceanus exundat. Suo ista temporis reserventur eo quidem magis,  
5 quod tu non dubitas de providentia, sed quaeris. In gratiam te reducam cum dis adversus optimos optimis. neque enim rerum natura palitur ut umquam bona bonis noceant. inter bonos viros ac deos amicitia est conciliante virtute. amicitiam dico? immo etiam necessitudo et similitudo, quoniam quidem bonus tempore tantum a deo differt, discipulus eius aemulatorque et vera progenies, quam parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut  
6 severi patres durius educat. Itaque cum videris bonos viros acceptosque dis laborare, sudare, per arduum ascendere, malos autem lascivire et voluptatibus fluere, cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia. illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam: idem tibi de deo liqueat. bonum virum in deliciis non habet: experitur, indurat, sibi illum parat.

1 II. Quare multa bonis viris adversa eveniunt? Nihil accidere bono viro mali potest: non miscentur contraria. Quemadmodum tot annes, tantum superne deiectionum imbrium, tanta medicamentorum vis fontium non mutant saporem maris, ne remittunt quidem: ita adversarum inpetus rerum viri fortis non vertit animum. manet in statu et quicquid evenit, in suum colorem trahit. est enim  
2 omnibus externis potentior. Nec hoc dico: non sentit illa, sed vincit et alioquin quietus placidusque contra incurrentia ad tollitur. omnia adversa exercitationes putat. quis autem, vir modo et erectus ad honesta, non est laboris adpetens iusti et ad officia cum periculo promptus? cui  
3 non industrius otium poena est? Athletas videmus, quibus

virium cura est, cum fortissimis quibusque configere et exigere ab his per quos certamini praeparantur, ut totis contra ipsos viribus utantur. caedi se vexarique patiuntur et si non inveniunt singulos pares, pluribus simul obiciuntur. Marce! sine adversario virtus. tunc adparet quanta sit 4 quantumque polleat, cum quid possit patientia ostendit. Scias licet idem viris bonis esse faciendum, ut dura ac difficilia non reformident nec de fato querantur. quicquid accidit, boni consulant, in bonum vertant. Non quid, sed quemadmodum feras interest. Non vides, quanto aliter pa- 5 tres, aliter matres indulgeant? illi exercitari iubent liberos ad studia obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos et sudorem illis et interdum lacrimas excutiunt. at matres fovere in sinu, continere in umbra volunt, numquam flere, numquam contristari, numquam laborare. Patrium deus habet adversus bonos viros animum et illos fortiter amat et: operibus, inquit, doloribus, damnis exagitentur, ut verum colligant robur. Languent per inertiam saginata nec labore tantum, sed motu et ipso sui onere deficiunt. non fert ullum ictum inlaesa felicitas: at ubi adsidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias duxit nec ulli malo cedit, sed etiamsi cecidit, de genu pugnat. Miraris tu, si deus ille bonorum amantissi- 7 mus, qui illos quam optimos esse atque excellentissimos vult, fortunam illis cum qua exerceantur adsignat? ego vero non miror. Si aliquando inpetum capiunt, spectant di magnos viros conluctantes cum aliqua calamitate. No- 8 bis interdum voluptati est, si adulescens constantis animi inruentem feram venabulo exceptit, si leonis incursum interritus pertulit. tantoque hoc spectaculum est gratius, quanto id honestior fecit. non sunt ista, quae possint deorum in se voltum convertere, puerilia et humanae oblectamenta levitatis: ecce spectaculum dignum ad quod re- 9 spiciat intentus operi suo deus, ecce par deo dignum, vir fortis cum fortuna mala compositus, utique si et provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terris Iupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem iam partibus non semel fractis stantem nihilominus



10 inter ruinas publicas rectum. „Licet, inquit, omnia in unius ditionem concesserint, custodiantur legionibus terrae, classibus maria, Caesarianus portas miles obsideat: Cato qua exeat habet. una manu latam libertati viam faciet. ferrum istud, etiam civili bello purum et innoxium, bonas tandem ac nobiles edet operas: libertatem quam patriae non potuit, Catoni dabit. Adgredere, anime, diu meditatam opus, eripe te rebus humanis. iam Petreius et Iuba concucurrerunt iacentque alter alterius manu caesi, fortis et egregia fati conventio, sed quae non deceat magnitudinem nostram. tam turpe est Catoni mortem ab ullo  
11 petere quam vitam.“ Liqueat mihi cum magno spectasse gaudio deos, *dum* ille vir, acerrimus sui vindex, alienae salutis consulit et instruit discedentium fugam, dum studia etiam nocte ultima tractat, dum gladium sacro pectori infigit, dum viscera spargit et illam sanctissimam animam  
12 indignamque quae ferro contaminaretur, manu educit. Inde crediderim fuisse parum certum et efficax vulnus: non fuit dis immortalibus satis spectare Catonem semel. retenta ac revocata virtus est, ut in difficiliore parte se ostenderet. non enim tam magno animo mors incitur quam repetitur. Quidni libenter spectarent alumnum suum tam claro ac memorabili exitu vadentem? mors illos consecrat, quorum exitum et qui timent laudant.

1 III. Sed iam procedente oratione ostendam, quam non sint quae videntur mala: nunc illud dico, ista quae tu vocas aspera, quae adversa et abominanda, primum pro ipsis esse quibus accidunt, deinde pro universis, quorum maior dis cura quam singulorum est. post hoc volentibus accidere ac dignos malo esse, si nolint. His adiciam fato ista sic et recte eadem lege bonis evenire qua sunt boni. Persuadebo deinde tibi, ne umquam boni viri miserere: potest enim miser dici, non potest esse.

2 Difficillimum ex omnibus quae proposui videtur quod primum dixi, pro ipsis esse quibus eveniunt ista, quae horremus ac tremimus. „Pro ipsis est,

inquis, in exilium proici, in egestatem deduci liberos, conjugem eferre, ignominia adfici, debilitari? Si miraris haec pro aliquo esse, miraberis quosdam ferro et igne curari nec minus fame ac siti. sed si cogitaveris tecum, remedia causa quibusdam et radi ossa et legi et extrahi venas et quaedam amputari membra, quae sine totius pernicie corporis haerere non poterant, hoc quoque patieris probari tibi, quaedam incommoda pro his esse quibus accidunt, tam mehercules quam quaedam quae laudantur atque adpetuntur, contra eos esse quos delectaverunt, similima cruditatibus ebrietatibusque et ceteris quae necant per voluptatem. Inter multa magnifica Demetrii nostri et 3 haec vox est, a qua recens sum. sonat adhuc et vibrat in auribus meis: *nihil*, inquit, *mihi videtur infelicius eo, cui nihil umquam evenit adversi*. non licuit enim illi se experiri. Ut ex voto illi fluxerint omnia, ut ante votum, male tamen de illo di iudicaverunt: indignus visus est a quo vinceretur aliquando fortuna, quae ignavissimum quemque refugit, quasi dicat: „quid ergo? istum mihi adversarium adsumam? statim arma submittet. non opus est in illum tota potentia mea: levi conminatione pelletur. non potest sustinere voltum meum. alius circumspiciatur cum quo conferre possimus manum: pudet congrredi cum homine vinci parato.“ Ignominiam iudicat gladiator cum inferiore conponi et scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur. idem facit fortuna: fortissimos sibi pares quaerit, quosdam fastidio transit, contumacissimum quemque et rectissimum adgreditur, adversus quem vim suam intendat: ignem experitur in Mucio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Magnum exemplum nisi 5 mala fortuna non invenit. Infelix est Mucius, quod dextera ignes hostium premit et ipse a se exigit erroris sui poenas? quod regem quem armata manu non potuit, exusta fugat? quid ergo? felicior esset, si in sinu amicae foveret manum? Infelix est Fabricius, quod rus suum, quantum 6 a republica vacavit, fodit? quod bellum tam cum Pyrrho quam cum divitiis gerit? quod ad focum coenat illas ipsas

- radices et herbas, quas in repurgando agro triumphalis senex vulsit? quid ergo? felicior esset, si in ventrem suum longinqui litoris pisces et peregrina aucupia congereret? si conchyliis superi atque inferi maris pigritiam stomachi nausiantis erigeret? si ingenti pomorum strue cingeret
- 7 primae formae feras, captas multa caede venantium? Infelix est Rutilius, quod qui illum damnaverunt, causam dicent omnibus seculis? quod aequiore animo passus est se patriae eripi quam sibi exilium? quod Sullae dictatori solus aliquid negavit et revocatus non tantum retro cessit, sed longius fugit? „Viderint, inquit, isti quos Romae deprehendit felicitas tua. videant largum in foro sanguinem et supra Servilianum lacum (id enim proscriptionis Sullanae spoliarium est) senatorum capita et passim vagantis per urbem percussorum greges et multa milia civium Romanorum uno loco post fidem, immo per ipsam fidem trucidata. videant ista qui exulare non possunt.“
- 8 Quid ergo? felix est L. Sulla, quod illi descendentem ad forum gladio submovetur, quod capita sibi consularium virorum patitur ostendi et pretium caedis per quaestorem ac tabulas publicas numerat? et haec omnia facit ille, ille qui legem
- 9 Cornelianam tulit. Veniamus ad Regulum: quid illi fortuna nocuit, quod illum documentum fidei, documentum patientiae fecit? Figunt cutem clavi et quocumque fatigatum corpus reclinavit, volneri incumbit, in perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina: quanto plus tormenti tanto plus erit gloriae. Vis scire quam non poeniteat hoc pretio aestimasse virtutem? refice illum et mitte in senatum: eandem
- 10 sententiam dicet. Feliciorem ergo tu Maecenatem putas, cui amoribus anxio et morosae uxoris cotidiana repudia deflenti somnus per symphoniarum cantum ex longinquo lene resonantium quaeritur? mero se licet sopiat et aquarum fragoribus avocet et mille voluptatibus mentem anxiam fallat, tam vigilabit in pluma quam ille in cruce: sed illi solatium est pro honesto dura tolerare et ad causam a patientia respicit, hunc voluptatibus marcidum et felicitate nimia laborantem magis his quae patitur, vexat causa patiendi.
- 11 Non usque eo in possessionem generis humani

vitia venerunt, ut dubium sit, an electione fati data plures nasci Reguli quam Maecenates velint. aut si quis fuerit, qui audeat dicere Maecenatem se quam Regulum nasci maluisse, idem iste, taceat licet, nasci se Terentiam maluit. Male tractatum Socratem iudicas, quod illam po-<sup>12</sup> tionem publice mixtam non aliter quam medicamentum immortalitatis obduxit et de morte disputavit usque ad ipsam? male cum illo actum est, quod gelatus est sanguis ac paulatim frigore inducto venarum vigor constitit? Quanto magis huic invidendum est quam illis, quibus<sup>13</sup> gemma ministratur, quibus exoletus omnia pati doctus exsectae virilitatis aut dubiae suspensam auro nivem diluit? hi quicquid biberunt, vomitu remetientur tristes et bilem suam regustantes, at ille venenum laetus et libens hauriet. Quod ad Catonem pertinet, satis dictum est sum-<sup>14</sup> mamque illi felicitatem contigisse consensus hominum fatebitur. quem sibi rerum natura delegit cum quo metuenda collideret. „Inimicitiae potentium graves sunt: opponatur simul Pompeio, Caesari, Crasso. grave est a deterioribus honore anteiri: Vatinio postferatur. grave est civilibus bellis interesse: toto terrarum orbe pro causa bona tam infeliciter quam pertinaciter militet. grave est sibi manus adferre: faciat. quid per haec consequar? ut omnes sciant non esse haec mala, quibus ego dignum Catonem putavi.“

IV. Prospera re \*\*, sed in plebem ac vilia ingenia de-<sup>1</sup> veniunt: at calamitates terroresque mortalium sub iugum mittere proprium magni viri est. semper vero esse felicem et sine morsu animi transire vitam ignorare est rerum naturae alteram partem. „Magnus vir es: sed unde scio,<sup>2</sup> si tibi fortuna non dat facultatem exhibendae virtutis? descendisti ad Olympia, sed nemo praeter te: coronam habes, victoriam non habes. non gratulor tamquam viro forti, sed tamquam consulatum praeturamve adepto: honore auctus es.“ Idem dicere et bono viro possum, si illi<sup>3</sup> nullam occasionem difficilior casus dedit in qua una vim sui animi ostenderet: „miserum te iudico, quod numquam fuisti miser. transisti sine adversario vitam. nemo sciet quid potueris. ne tu quidem ipse.“ opus est enim ad no-

titiam sui experimento. quid quisque posset nisi temptando non didicit. itaque quidam ipsi ultro se cessantibus malis obtulerunt et virtuti iturae in obscurum occasionem  
 4 per quam enitesceret quaesierunt. Gaudent, inquam, magni viri aliquando rebus adversis, non aliter quam fortes milites bellis; *Triumphum* ego murmillonem sub Tiberio Caesare de raritate munerum audivi querentem: *quam bella*, inquit, *aetas perit!* Avida est periculi virtus et quo tendat, non quid passura sit cogitat: quoniam etiam quod passura est, gloriae pars est. militares viri gloriantur vulneribus, laeti fluentem meliori casu sanguinem ostentant. idem licet fecerint qui integri revertuntur ex acie,  
 5 magis spectatur qui saucius redit. Ipsis, inquam, deus consulit, quos esse quam honestissimos cupit, quotiens illis materiam praebet aliquid animose fortiterque faciendi, ad quam rem opus est aliqua rerum difficultate: gubernatorem in tempestate, in acie militem intellegas. unde possum scire, quantum adversus paupertatem tibi animi sit, si divitiis diffluis? unde possum scire, quantum adversus ignominiam et infamiam odiumque populare constantiae habeas, si inter plausus senescis, si te inexpugnabilis et inclinatione quadam mentium pronus favor sequitur? unde scio, quam aequo animo laturus sis orbitatem, si quoscumque sustulisti, vides? audivi te, cum alios consolareris: tunc conspexissem, si te ipse  
 6 latus esses, si te ipse dolere vetuisses. Nolite, obsecro vos, expavescere ista, quae di immortales velut stimulos admovent animis: calamitas virtutis occasio est. illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt,  
 7 quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet. Quicquid illis inciderit, novum veniet. magis urgent saeva inexpertos: grave est teneris cervicibus iugum. ad suspicionem vulneris tiro pallescit, audacter veteranus cruorem suum spectat, qui scit se saepe vicisse post sanguinem. Hos itaque deus quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet. eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. erratis enim, si quem iudicatis exceptum: veniet ad illum diu felicem



sua portio. quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. Quare deus optimum quemque aut mala valitudine aut 8 luctu aut aliis incommodis adficit? quia in castris quoque periculosa fortissimis imperantur, dux lectissimos mittit qui nocturnis hostes adgrediantur insidiis aut explorent iter aut praesidium loco deiciant. nemo eorum qui exeunt dicit: male de me imperator meruit, sed: bene iudicavit. idem dicant quicumque iubentur pati timidis ignavisque flebilis: digni visi sumus deo in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati. Fugite delicias, fugite 9 enervatam felicitatem, qua animi permadescunt et, nisi aliquid intervenit quod humanae sortis admoneat, velut perpetua ebrietate sopiti. quem specularia semper ab adflatu vindicaverunt, cuius pedes inter fomenta subinde mutata tepuerunt, cuius coenationes subditus et parietibus circumfusus calor temperavit, hunc levis aura non sine periculo stringet. Cum omnia quae excesserunt mo- 10 dum noceant, periculosissima felicitatis intemperantia est: movet cerebrum, in vanas mentes imagines evocat, multum inter falsum ac verum mediae caliginis fundit. quidni iis satius sit perpetuam infelicitatem advocata virtute sustinere quam infinitis atque inmodicis bonis rumpi? lenior ieiunio mors est: cruditate dissiliunt. Hanc itaque 11 rationem di sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis praeceptores, qui plus laboris ab iis exigunt, in quibus certior spes est. numquid tu invisos esse Lacedaemoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis? ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant et laceros ac semi-animos rogant, perseverent volnera praebere volneribus. Quid mirum, si dure generosos spiritus deus temptat? 12 numquam virtutis molle documentum est. verberat nos et lacerat fortuna. patiamur: non est saevitia, certamen est, quod si saepius adierimus, fortiores erimus. solidissima corporis pars est quam frequens usus agitavit: praebendi fortunae sumus, ut contra illam ab ipsa duremur. paulatim nos sibi pares faciat. contemptum periculorum adsiduitas periclitandi dabit. Sic sunt nauticis cor- 13

## 12 DIAL. I. QUARE ALIQUA INCOMMODA BONIS VIRIS

- pora a ferendo mari dura, agricolis manus tritae, ad excutienda tela militares lacerti valent, agilia sunt membra cursoribus: id in quoque solidissimum est quod exercuit. ad contemnendam malorum potentiam animus patientia pervenit, quae quid in nobis efficere possit scies, si adspexeris, quantum nationibus nudis et inopia fortioribus
- 14 labor praestet: omnes considera gentes, in quibus Romana pax desinit, Germanos dico et quicquid circa Istrum vagarum gentium occursat. perpetua illos hiems, triste coelum premit, maligne solum sterile sustentat, imbrem culmo aut fronde defendunt, super durata glacie stagna
- 15 persultant, in alimentum feras captant. Miseri tibi videntur? nihil miserum est quod in naturam consuetudo perduxit. paulatim enim voluptati sunt quae necessitate coeperunt. nulla illis domicilia nullaeque sedes sunt, nisi quas lassitudo in diem posuit. vilis et hic quaerendus manu victus, horrenda iniquitas coeli, intecta corpora. hoc quod tibi calamitas videtur, tot gentium vita est: quid
- 16 miraris bonos viros, ut confirmentur, concuti? Non est arbor solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat. ipsa enim vexatione constringitur et radices certius figit. fragiles sunt quae in aprica valle creverunt: pro ipsis ergo bonis viris est, ut esse interriti possint, multum inter formidolosa versari et aequo animo ferre quae non sunt mala nisi male sustinenti.
- 1 V. Adice nunc, quod pro omnibus est optimum quemque, ut ita dicam, militare et edere operas. Hoc est propositum deo quod sapienti viro, ostendere haec quae vulgus adpetit, quae reformidat, nec bona esse nec mala. adparebunt autem bona esse, si illa non nisi bonis viris tribuerit, et mala esse, si tantum malis inrogaverit. Detestabilis erit caecitas, si nemo oculos perdiderit, nisi cui eruendi sunt: itaque careant luce Appius et Metellus. non sunt divitiae bonum: itaque habeat illas et Elius leno, ut homines pecuniam, cum in templis consecraverint, videant et in fornice. nullo modo magis potest deus concupita traducere, quam si illa ad turpissimos defert, ab optimis abigit. „At iniquum est virum bo-

num debilitari aut constringi aut adligari, malos integris corporibus solutos ac delicatos incedere.“ Quid porro? non est iniquum fortes viros arma sumere et in castris pernoctare et pro vallo obligatis stare volneribus, interim in urbe securos esse praecisos et professos inpudicitiam? quid porro? non est iniquum nobilissimas virgines ad sacra facienda noctibus excitari, altissimo somno inquinatas frui? Labor optimos citat: senatus per totum diem 4 saepe consulitur, cum illo tempore vilissimus quisque aut in campo otium suum oblectet aut in pœpina lateat aut tempus in aliquo circulo terat. idem in hac magna republica fit: boni viri laborant, impendunt, impenduntur et volentes quidem, non trahuntur a fortuna, sequuntur illam et aequant gradus. si scissent, antecessissent. Hanc quoque animosam Demetrii fortissimi viri vo- 5 cem audisse me memini: *Hoc unum, inquit, de vobis, di immortales, queri possum, quod non ante mihi voluntatem vestram notam fecistis. prior enim ad ista venissem, ad quae nunc vocatus adsum. Vultis liberos sumere: vobis illos sustuli. Vultis aliquam partem corporis: sumite. non magnam rem promitto. cito totum relinquam. Vultis spiritum: quidni? nullam moram faciam, quo minus recipiatis quod dedistis. a volente feretis quicquid petieritis. Quid 6 ergo est? maluissem offerre quam tradere. quid opus fuit auferre? accipere potuistis. sed ne nunc quidem auferetis, quia nihil eripitur nisi retinenti. Nihil cogor, nihil patior invitus nec servio deo, sed adsentior, eo quidem magis, quod scio omnia certa et in aeternum dicta lege decurrere.* Fata 7 nos ducunt et quantum cuique temporis restat, prima nascentium hora disposuit. causa pendet ex causa. privata ac publica longus ordo rerum trahit: ideo fortiter omne patiendum est, quia non, ut putamus, incidunt cuncta, sed veniunt. olim constitutum est quid gaudeas, quid fleas, et quamvis magna videatur varietate singulorum vita distingui, summa in unum venit: accipimus peritura perituri. Quid itaque indignamur? quid querimur? 8 ad hoc parati sumus. utatur ut vult suis natura corporibus: nos laeti ad omnia et fortes cogitemus nihil perire

## 14 DIAL. I. QUARE ALIQUA INCOMMODA BONIS VIRIS

de nostro. Quid est boni viri? praebere se fato. grande solatium est cum universo rapi. quicquid est quod nos sic vivere, sic mori iussit, eadem necessitate et deos adligat. inrevocabilis humana pariter ac divina cursus vehit. ille ipse omnium conditor et rector scripsit quidem fata, 9 sed sequitur. semper paret, semel iussit. „Quare tamen deus tam iniquus in distributione fati fuit, ut bonis viris paupertatem et volnera et acerba funera adscriberet?“ Non potest artifex mutare materiam: hoc passa est. quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent, individua sunt: languida ingenia et in somnum itura aut in vigiliam somno simillimam inertibus nectuntur elementis. ut efficiatur vir cum cura dicendus, fortiore fato opus est. non erit illi planum iter. sursum oportet ac deorsum eat, fluctuetur ac navigium in turbido regat. contra fortunam illi tenendus est cursus. multa accident dura, aspera, sed quae molliat et conplanet ipse. Ignis aurum probat, mi- 10 seria fortes viros. Vide quam alte escendere debeat virtus: scies illi non per segura vadendum.

*Ardua prima via est et quam vix mane recentes  
enituntur equi. medio est altissima coelo,  
unde mare et terras ipsi mihi saepe videre  
sit timor et pavida trepidet formidine pectus.*

*Ultima prona via est et eget moderamine certo.  
tunc etiam quae me subiectis excipit undis,  
ne ferar in praeceps, Tethys solet ima vereri.*

11 Haec cum audisset ille generosus adulescens: „placet, inquit, via: escendo. est tanti per ista ire casuro.“ Non desinit acrem animum metu territare:

*utque viam teneas nulloque errore traharis,  
per tamen adversi gradieris cornua tauri  
Haemoniosque arcus violentique ora leonis.*

Post haec ait: „Iunge datos currus. his quibus deterrere me putas, incitor. libet illic stare ubi ipse Sol trepidat. humilis et inertis est tuta sectari: per alta virtus it.“

1 VI. „Quare tamen bonis viris patitur aliquid mali deus fieri?“ Ille vero non patitur. omnia mala ab illis removit, scelera et flagitia et cogitationes improbas et avida con-

silia et libidinem caecam et alieno imminentem avaritiam. ipsos tuetur ac vindicat: numquid hoc quoque aliquis a deo exigit, ut bonorum virorum etiam sarcinas servet? remittunt ipsi hanc deo curam. externa contemnunt. Democritus divitias proiecit onus illas bonae mentis existimans: quid ergo? miraris, si id deus bono viro accidere patitur, quod vir bonus aliquando vult sibi accidere? filios amittunt viri boni: quidni, cum aliquando et occidunt? in exilium mittuntur: quidni, cum aliquando ipsi patriam non repetituri relinquunt? occiduntur: quidni, cum aliquando ipsi sibi manus adferant? „Quare quaedam dura patiuntur?“ ut alios pati doceant. nati sunt in exemplar. puta itaque deum dicere: quid habetis quod de me queri possitis vos quibus recta placuerunt? alii bona falsa circumdedi et animos inanes velut longo fallacique somnio lusi: auro illos et argento et ebore adornavi, intus boni nihil est. Isti quos pro felicibus adspicis, si non qua occurrunt, sed qua latent videris, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. non est ista solida et sincera felicitas: crusta est et quidem tenuis. itaque dum illis licet stare et ad arbitrium suum ostendi, nitent et inponunt. cum aliquid incidit quod disturbet ac detegat, tunc adparet quantum altae ac verae foeditatis alienus splendor absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura, quanto magis versaverit aliquis et undique inspexerit, meliora maioraque. permisi vobis metuenda contemnere, cupiditates fastidire. non fulgetis extrinsecus, bona vestra introrsus obversa sunt. sic mundus exteriora contempsit spectaculo sui laetus. intus omne posuit bonum. non egere felicitate felicitas vestra est. „At multa incidunt tristia, horrenda, dura toleratu.“ Quia non poteram vos istis subducere, animos vestros adversus omnia armavi. ferte fortiter. hoc est quo deum anteceditis: ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam. Contemnite paupertatem: nemo tam pauper vivit quam natus est. contemnite dolorem: aut solvetur aut solvet. contemnite mortem: quae vos aut finit aut transfert. contemnite fortunam: nullum illi telum

7 quo feriret animum, dedi. Ante omnia cavi, ne quis vos teneret invitos. patet exitus. si pugnare non vultis, licet fugere. ideo ex omnibus rebus quas esse vobis necessarias volui, nihil feci facilius quam mori. prono animam loco posui: trahitur. Adtendite modo et videbitis quam brevis ad libertatem et quam expedita ducat via. non tam longas in exitu vobis quam intransibus moras posui: alioquin magnum in vos regnum fortuna tenuisset, si homo  
8 tam tarde moreretur quam nascitur. Omne tempus, omnis vos locus doceat, quam facile sit renuntiare naturae et munus illi suum impingere: inter ipsa altaria et sollemnes sacrificantium ritus, dum optatur vita, mortem condiscite. corpora opima taurorum exiguo concidunt vulnere et magnarum virium animalia humanae manus ictus inpellit. tenui ferro commissura cervicis abrumpitur, et cum articulus ille qui caput collumque committit incisus est, tanta  
9 illa moles corrui. Non in alto latet spiritus nec utique ferro eruendus est. non sunt vulnere penitus impresso scrutanda praecordia: in proximo mors est. non certum ad hos ictus destinavi locum: quacumque via pervium est. ipsum illud quod vocatur mori, quo anima discedit a corpore, brevius est, quam ut sentiri tanta velocitas possit: sive fauces nodus elisit, sive spiramentum aqua praeclusit, sive in caput lapsos subiacentis soli durtia conminuit, sive haustus ignis cursum animae remeantis interscidit: quicquid est, properat: ecquid erubescitis? quod tam cito fit, timetis diu? \*\*\*

---

# L. ANNAEI SENECAE DIALOGORUM LIBER II.

AD SERENUM

NEC INIURIAM NEC CONTUMELIAM ACCIPERE SAPIENTEM.

SIVE

DE CONSTANTIA SAPIENTIS.

---

I. **T**antum inter Stoicos, Serene, et ceteros sapientiam professos interesse quantum inter feminas et mares non inmerito dixerim, cum utraque turba ad vitae societatem tantundem conferat, sed altera pars ad obsequendum, altera imperio nata sit. ceteri sapientes molliter et blande, ut fere domestici et familiares medici aegris corporibus non qua optimum et celerrimum est medentur, sed qua licet: Stoici virilem ingressi viam, non ut amoena ineuntibus videatur, curae habent, sed ut quamprimum nos eripiat et in illum editum verticem educat, qui adeo extra omnem teli iactum surrexit, ut supra fortunam emineat. „At ardua per quae vocamur et confragosa sunt.“<sup>1</sup> Quid enim? plano aditur excelsum? sed ne tam abrupta quidem sunt, quam quidam putant. prima tantum pars saxa rupesque habet et invii speciem, sicut pleraque ex longinquo speculantibus abscisa et connexa videri solent, cum aciem longinquitas fallat. deinde propius adeuntibus eadem illa, quae in unum congesserat error oculorum, paulatim adaperiuntur. tum illis quae praecipitia ex intervallo adparebant, redit lene fastigium. Nuper cum incidisset mentio M. Catonis, indigne ferebas, sicut es iniquitatis inpatiens, quod Catonem aetas sua parum intellexisset, quod supra Pompeios et Caesares surgentem infra Vatinios posuisset. et tibi indignum videbatur, quod illi

dissuasuro legem toga in foro esset erepta quodque a rostris usque ad arcum Fabianum per seditiosae factionis manus traditus voces improbas et sputa et omnis alias insanæ multitudinis contumelias pertulisset.

- 1 II. Tum ego respondi habere te, quod reipublicæ nomine movereris, quam hinc P. Clodius, hinc Vatinius ac pessimus quisque venundabat et caeca cupiditate correpti non intelligebant se dum vendunt, et venire: pro ipso quidem Catone securum te esse iussi. nullum enim sapientem nec iniuriam accipere nec contumeliam posse, Catonem autem certius exemplar sapientis viri nobis deos immortales dedisse quam Ulixen et Herculem prioribus seculis. hos enim Stoici nostri sapientes pronuntiaverunt, invictos laboribus, contemptores voluptatis et victores omnium terrarum. Cato non cum feris manus contulit, quas consecrari venatoris agrestisque est, nec monstra igne ac ferro persecutus est nec in ea tempora incidit, quibus credi posset coelum humeris unius inniti excussa iam antiqua credulitate et seculo ad summam perducto sollertiam: cum ambitu congressus, multiformi malo, et cum potentiae immensa cupiditate, quam totus orbis in tres divisus satiare non poterat, adversus vitia civitatis degenerantis et pessum sua mole sidentis stetit solus et cadentem rempublicam, quantum modo una retrahi manu poterat, tenuit, donec vel abreptus vel abstractus comitem se diu sustentatae ruinae dedit simulque extincta sunt, quae nefas erat dividi. neque enim Cato post liber-
- 2
- 3 tatem vixit nec libertas post Catonem. Huic tu putas iniuriam fieri potuisse a populo, quod aut praeturam illi detraxit aut togam? quod sacrum illud caput purgamentis oris adpersit? Tutus est sapiens nec ulla adfici aut iniuria aut contumelia potest.

- 1 III. Videor mihi intueri animum tuum incensum et effervescentem. paras adclamare: „Haec sunt quae auctoritatem praeceptis vestris detrahant. magna promittitis et quae ne optari quidem, nedum credi possint. deinde ingentia locuti cum pauperem negastis esse sapientem, non negastis solere illi et servum [vel vestitum] et tectum et



cibum deesse. cum sapientem negastis insanire, non negatis et alienari et parum sana verba emittere et quicquid vis morbi cogit audere. cum sapientem negastis servum esse, iidem non itis infitias et veniturum et imperata facturum et domino suo servilia praestaturum ministeria: ita sublato alte supercilio in eadem quae ceteri descenditis mutatis rerum nominibus. Tale itaque aliquid et in hoc 2 esse suspicor, quod prima specie pulchrum atque magnificentum est, nec iniuriam nec contumeliam accepturum esse sapientem. multum autem interest, utrum sapientem extra indignationem an extra iniuriam ponas. nam si dicis illum aequo animo laturum, nullum habet privilegium. contigit illi res vulgaris et quae discitur ipsa iniuriarum adsiduitate, patientia. si negas accepturum iniuriam, id est neminem illi temptaturum facere, omnibus relictis negotiis Stoicus fio.“ Ego vero sapientem non imaginario 3 honore verborum exornare constitui, sed eo loco ponere, quo nulla permittatur iniuria. quid ergo? nemo erit qui lacessat, qui temptet? nihil in rerum natura tam sacrum est, quod sacrilegum non inveniatur, sed non ideo divina minus in sublimi sunt, si existunt qui magnitudinem multum ultra se positam non tacturi adpetant. Involnerabile est non quod non feritur, sed quod non laeditur: ex hac tibi nota sapientem exhibebo. Numquid dubium 4 est, quin certius robur sit quod non vincitur quam quod non lacessitur, cum dubiae sint vires inexpertae, at merito certissima firmitas habeatur, quae omnis incursus respuit? sic tu sapientem melioris scito esse naturae, si nulla illi iniuria nocet, quam si nulla fit. et illum fortem virum dicam, quem bella non subigunt nec admota vis hostilis exterret, non cui pingue otium est inter desides populos. Hoc igitur dico, sapientem nulli esse iniuriae 5 obnoxium. itaque non refert, quam multa in illum coiciantur tela, cum sit nulli penetrabilis; quomodo quorundam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est nec secari adamas aut caedi vel deteri potest, sed incurrentia ultro retundit. quemadmodum quaedam non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa rigorem suum habitumque

conservant. quemadmodum proiecti quidam in altum scopuli mare frangunt nec ipsi ulla saevitiae vestigia tot verberati seculis ostentant: ita sapientis animus solidus est et id roboris colligit, ut tam tutus sit ab iniuria quam illa quae retuli.

- 1 IV. Quid ergo? non erit aliquis qui sapienti facere temptet iniuriam? temptabit, sed non perventuram ad eum. maiore enim intervallo a contactu inferiorum abductus est, quam ut ulla vis noxia usque ad illum vires suas perferat. etiam cum potentes et imperio editi et consensu servientium validi nocere intendent, tam citra sapientiam omnes eorum inpetus deficient, quam quae nervo tormentisve in altum exprimuntur, cum extra visum exsilierint,
- 2 citra coelum tamen flectuntur. Quid? tu putas tum, cum stolidus ille rex multitudine telorum diem obscuraret, ullam sagittam in solem incidisse? aut dimissis in profundum catenis Neptunum potuisse contingi? Ut coelestia humanas manus effugiunt et ab his qui templa diruunt ac simulacra conflant, nihil divinitati nocetur, ita quicquid fit in sapientem proterve, petulanter, superbe, frustra
- 3 temptatur. „At salius erat neminem esse qui facere vellet.“ Rem difficilem optas humano generi, innocentiam. et non fieri eorum interest, qui facturi sunt, non eius, qui pati ne si fiat quidem potest. immo nescio an magis vires sapientia ostendat tranquillitatis inter lacescentia, sicut maximum argumentum est imperatoris armis virisque polentis tuta securitas in hostium terra.

- 1 V. Dividamus, si tibi videtur, Serene, iniuriam a contumelia: prior illa natura gravior est, haec levior et tantum delicatis gravis, qua non laeduntur homines, sed offenduntur. tanta est tamen animorum dissolutio et vanitas, ut quidam nihil acerbius putent: sic invenies servum qui flagellis quam colaphis caedi malit et qui mortem ac verbera tolerabiliora credat quam contumeliosa verba.
- 2 Ad tantas ineptias perventum est, ut non dolore tantum, sed doloris opinione vexemur, more puerorum, quibus metum incutit umbra et personarum deformitas et depravata facies. lacrimas vero evocant nomina parum grata

auribus et digitorum motus et alia quae inpetu quodam erroris improvidi refugiunt. Iniuria propositum hoc habet, 3  
aliquem malo adficere. malo autem sapientia non relinquit locum. unum enim illi malum est turpitudine, quae intrare eo ubi iam virtus honestumque est, non potest. ergo si iniuria sine malo nulla est, malum nisi turpe nullum est, turpe autem ad honestis occupatum pervenire non potest: iniuria ad sapientem non pervenit. nam si iniuria alicuius mali patientia est, sapiens autem nullius mali est patiens, nulla ad sapientem iniuria pertinet. Omnis 4  
iniuria diminutio eius est in quem incurrit, nec potest quisquam iniuriam accipere sine aliquo detrimento vel dignitatis vel corporis vel rerum extra nos positarum. sapiens autem nihil perdere potest. omnia in se reposuit, nihil fortunae credit, bona sua in solido habet, contentus virtute, quae fortuitis non indiget ideoque nec augeri nec minui potest. nam et in summum perducta incrementi non habet locum et nihil eripit fortuna, nisi quod dedit. virtutem autem non dat, ideo nec detrahit. libera est, inviolabilis, inmotata, inconcussa. sic contra casus indurat, ut ne inclinari quidem, nedum vinci possit. Adversus adpa- 5  
ratus terribilium rectos oculos tenet, nihil ex voltu mutat, sive illi dura sive secunda ostentantur. itaque nihil perdet quod perire sensurus sit. unius enim in possessione virtutis est, ex qua depelli numquam potest. ceteris precario utitur: quis autem iactura movetur alieni? quodsi iniuria nihil laedere potest ex his quae propria sapientis sunt, quia virtute sua salva sunt, iniuria sapienti non potest fieri. Megaram Demetrius ceperat, cui cognomen 6  
Poliorectes fuit. ab hoc Stilbon philosophus interrogatus, num aliquid perdidisset: *nihil*, inquit. *omnia mea mecum sunt*. atqui et patrimonium eius in praedam cesserat et filias rapuerat hostis et patria in alienam ditionem pervenerat et ipsum rex circumfusus victoris exercitus armis ex superiore loco rogabat. At ille victoriam illi excussit 7  
et se urbe capta non invictum tantum, sed indemnem esse testatus est. habebat enim vera secum bona, in quae non est manus iniectio. at quae dissipata et direpta fereban-

tur, non iudicabat sua, sed adventicia et nutum fortunae sequentia. ideo ut non propria dilexerat. Omnium enim extrinsecus affluentium lubrica et incerta possessio est.

- 1 VI. Cogita nunc, an huic fur aut calumniator aut vicinus inpotens aut dives aliquis regnum orbae senectutis exercens facere iniuriam possit, cui bellum et hostis et ille egregiam artem quassandarum urbium professus erit
- 2 pere nihil potuit. Inter micantes ubique gladios et militarem in rapina tumultum, inter flammas et sanguinem stragemque impulsae civitatis, inter fragorem templorum super deos cadentium uni homini pax fuit: non est itaque, quod audax iudices promissum, cuius tibi, si parum fidei habeo, sponsorem dabo. vix enim credis tantum firmitatis in hominem aut tantam animi magnitudinem cadere. sed
- 3 si prodit in medium qui dicat: „non est quod dubites, an adtollere se homo natus supra humana possit, an dolores, damna, ulcerationes, volnera, magnos motus rerum circa se frementium securus adspiciat et dura placide ferat et secunda moderate, nec illis cedens nec his fretus, unus idemque inter diversa sit nec quicquam suum nisi
- 4 se putet esse, *id* quoque ea parte, qua melior est: en adsum hoc vobis probaturus, sub isto tot civitatum ever-  
sore munimenta incussu arietis labefieri et turrium altitudinem cuniculis ac latentibus fossis repente desiderare et aequaturum editissimas arces aggerem crescere, at nulla machinamenta posse reperiri, quae bene fundatum animum agitent. Erepsi modo e ruinis domus, et incendiis undique relucentibus flammas per sanguinem fugi. filias meas quis casus habeat, an peior publico nescio. solus et senior et hostilia circa me omnia videns tamen integrum incolumemque esse censem meum profiteor: teneo, habeo
- 6 quicquid mei habui. Non est quod me victum victoremque te credas: vicit fortuna tua fortunam meam. caduca illa et dominum mutantia ubi sint nescio: quod ad res meas
- 7 pertinet, mecum sunt, mecum erunt. Perdiderunt isti divites patrimonia, libidinosi amores suos et magno pudoris inpendio dilecta scorta, ambitiosi curiam et forum et loca exercendis in publico vitiis destinata. feneratorum per-

diderunt tabellas, quibus avaritia falso laeta divitias imaginatur: ego quidem omnia integra inlibataque habeo. proinde istos interroga, qui flent, qui lamentantur, strictis gladiis nuda pro pecunia corpora opponunt, qui hostem onerato sinu fugiunt.“ Ergo ita habes, Serene, perfectum illum virum, humanis divinisque virtutibus plenum nihil perdere. bona eius solidis et inexcuperabilibus munimentis praeciñta sunt. non Babylonios illi muros contuleris, quos Alexander intravit, non Carthagini aut Numantiae moenia, una manu capta, non Capitolium arcemve, habent ista hostile vestigium: illa quae sapientem tuentur, et a flamma et ab incursu tuta sunt, nullum introitum praebent, excelsa, inexpugnabilia, dis aequa.

VII. Non est quod dicas ista, ut soles, hunc sapientem nostrum nusquam inveniri. non fingimus istud humani ingenii vanum decus nec ingentem imaginem falsae rei concipimus, sed qualem confirmamus, exhibuimus et exhibebimus, raro forsitan magnisque aetatum intervallis unum. neque enim magna et excedentia solitum ac vulgarem modum crebro gignuntur. ceterum hic ipse M. Cato, a cuius mentione haec disputatio processit, vereor ne supra nostrum exemplar sit. Denique validius debet esse quod laedit eo quod laeditur. non est autem fortior nequitia virtute: non potest ergo laedi sapiens. Iniuria in bonos nisi a malis non temptatur. bonis inter se pax est. mali [non] tam bonis perniciosi quam inter se. quodsi laedi nisi infirmior non potest, malus autem bono infirmior est, nec iniuria bonis nisi a dispari verenda est: iniuria in sapientem virum non cadit. illud enim iam non es admonendus neminem bonum esse nisi sapientem. „Si iniuste, inquit, Socrates damnatus est, iniuriam accepit.“ Hoc loco intellegere nos oportet posse evenire, ut faciat aliquis iniuriam mihi et ego non accipiam: tamquam si quis rem, quam e villa mea subripuit, in domo mea ponat, ille furtum fecerit, ego nihil perdiderim. Potest aliquis nocens fieri, quamvis non nocuerit: si quis cum uxore sua tamquam aliena concubat, adulter erit, quamvis illa adultera non sit. aliquis mihi venenum dedit, sed vim

suam remixtam cibo perdidit: venenum illud dando scelerari se obligavit, etiam si non nocuit. non minus latro est, cuius telum opposita veste elusum est. Omnia scelera etiam ante effectum operis, quantum culpae satis est, perfecta sunt. Quaedam eius condicionis sunt et hac vice copulantur, ut alterum sine altero esse possit, alterum sine altero non possit. quod dico conabor facere manifestum. Possum pedes movere, ut non curram: currere non possum, ut pedes non moveam. possum, quamvis in aqua sim, non natare: si nato, non possum in aqua non esse. Ex hac sorte et hoc est de quo agitur. si iniuriam accepi, necesse est factam esse. si est facta, non est necesse accepisse me. multa enim incidere possunt quae submoveant iniuriam: ut intentatam manum deicere aliquis casus potest et emissa tela declinare, ita iniurias qualescumque potest aliqua res repellere et in medio intercipere, ut et factae sint nec acceptae.

1 VIII. Praeterea iustitia nihil iniustum pati potest, quia non coeunt contraria. iniuria autem non potest fieri nisi iniuste: ergo sapienti iniuria non potest fieri. Nec est quod mireris: si nemo potest illi iniuriam facere, ne prodesse quidem quisquam potest. et sapienti nihil deest quod accipere possit loco muneris, et malus nihil potest dignum tribuere sapiente. habere enim prius debet quam dare. nihil autem habet quod ad se transferri sapiens gavisurus sit. Non potest ergo quisquam aut nocere sapienti aut prodesse, quoniam divina nec iuvare desiderant nec laedi possunt. sapiens autem vicinus proximusque dis consistit, excepta mortalitate similis deo. ad illa nitens pergensque excelsa, ordinata, intrepida, aequali et concordi cursu fluentia, segura, benigna, bono publico nata, et sibi et aliis salutaria nihil humile concupiscet, nihil flebit, qui rationi innixus per humanos casus divino  
 3 incedet animo. Non habet ubi accipiat iniuriam. ab homine me tantum dicere putas? ne a fortuna quidem, quae quotiens cum virtute congressa est, numquam par recessit. Si maximum illud, ultra quod nihil habent, iratae leges ac saevissimi domini minitantur, in quo imperium

suam fortuna consumit, aequo placidoque animo accipimus et scimus mortem malum non esse, ob hoc ne iniuriam quidem: multo facilius alia tolerabimus damna et dolores, ignominias, locorum commutationes, orbitates, discidia, quae sapientem, etiam si universa circumveniant, non mergunt, nedum ut ad singulorum impulsus moereat. Et si fortunae iniurias moderate fert, quanto magis hominum potentium, quos scit fortunae manus esse?

IX. Omnia itaque sic patitur ut hiemis rigorem et in- 1  
temperantiam coeli, ut fervores morbosque et cetera forte  
accidentia, nec de quoquam tam bene iudicat, ut illum  
quicquam putet consilio fecisse, quod in uno sapiente  
est. aliorum omnium non consilia, sed fraudes et insidiae  
et motus animorum inconditi sunt, quos casibus adnume-  
rat. omne autem fortuitum circa nos saevit et in vitia.  
Illud quoque cogitat, iniuriarum latissime patere mate- 2  
riam illis, per quae periculum nobis quaesitum est, ut ac-  
cusatore submisso aut criminatione falsa aut inritatis in  
nos potentiorum motibus, quaeque alia inter togatos la-  
trocinia sunt. est et illa iniuria frequens, si lucrum ali-  
cuius excussum est aut praemium diu captatum, si magno  
labore adfectata hereditas aversa est et quaestuosae do-  
mus gratia erepta: haec effugit sapiens, qui nescit nec in  
spem nec in metum vivere. Adice nunc quod iniuriam 3  
nemo in mota mente accipit, sed ad sensum eius pertur-  
batur. caret autem perturbatione vir erectus. erroribus  
moderatur suis altae quietis et placidae. nam si tangit il-  
lum iniuria, et movet et inpedit. caret autem ira sapiens,  
quam excitat iniuriae species, nec aliter careret ira nisi  
et iniuria, quam scit sibi non posse fieri: inde tam ere-  
ctus laetusque est, inde continuo gaudio elatus. adeo au-  
tem ad offensiones rerum hominumque non contrahitur,  
ut ipsa illi iniuria usui sit, per quam experimentum sui  
capit et virtutem temptat. Faveamus, obsecro vos, huic 4  
proposito aequisque et animis et auribus adsimus, dum  
sapiens iniuriae excipitur: nec quicquam adeo petulantiae  
vestrae aut rapacissimis cupiditatibus aut caecae temeri-  
tati superbiaeque detrahitur. salvis vitiis vestris haec sa-

patienti libertas quaeritur. non ut vobis facere non liceat iniuriam, agimus, sed ut ille omnes iniurias in altum dimittat patientiaque se ac magnitudine animi defendat.

5 Sic in certaminibus sacris plerique vicerunt, caedentium manus obstinata patientia fatigando: ex hoc puta genere sapientem eorum, qui exercitatione longa ac fideli robur perpetuendi lassandique omnem inimicam vim consecuti sunt.

1 X. Quoniam priorem partem percurrimus, ad alteram transeamus, qua quibusdam propriis, plerisque vero communibus contumeliam refutabimus. Est minor iniuria, quam queri magis quam exsequi possimus, quam leges quoque nulla dignam vindicta putaverunt. Hunc adfectum movet humilitas animi contrahentis se ob factum dictumque inhonorificum: „ille me hodie non admisit, cum alios admitteret. sermonem meum aut superbe aversatus est aut palam risit. et non in medio me lecto, sed in imo collocavit.“ et alia huius notae, quae quid vocem nisi querelas nausiantis animi? in quae fere delicati et felices incidunt. non vacat

3 enim haec notare cui peiora instant. Nimio otio ingenia natura infirma et muliebria et inopia verae iniuriae lascivientia his commoventur, quarum pars maior constat vitio interpretantis. itaque nec prudentiae quicquam in se esse nec fiduciae ostendit qui contumelia adficitur: non dubie enim contemptum se iudicat, et hic morsus non sine quadam humilitate animi evenit supprimentis se ac descendentis: sapiens autem a nullo contemnitur. magnitudinem suam novit nullique tantum de se licere nuntiat sibi et omnis has, quas non miseras animorum, sed molestias dixerim, non vincit, sed ne sentit quidem.

4 Alia sunt quae sapientem feriunt, etiam si non pervertunt, ut dolor corporis et debilitas aut amicorum liberorumque amissio et patriae bello flagrantis calamitas. haec non nego sentire sapientem. nec enim lapidis illi duritiam ferrive adserimus. nulla virtus est, quae non sentiat perpeti. Quid ergo est? quosdam ictus recipit, sed receptos evincit et sanat et comprimit. haec vero minora ne sentit



quidem nec adversus ea solita illa virtute utitur dura tolerandi, sed aut non adnotat aut digna risu putat.

XI. Praeterea cum magnam partem contumeliarum 1 superbi insolentesque faciant et male felicitatem ferentes, habet quo istum adfectum inflatum respuat, pulcherrimam virtutem omnium [animi], magnanimitatem: illa quicquid eiusmodi est, transcurrit ut vanas species somniorum visusque nocturnos nihil habentis solidi atque veri. Si- 2 mul illud cogitat, omnes inferiores esse, quam ut illis audacia sit tanto excelsiora despiciere. Contumelia a contemptu dicta est, quia nemo nisi quem contempsit, tali iniuria notat. nemo autem maiorem melioremque contemnit, etiam si facit aliquid, quod contemnentes solent: nam et pueri os parentum feriunt et crines matris turbavit laceravitque infans et sputo adpersit aut nudavit in conspectu suorum tegenda et verbis obscoenioribus non pepercit. et nihil horum contumeliam dicimus. quare? quia qui fecit, contemnere non potest. Eadem causa est, cur 3 nos Mancipiorum nostrorum urbanitas in dominos contumeliosa delectet, quorum audacia ita demum sibi inconvivas ius facit, si coepit a domino. et ut quisque contemptissimus et [ut] ludibrium est, ita solutissimae linguae est. Pueros quidam in hoc mercantur procaces et illorum inpudentiam acuunt ac sub magistro habent, qui probra meditate effundunt, nec has contumelias vocamus, sed argutias: quanta autem dementia est iisdem modo delectari, modo offendi et rem ab amico dictam maledictum vocare, a servulo iocularare convicium?

°XII. Quem animum nos adversus pueros habemus, 1 hunc sapiens adversus omnes, quibus etiam post iuventam canosque puerilitas est. an quicquam isti profecerunt, quibus \* animi mala sunt auctique in maius errores, qui a pueris magnitudine tantum formaque corporum differunt, ceterum non minus vagi incertique, voluptatum sine delectu adpetentes, trepidi et non ingenio, sed formidine quieti? Non ideo quicquam inter illos puerosque 2 interesse quis dixerit, quod illis talorum nucumve et aeris minuti avaritia est, his auri argenteique et urbium. quod

illi inter ipsos magistratus gerunt et praetextam fascisque ac tribunal imitantur, hi eadem in campo foroque et in curia serio ludunt. illi in litoribus arenae congestu simulacra domuum excitant, hi ut magnum aliquid agentes in lapidibus ac parietibus et tectis moliendis occupati tutelae corporum inventa in periculum verterunt. ergo par pueris longiusque progressis, sed in alia maioraque error  
 3 est. Non immerito itaque horum contumelias sapiens ut iocos accipit. et aliquando illos tamquam pueros malo poenaeque admonet [adficit], non quia accepit iniuriam, sed quia fecerunt et ut desinant facere. sic enim et pecora verbere domantur, nec irascimur illis, cum sessorem recusaverunt, sed conpescimus, ut dolor contumaciam vincat. Ergo et illud solutum scies, quod nobis opponitur: „quare, si non accepit iniuriam sapiens nec contumeliam, punit eos qui fecerunt?“ non enim se ulciscitur, sed illos emendat.

1 XIII. Quid est autem, quare hanc animi firmitatem non credas in virum sapientem cadere, cum tibi in aliis idem notare, sed non ex eadem causa liceat? quis enim phrenetico medicus irascitur? quis febricitantis et a frigida  
 2 prohibiti maledicta in malam partem accipit? Hunc adfectum adversus omnis habet sapiens, quem adversus aegros suos medicus, quorum nec obscoena, si remedio egent, contrectare nec reliquias et effusa intueri dedignatur nec per furorem saevientium excipere convicia: scit sapiens omnis hos qui togati purpuralique incedunt, valentes coloratos, male sanos esse, quos non aliter videt quam aegros intemperantis. itaque ne succenset quidem, si quid in morbo petulantius ausi sunt adversus medentem, et quo animo honores eorum nihilo aestimat, eodem  
 3 parum honorifice facta. Quemadmodum non placebit sibi, si illum mendicus coluerit, nec contumeliam iudicabit, si illi homo plebis ultimae salutanti mutuam salutationem non reddiderit: sic [se] ne suspiciet quidem, si illum multi divites suspexerint. scit enim illos nihil a mendicis differre, immo miseriores esse. illi enim exiguo, hi multo egent. et rursus non tangetur, si illum rex Medorum At-

talusve Asiae salutantem silentio ac vultu adroganti transierit. scit statum eius non magis habere quicquam invidendum quam eius, cui in magna familia cura obtigit aegros insanosque conpescere. Num moleste feram, si mihi non reddiderit nomen aliquis ex his, qui ad Castoris negotiantur nequam mancipia ementes vendentesque, quorum tabernae pessimorum servorum turba refertae sunt? non, ut puto. quid enim is boni habet, sub quo nemo nisi malus est? Ergo ut huius humanitatem inhumanitatemque negligit, ita et regis: habes sub te Parthos et Medos et Bactrianos, sed quos metu contines, sed propter quos remittere arcum tibi non contingit, sed postremos, sed venales, sed novum aucupantes dominium. Nullius ergo movebitur contumelia. omnes enim inter se differunt, sapiens quidem pares illos ob aequalem stultitiam omnis putat. nam si semel se demiserit eo, ut aut iniuria moveatur aut contumelia, non potuerit umquam esse securus. securitas autem proprium bonum sapientis est, nec committet, ut iudicando contumeliam sibi factam honorem habeat ei qui fecit. necesse est enim a quo quisque contemni moleste ferat, suspici gaudeat.

XIV. Tanta quosdam dementia tenet, ut sibi contumeliam fieri putent posse a muliere. quid refert quam habeant, quot lecticarios habentem, quam oneratas aures, quam laxam sellam? aequae imprudens animal est et, nisi scientia accessit ac multa eruditio, ferum, cupiditatum incontinens. Quidam se a cinerario impulsos moleste ferunt et contumeliam vocant ostiarii difficultatem, nomenclatoris superbiam, cubicularii supercilium. o quantus inter ista risus tollendus est, quanta voluptate implendus animus ex alienorum errorum tumultu contemplanti quietem suam! Quid ergo? sapiens non accedet ad fores, quas durus ianitor obsidet? ille vero, si res necessaria vocabit, experietur et illum quisquis erit tamquam canem acrem obiecto cibo leniet nec indignabitur aliquid inpendere, ut limen transeat, cogitans et in pontibus quibusdam pro transitu dari. itaque illi quoque, quisquis erit, qui hoc salutationum publicum exerceat, donabit. scit

emere venalia. Ille pusilli animi est, qui sibi placet, quod ostiario libere respondit, quod virgam eius fregit, quod ad dominum accessit et petiit corium. facit se adversarium qui contendit, et ut vincat, par fuit. „At sapiens colaphis percussus quid faciet?“ quod Cato, cum illi os percussum esset: non excanduit, non vindicavit iniuriam, ne remisit quidem, sed factam negavit: maiore animo non agnovit quam ignovisset. Non diu in hoc haerebimus: quis enim nescit nihil ex his, quae creduntur mala aut bona, ita videri sapienti ut omnibus? non respicit, quid homines turpe iudicent aut miserum. non ita qua populus, sed ut sidera contrarium mundo iter intendunt, ita hic adversus opinionem omnium vadit.

- 1 XV. Desinite itaque dicere: „Non accipiet ergo sapiens iniuriam, si caedetur, si oculus illi eruetur? non accipiet contumeliam, si obscoenorum vocibus improbis per forum agetur? si in convivio regis recumbere infra mensam vescique cum servis ignominiosa officia sortitis iubebitur? si quid aliud ferre coegetur eorum quae excogitari pudori ingenuo molesta possunt?“ In quantumcumque ista vel numero vel magnitudine creverint, eiusdem naturae erunt: si non tangent illum parva, ne maiora quidem. si non tangent pauca, ne plura quidem. sed ex inbecillitate vestra coniecturam capitis ingentis animi, et cum cogitastis, quantum putetis vos pati posse, sapientis patientiae paulo ulteriorem terminum ponitis: at illum in aliis mundi finibus sua virtus collocavit nihil
- 3 vobiscum commune habentem. Quare et aspera et quaecumque toleratu gravia sunt audituque et visu refugienda, — non obruetur eorum coetu et qualis singulis, talis universis obsistet. qui dicit illud tolerabile sapienti, illud intolerabile, et animi magnitudinem intra certos fines tenet, male agit: vincit nos fortuna, nisi tota vincitur. Ne putes istam Stoicam esse duritiam, Epicurus, quem vos patronum inertiae vestrae adsumitis putatisque mollia ac desidiosa praecipere et ad voluptates ducentia: „raro, inquit, fortuna sapienti intervenit.“ quam paene emisit viri vocem! Vis tu fortius loqui et illam ex toto submo-

vere? Domus haec sapientis angusta, sine cultu, sine strepitu, sine adparatu, nullis adservatur ianitoribus turbam venali fastidio digerentibus, sed per hoc lumen vacuum et ab ostiariis liberum fortuna non transit. scit non esse illic sibi locum, ubi sui nihil est.

XVI. Quodsi Epicurus quoque, qui corpori plurimum indulisit, adversus iniurias exsurgit, *qui id* apud nos incredibile videri potest aut supra humanae naturae mensuram? ille ait iniurias tolerabiles esse sapienti, nos iniurias non esse. nec enim est, quod dicas hoc naturae repugnare. Non negamus rem incommodam esse verberari et impelli et aliquo membro carere, sed omnia ista negamus iniurias esse. non sensum illis doloris detrahimus, sed nomen iniuriae, quod non potest recipi virtute salva. Uter verius dicat videbimus: ad contemptum quidem iniuriae uterque consentit. Quaeris quid inter duos intersit? quod inter gladiatores fortissimos, quorum alter premit volnus et stat in gradu, alter respiciens ad clamantem populum significat nihil esse et intercedi non patitur. Non est, quod putes magnum, quo dissidemus: illud quo de agitur, quod unum ad vos pertinet, utraque exempla hortantur, contemnere iniurias et quas iniuriarum umbras ac suspiciones dixerim, contumelias, ad quas despiciendas non sapiente opus est viro, sed tantum conspiciente, qui sibi possit dicere: „utrum merito mihi ista accidunt an inmerito? si merito, non est contumelia, iudicium est. si inmerito, illi qui iniusta facit, erubescendum est.“ Et quid est illud quod contumelia dicitur? in capitis mei laevitatem iocatus est et in oculorum validitudinem et in erurum gracilitatem et in staturam: quae contumelia est, quod adparet audire? Coram uno aliquid dictum rideamus, coram pluribus indignamur et eorum aliis libertatem non relinquimus, quae ipsi in nos dicere adsuevimus. locis temperatis delectamur, inmodicis irascimur.

XVII. Chrysippus ait quandam indignatum, quod illum aliquis vervecem marinum dixerat. In senatu flentem vidimus Fidum Cornelium, Nasonis Ovidii generum, cum illum Corbulo struthocamelum depila-

tum dixisset. adversus alia maledicta mores et vitia convolnerantia frontis illi firmitas constiit, adversus hoc tam absurdum lacrimae prociderunt: tanta animorum in-  
 2 becillitas est, ubi ratio discessit. Quid quod offendimur, si quis sermonem nostrum imitatur, si quis incessum, si quis vitium aliquod corporis aut linguae exprimit? quasi notiora illa fiant alio imitante quam nobis facientibus. senectutem quidam inviti audiunt et canos et alia ad quae voto pervenitur. paupertatis maledictum quosdam perussit, quam sibi obiecit quisquis abscondit: itaque materia petulantibus et per contumeliam urbanis detrahitur, si ultro illam et prior occupes. Nemo risum praebuit qui ex  
 3 se cepit. Vatinius, hominem natum et ad risum et ad odium, scurram fuisse et venustum ac dicacem memoriae proditum est. in pedes suos ipse plurima dicebat et in fauces concisas. sic inimicorum, quos plures habebat quam morbos, et in primis Ciceronis urbanitatem effugerat. Si hoc potuit ille duritia oris, qui adsiduis conviciis depudere didicerat: cur is non possit, qui studiis liberalibus et sapientiae cultu ad aliquem profectum pervenerit?  
 4 Adice quod genus ultionis est eripere ei, qui fecit, factae contumeliae voluptatem. solent dicere: „o miserum me! puto, non intellexit“: adeo fructus contumeliae in sensu et indignatione patientis est. Deinde non deerit illi aliquando par. invenietur qui te quoque vindicet.

1 XVIII. C. Caesar inter cetera vitia, quibus abundabat, contumeliosus mirabiliter ferebatur omnis aliqua nota feriendi, ipse materia risus benignissima: tanta illi palloris insaniam testantis foeditas erat, tanta oculorum sub fronte anili latentium torvitas, tanta capitis destituti et emendicatis capillis adpersi deformitas. adice obsessam setis cervicem et exilitatem crurum et enormitatem pedum. Imensum est, si velim singula referre, per quae in parentes avosque suos contumeliosus fuit, per quae in universos ordines: ea referam, quae illum exitio de-  
 2 derunt. Asiaticum Valerium in primis amicis habebat, ferocem virum et vix aequo animo alienas contumelias laturum. huic in convivio, item in concione voce claris-

sima, qualis in concubitu esset uxor eius, obiecit. di boni,  
 hoc virum audire, principem scire et usque eo licentiam  
 pervenisse, ut, non dico consulari, non dico amico, sed  
 tantum marito princeps et adulterium suum narret et fa-  
 stidium? Chaereae, tribuno militum, sermo non pro manu 3  
 erat, languidus sono et, ni facta nosses, suspectior. huic  
 Caius signum petenti modo Veneris, modo Priapi  
 dabat aliter atque aliter exprobrans armato mollitiam.  
 haec ipse perlucidus, crepidatus, auratus. coegit itaque  
 illum uti ferro, ne saepius signum peteret: ille primus in-  
 ter coniuratos manum sustulit, ille cervicem mediam uno  
 ictu decedit. plurimum deinde undique publicas ac priva-  
 tas iniurias ulciscantium gladiatorum ingestum est, sed pri-  
 mus vir fuit, qui minime visus est. At idem Caius omnia 4  
 contumelias *putans*, ut sunt ferendarum impatientes fa-  
 ciendarum cupidissimi, iratus fuit Herennio Macro, quod  
 illum Caium salutaverat. nec inpune cessit primipilari,  
 quod Caligulam dixerat. hoc enim in castris natus et  
 alumnus legionum vocari solebat, nullo nomine militibus  
 familiarior unquam factus. sed iam Caligulam convi-  
 cium et probrum iudicabat. Conturbatis ergo hoc ipsum 5  
 solatio erit, etiamsi nostra facilitas ultionem omiserit, fu-  
 turum aliquem qui poenas exigat a procace et superbo et  
 iniurioso, quae vitia numquam in uno homine et in una  
 contumelia consumuntur. Respiciamus eorum exempla,  
 quorum laudamus patientiam, ut Socratis, qui comoedia-  
 rum publicatos in se et spectatos sales in partem bonam  
 accepit risitque non minus, quam cum ab uxore Xan-  
 thippe immunda aqua perfunderetur. Antistheni mater  
 barbara et Thraessa obieciatur. respondit et deorum  
 matrem Idaeam esse.

XIX. Non est in rixam colluctationemque veniendum. 1  
 procul auferendi pedes sunt et quicquid horum ab impru-  
 dentibus fiet (fieri autem nisi ab imprudentibus non pot-  
 est) negligendum et honores iniuriaeque volgi in pro-  
 miscuo habendae. nec his dolendum nec illis gaudendum:  
 alioquin multa timore contumeliarum aut taedio neces- 2  
 saria omitemus publicisque et privatis officiis, ali

quando etiam salutaribus non occurremus, dum muliebris nos cura angit aliquid contra animum audiendi. aliquando etiam obirati potentibus detegemus hunc adfectum intemperanti libertate. non est autem libertas nihil pati. fallimur. libertas est animum superponere iniuriis et eum facere se, ex quo solo sibi gaudenda veniant. exteriora deducere a se, ne inquieta agenda sit vita omnium risus, omnium linguas timenti. quis enim est, qui non possit  
 3 contumeliam facere, si quisquam potest? Diverso autem remedio utetur sapiens adfectatorque sapientiae: imperfectis enim et adhuc ad publicum se iudicium dirigentibus hoc proponendum est inter iniurias ipsos contumeliasque debere versari: omnia leviora accident expectantibus. quo quisque honestior genere, fama, patrimonio est, hoc se fortius gerat. memor in prima acie altos ordines stare, contumelias et verba probrosa et ignominias et cetera dehonesta velut clamorem hostium ferat et longinqua tela et saxa sine vulnere circa galeas crepitanantia. iniurias vero ut vulnera, alia armis, alia pectori infixas, non deiectus, ne motus quidem gradu sustineat. etiamsi premeris et infesta vi urgeris, cedere tamen turpe est: adsignatum a natura locum tuere. quaeris  
 4 quis hic sit locus? viri. Sapienti aliud auxilium est huic contrarium. vos enim rem geritis, illi parta victoria est. Ne repugnetis vestro bono et hanc spem, dum ad verum pervenistis, alite in animis libentesque meliora excipite et opinione ac voto iuvate: esse aliquid invictum, esse aliquem, in quem nihil fortuna possit, e republica est generis humani.

---



L. ANNAEI SENECAE  
DIALOGORUM LIBER III.

AD NOVATUM

D E I R A

LIBER I.

---

I. **E**xegisti a me, Novate, ut scriberem quemadmo- 1  
dum posset ira leniri, nec inmerito mihi videris hunc  
praecipue adfectum pertimuisse maxime ex omnibus te-  
trum ac rabidum. ceteris enim aliquid quieti placidique  
inest, hic totus concitatus et in inpetu est doloris, armo-  
rum, sanguinis, suppliciorum minime humana furens cu-  
pitudine, dum alteri noceat, si neglegens, in ipsa intruens  
tela et ullionis secum ultorem tracturae avidus. Quidam 2  
itaque ex sapientibus viris iram dixerunt brevem insa-  
niam. aequae enim inpotens sui est, decoris oblita, neces-  
situdinum inmemor, in quod coepit pertinax et intenta,  
rationi consiliisque praecclusa, vanis agitata causis, ad di-  
spectum aequi verique inhabilis, ruinis simillima, quae  
super id quod oppressere franguntur. Ut scias autem 3  
non esse sanos quos ira possedit, ipsum illorum habitum  
intuere. nam ut furentium certa indicia sunt, audax et  
minax voltus, tristis frons, torva facies, citatus gradus,  
inquietae manus, color versus, crebra et vehementius  
acta suspiria, ita irascentium eadem signa sunt: flagrant 4  
ac micant oculi, multus ore toto rubor exaestuante ab  
imis praecordiis sanguine. labra quatuntur, dentes con-  
primuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus  
ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, ge-  
mitus mugitusque et parum explanatis vocibus sermo  
praeruptus et conplosae saepius manus et pulsata humus  
pedibus et totum concitum corpus magnasque irae minas

agens, foeda visu et horrenda facies depravantium se  
 5 atque intumescendum. Nescias utrum magis detestabile  
 vitium sit an deforme. cetera licet abscondere et in ab-  
 dito alere: ira se profert et in faciem exit quantoque ma-  
 ior, hoc effervescit manifestius. Non vides ut omnium  
 animalium, simul ad nocendum insurrexerunt, praecur-  
 rant notae ac tota corpora solitum quietumque egredian-  
 6 tur habitum et feritatem suam exasperent? spumant apris  
 ora, dentes acuuntur adritu, taurorum cornua iactantur  
 in vacuum et arena pulsu pedum spargitur, leones fre-  
 munt, inflantur irritatis colla serpentibus, rabidarum can-  
 num tristis adspectus est: nullum est animal tam horren-  
 dum tamque perniciosum natura, ut non adpareat in illo,  
 7 simul ira invasit, nova feritatis accessio. Nec ignoro ce-  
 teros quoque adfectus vix occultari, libidinem metumque  
 et audaciam dare sui signa et posse praenosci. neque  
 enim ulla vehementior intra cogitatio [est], quae nihil mo-  
 veat in voltu. quid ergo interest? quod alii adfectus ad-  
 parent, hic eminent.

1 II. Iam vero si effectus eius damnaque intueri velis,  
 nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis caedes  
 ac venena et reorum mutuas sordes et urbium clades et  
 totarum exitia gentium et principum sub civili hasta ca-  
 pita venalia et subiectas tectis faces nec intra moenia co-  
 ercitos ignes, sed ingentia spatia regionum hostili flamma  
 2 relucencia. Adspice nobilissimarum civitatum fundamenta  
 vix notabilia: has ira deiecit. adspice solitudines per  
 multa milia sine habitatore desertas: has ira exhaustit.  
 adspice tot memoriae proditos duces, mali exempla fati:  
 alium ira in cubili suo confodit, alium intra sacra mensae  
 iura percussit, alium intra leges celebrisque spectaculum  
 fori lancinavit, alium filii parricidio dare sanguinem ius-  
 sit, alium servili manu regalem aperire iugulum, alium in  
 3 cruces membra diffindere. et adhuc singulorum suppli-  
 cia narro: quid, tibi si libuerit relictis in quos ira viritim  
 exarsit, adspicere caesas gladio conciones et plebem in-  
 misso milite contrucidatam et in perniciem promiscuam  
 totos populos capitis damna passos \*\*\*

[*Ira est cupiditas ulciscendae iniuriae. 4 aut, ut ait Posidonius, cupiditas puniendi eius, a quo te inique putes laesum. Quidam ita definiunt: ira est incitatio animi ad nocendum ei, qui aut nocuit aut nocere voluit.*]

\*\*\* tamquam aut curam nostram deserentibus aut 5 auctoritatem contemnentibus. Quid? gladiatoribus quare populus irascitur et tam inique, ut iniuriam putet, quod non libenter pereunt? contemni se iudicat et voltu, gestu, ardore a spectatore in adversarium vertitur. Quic- 6 quid est tale, non est ira, sed quasi ira, sicut puerorum, qui si ceciderunt, terram verberari volunt et saepe ne sciunt quidem, cui irascantur, sed tantum irascuntur, sine causa et sine iniuria, non tamen sine aliqua iniuriae specie nec sine aliqua poenae cupiditate. deluduntur itaque imitatione plagarum et simulatis deprecantium lacrimis placantur et falsa ultione falsus dolor tollitur.

III. „Irascimur, inquit, saepe non illis qui laeserunt, 1 sed iis qui laesuri sunt: ut scias iram non [tantum] ex iniuria nasci.“ Verum est irasci nos laesuris, sed ipsa cogitatione nos laedunt et iniuriam qui facturus est, iam facit. „Ut scias, inquit, non esse iram poenae cupidita- 2 tem, infirmissimi saepe potentissimis irascuntur. nec poenam concupiscunt quam non sperant.“ Primum diximus cupiditatem esse poenae exigendae, non facultatem. concupiscunt autem homines et quae non possunt. Deinde nemo tam humilis est, qui poenam vel summi hominis sperare non possit: ad nocendum potentes sumus. Ari- 3 stotelis finitio non multum a nostra abest. ait enim iram esse cupiditatem doloris reponendi. Quid inter nostram et hanc finitionem intersit, exsequi longum est. contra utramque dicitur feras irasci nec iniuria inritatas nec poenae dolorisve alieni causa. nam etiamsi haec efficiunt, non haec petunt. Sed dicendum est feras ira 4 carere et omnia praeter hominem. nam cum sit inimica rationi, nusquam tamen nascitur, nisi ubi rationi locus est. Inpetus habent ferae, rabiem, feritatem, ineursum: iram quidem non magis quam luxuriam. et in quasdam

5 voluptates intemperantiores homine sunt. Non est quod credas illi qui dicit:

*non aper irasci meminit, non fidere cursu  
cerva nec armentis incurrere fortibus ursi.*

irasci dicit incitari, inpingi. irasci quidem non magis  
6 sciunt quam ignoscere. Muta animalia humanis adfectibus carent, habent autem similes illis quosdam impulsus: alioquin si amor in illis esset, et odium esset. si amicitia, et simultas. si dissensio, et concordia: quorum aliqua in illis quoque exstant vestigia, ceterum humanorum  
7 pectorum propria bona malaque sunt. Nulli nisi homini concessa prudentia est, providentia, diligentia, cogitatio. nec tantum virtutibus humanis animalia, sed etiam vitiis prohibita sunt. Tota illorum ut extra ita intra forma humanae dissimilis est: [regium est illud et principale aliter dictum.] ut vox est quidem, sed non explanabilis et perturbata et verborum inefficax. ut lingua, sed devincta nec in motus varios soluta: ita ipsum principale parum subtile, parum exactum. capit ergo visus speciesque rerum quibus ad inpetus evocetur, sed turbidas et confusas.  
8 ex eo procursus illorum tumultusque vehementes sunt, metus autem sollicitudinesque et tristitia et ira non sunt, sed his quaedam similia: ideo cito cadunt et mutantur in contrarium et cum acerrime saevierunt expaveruntque, pascuntur et ex fremitu discursuque vesano statim quies soporque sequitur.

1 IV. Quid esset ira satis explicitum est. quo distet ab iracundia adparet: quo ebrius ab ebrioso et timens a timido. Iratus potest non esse iracundus: iracundus [non] potest aliquando iratus non esse. Cetera quae pluribus apud Graecos nominibus in species iram distinguunt, quia apud nos vocabula sua non habent, praeteribo, etiamsi amarum nos acerbumque dicimus, nec minus stomachosum, rabiosum, clamosum, difficilem, asperum, quae omnia irarum differentiae sunt. inter hos  
3 morosum ponas licet, delicatum iracundiae genus. quaedam enim sunt irae, quae intra clamorem concidant. quaedam non minus pertinaces quam frequentes. quae-

dam saevae manu, verbis parciores. quaedam in verborum maledictorumque amaritudinem effusae. quaedam ultra querelas et adversationes non exeunt. quaedam altae gravesque sunt et introrsus versae. Mille aliae species sunt mali multiplicis.

V. Quid esset ira quaesitum est, an in ul-<sup>1</sup> lum aliud animal quam in hominem caderet, quo ab iracundia distaret et quae eius species essent: nunc quaeramus, an ira secundum naturam sit et an utilis atque ex aliqua parte retinenda.

An secundum naturam sit manifestum erit, si<sup>2</sup> hominem inspexerimus: quo quid est mitius, dum in recto animi habitu est? quid autem ira crudelius est? Quid homine aliorum amantius? quid ira infestius? Homo in adiutorium mutuum genitus est, ira in exitium. hic congregari vult, illa discedere. hic prodesse, illa nocere. hic etiam ignotis succurrere, illa etiam carissimos *perdere*. hic aliorum incommodis vel inpendere se paratus est, illa in periculum, dummodo deducat, descendere. Quis ergo<sup>3</sup> magis naturam ignorat rerum quam qui optimo eius operi et emendatissimo hoc ferum ac perniciosum vitium adsignat? Ira, ut diximus, avida poenae est, cuius cupidinem inesse pacatissimo hominis pectori minime secundum eius naturam est. beneficiis enim humana vita constat et concordia, nec terrore, sed mutuo amore in foedus auxiliumque commune constringitur.

VI. Quid ergo? non aliquando castigatio necessaria<sup>1</sup> est? quidni? sed haec sincera, cum ratione. non enim nocet, sed medetur specie nocendi. Quemadmodum quaedam hastilia detorta ut corrigamus, adurimus et adactis cuneis, non ut frangamus, sed ut explicemus, elidimus: sic ingenia vitio prava dolore corporis animique corrigimus. Nempe medicus primo in levibus vitiis temptat non<sup>2</sup> multum ex cotidiana consuetudine inflectere et cibis, potionibus, exercitationibus ordinem inponere ac validitatem tantum mutata vitae dispositione firmare. proximum est, ut modus proficiat. si modus et ordo non proficit,

- subducit aliqua et circumcidit. si ne ad hoc quidem respondet, interdicit cibis et abstinentia corpus exonerat. si frustra molliora cesserunt, ferit venam membrisque, si adhaerentia nocent et morbum diffundunt, manus adfert: nec ulla dura videtur curatio, cuius salutaris effectus est.
- 3 Ita legum praesidem civitatisque rectorem decet, quamdiu potest, verbis et his mollioribus ingenia curare, ut facienda suadeat cupiditatemque honesti et aequi conciliet animis faciatque vitiorum odium, pretium virtutum. trans-eat deinde ad tristiores orationem, qua moneat adhuc et exprobret. novissime ad poenas et has adhuc leves et revocabiles decurrat. ultima supplicia sceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis
- 4 intersit. Hoc uno medentibus erit dissimilis, quod illi quibus vitam non potuerunt largiri, facilem exitum praestant, hic damnatos cum dedecore et traductione vita exigit, non quia delectetur ullius poena, procul est enim a sapiente tam inhumana feritas, sed ut documentum omnium sint, et qui *aliis vivi* noluerunt prodesse, morte certe eorum respublica utatur. Non est ergo natura hominis poenae adpetens: ideo ne ira quidem secundum naturam ho-
- 5 minis, quia poenae adpetens est. Et Platonis argumentum adferam: quid enim nocet alienis uti ex parte qua nostra sunt? *Vir bonus, inquit, non laedit. poena laedit. bono ergo poena non convenit. ob hoc nec ira, quia poena irae convenit. Si vir bonus poena non gaudet, non gaudebit ne eo quidem adfectu, cui poena voluptati est: ergo non est naturalis ira.*
- 1 VII. Numquid, quamvis non sit naturalis ira, adsumenda est, quia utilis saepe fuit? Extollit animos et incitat. nec quicquam sine illa magnificentum in bello fortitudo gerit, nisi hinc flamma subdita est et hic stimulus peragitavit misitque in pericula audaces. Optimum itaque quidam putant temperare iram, non tollere, eoque detracto quod exundat, ad salutarem modum cogere, id vero retinere, sine quo languebit actio et vis
- 2 ac vigor animi resolvetur. Primum facilius est excludere perniciose quam regere, et non admittere quam admissa

moderari. nam cum se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt nec recidi se minuere patiuntur. Deinde ratio ipsa, cui freni traduntur, tamdiu potens est quamdiu diducta est ab adfectibus. si miscuit se illis et inquinavit, non potest continere quos submovere potuisset. commota enim semel et excussa mens ei servit, quo impellitur. Quarumdam rerum initia in nostra potestate sunt, ulteriora nos vi sua rapiunt nec regressum relinquunt. Ut in praeceptis datis corporibus nullum sui arbitrium est nec resistere morarive deiecta potuerunt, sed consilium omne et poenitentiam inrevocabilis praecipitatio abscidit et non licet eo non pervenire, quo non ire licuisset: ita animus si in iram, amorem aliosque se proiecit adfectus, non permittitur reprimere inpetum. rapiat illum oportet et ad imum agat pondus suum et vitiorum natura proclivis.

VIII. Optimum est primum iritamentum irae protinus spernere ipsisque repugnare seminibus [et dare operam ne incidamus in iram]. nam si coepit ferre transversos, difficilis ad salutem recursus est, quoniam nihil rationis est, ubi semel adfectus inductus est iusque illi aliquod voluntate nostra datum est: faciet de cetero quantum volet, non quantum permiseris. In primis, inquam, finibus hostis arcendus est. nam cum intravit et portis se intulit, modum a captivis non accipit. neque enim sepositus est animus et extrinsecus speculatur adfectus, ut illos non patiatul ultra quam oportet procedere, sed in adfectum ipse mutatur ideoque non potest utilem illam vim et salutarem, proditam iam infirmatamque revocare. Non enim, ut dixi, separatas ista sedes suas diductasque habent, sed adfectus et ratio in melius peiusque mutatio animi est. Quomodo ergo ratio occupata et oppressa vitiiis resurget, quae irae cessit? aut quemadmodum ex confusione se liberabit, in qua peiorum mixtura praevaluit? „Sed quidam, inquit, in ira se continent.“ Utrum ergo ita, ut nihil faciant eorum quae ira dictat an ut aliquid? si nihil faciunt, adparet non esse ad actiones rerum necessariam iram, quam vos, quasi fortius aliquid ratione

5 haberet, advocabatis. Denique interrogo, valentior est quam ratio an infirmior? Si valentior, quomodo illi modum ratio poterit inponere, cum parere nisi inbecilliora non soleant? si infirmior est, sine hac per se ad rerum effectus sufficit ratio nec desiderat inbecillioris auxilium.

6 „At irati quidam constant sibi et se continent.“ Quando? cum iam ira evanescit et sua sponte decedit, non cum in

7 ipso fervore est. tunc enim potentior est. Quid ergo? non aliquando in ira quoque et dimittunt incolumis intactosque quos oderunt, et a nocendo abstinere? faciunt. quando? cum adfectus repercussit adfectum et aut metus aut cupiditas aliquid inpetravit. non rationis tunc beneficio quievit, sed adfectuum infida et mala pace.

1 IX. Deinde nihil habet in se utile nec acuit animum ad res bellicas. numquam enim virtus vitio adiuvanda est se contenta. quotiens inpetu opus est, non irascitur, sed exurgit et in quantum putavit opus esse, concitatur remittiturque, non aliter quam quae tormentis exprimuntur tela, in potestate mittentis sunt in quantum torque-

2 antur. *Ira, inquit Aristoteles, necessaria est. nec quicquam sine illa expugnari potest, nisi illa inplet animum et spiritum accendit. utendum autem illa est non ut duce, sed ut milite.* quod falsum est. nam si exaudit rationem sequiturque qua ducitur, iam non est ira, cuius proprium est contumacia. si vero repugnat et non ubi iussa est quiescit, sed libidine ferociaque provehitur, tam inutilis animi minister est quam miles, qui signum receptui ne-

3 glegit. Itaque si modum adhiberi sibi patitur, alio nomine adpellanda est, desiit ira esse, quam effrenatam indomitamque intellego. si non patitur, pernicioosa est nec

4 inter auxilia numeranda. Ita aut ira non est aut inutilis est. nam si quis poenam exigit non ipsius poenae avidus, sed quia oportet, non est adnumerandus iratis. Hic erit utilis miles qui scit parere consilio. adfectus quidem tam mali ministri quam duces sunt.

1 X. Ideo numquam adsumet ratio in adiutorium improvidos et violentos inpetus, apud quos nihil ipsa auctoritatis habeat, quos numquam comprimere possit, nisi pa-



res illis similisque opposueris, ut irae metum, inertiae iram, timori cupiditatem. Absit hoc a virtute malum, ut <sup>2</sup> umquam ratio ad vitia confugiat. Non potest hic animus fidele otium capere. quatiatur necesse est fluctueturque qui malis suis tutus est, qui fortis esse nisi irascitur non potest, industrius nisi cupit, quietus nisi timet: in tyrannide illi vivendum est in alicuius adfectus venienti servitutem. Non pudet virtutes in clientelam vitiorum demittere? Deinde desinit quicquam posse ratio, si nihil <sup>3</sup> potest sine adfectu, et incipit par illi similisque esse. quid enim interest, si aequae adfectus inconsulta res est sine ratione quam ratio sine adfectu inefficax? par utrumque est, ubi esse alterum sine altero non potest. Quis autem sustineat adfectum exaequare rationi? „Ita, inquit, utilis <sup>4</sup> adfectus est, si modicus est.“ Immo si natura utilis est. sed si inpatiens imperii rationisque est, hoc dumtaxat moderatione consequetur, ut quo minor fuerit, minus noceat: ergo modicus adfectus nihil aliud quam malum modicum est.

XI. „Sed adversus hostes, inquit, ira est necessaria?“ <sup>1</sup> Nusquam minus: ubi non effusos esse oportet inpetus, sed temperatos et obedientes. Quid enim est aliud, quod barbaros tanto robustiores corporibus, tanto patientiores laborum comminuat nisi ira infestissima sibi? gladiatores quoque ars tuetur, ira denudat. Deinde quid opus <sup>2</sup> est ira, cum idem proficiat ratio? an tu putas venatorem irasci feris? atqui et venientis excipit et fugientis persequitur, et omnia illa sine ira facit ratio. Quid Cimbrorum Teutonorumque tot milia superfusa Alpibus ita sustulit, ut tantae cladis notitiam ad suos non nuntius, sed fama pertulerit, nisi quod erat illis pro virtute ira? quae ut aliquando propulit stravitque obvia, ita saepius sibi exitio est. Germanis quid est animosius? quid ad incursum <sup>3</sup> acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur innutriunturque, quorum unica illis cura est in alia negligentibus. quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegimenta corporum provisa sint, non suffugia adversus perpetuum coeli rigorem:

4 hos tamen Hispani Gallique et Asiae Syriaeque molles bello viri, antequam legio visatur, caedunt ob nullam aliam rem opportunos quam iracundiam. Agedum illis corporibus, illis animis delicias, luxum, opes ignorantibus da rationem, da disciplinam: ut nil amplius dicam, 5 necesse erit certe nobis mores Romanos repetere. Quo alio Fabius adfectas imperii vires recreavit, quam quod cunctari et trahere et morari scivit, quae omnia irati nesciunt? Perierat imperium, quod tunc in extremo stabat, si Fabius tantum ausus esset quantum ira suadebat: habuit in consilio fortunam publicam et aestimatis viribus, ex quibus iam perire nihil sine universo poterat, dolorem ultionemque seposuit. in unam utilitatem et occasio- 6 nes intentus iram ante vicit quam Hannibalem. Quid Scipio? non relicto Hannibale et Punico exercitu omnibusque quibus irascendum erat, bellum in Africam transulit tam lentus, ut opinionem luxuriae segnitiaeque malignis daret? Quid alter Scipio? non circa Numantiam multum diuque sedit et hunc suum publicumque dolorem aequo animo tulit, diutius Numantiam quam Carthaginem 7 vinci? dum circumvallat et includit hostem, eo compulit, ut ferro ipsi suo caderent. Non est itaque utilis ne in proeliis quidem aut bellis ira. in temeritatem enim prona est, et pericula dum inferre vult, non cavet. Illa certissima est virtus quae se diu multumque circumspexit et rexit et ex lento ac destinato provexit.

1 XII. „Quid ergo? [inquit,] vir bonus non irascitur, si caedi patrem suum viderit, si rapi matrem?“ Non irascetur, sed vindicabit, sed tuebitur. Quid autem? times, ne parum magnus illi stimulus etiam sine ira pietas sit? aut dic eodem modo: Quid ergo? cum videat secari patrem suum filiumve, vir bonus non flebit nec linquetur animo? quae accidere feminis videmus, quotiens illas levis peri- 2 culi suspicio percudit. Officia sua vir bonus exsequitur inconfusus, intrepidus. et sic bono viro digna faciet, ut nihil faciat viro indignum. Pater caedetur: defendam. 3 caesus est: exsequar, quia oportet, non quia dolet. Cum hoc dicis, Theophraste, quaeris invidiam praeceptis for-

tioribus et relicto iudice ad coronam venis. quia unusquisque in eiusmodi suorum casu irascitur, putas iudicatuos homines id fieri debere, quod faciunt. fere enim iustum quisque adfectum iudicat, quem agnoscit. Ira- 4  
seuntur boni viri pro suorum iniuriis: sed idem faciunt, si calda non bene praebetur, si vitreum fractum est, si calceus luto sparsus est. Non pietas illam iram, sed infirmitas movet, sicut pueris, qui tam parentibus amissis flebunt quam nucibus. Irasci pro suis non est pii animi, 5  
sed infirmi. Illud pulchrum dignumque, pro parentibus, liberis, amicis, civibus prodire defensorem ipso officio ducente, volentem, iudicantem, providentem, non impulsus et rabidum. nullus enim adfectus vindicandi cupidior est quam ira et ob id ipsum ad vindicandum [*tam*] inhabilis, praerapidus et amens, ut omnis fere cupiditas ipsa sibi in id in quod properat opponitur: itaque nec in pace nec in bello umquam bono fuit. pacem enim similem belli efficit, in armis vero obliviscitur Martem esse communem venitque in alienam potestatem, dum in sua non est. De- 6  
inde non ideo vitia in usum recipienda sunt, quia aliquando aliquid effecerunt. nam et febres quaedam genera valitudinis levant, nec ideo non ex toto illis caruisse melius est: abominandum remedii genus est sanitatem debere morbo. Simili modo ira, etiam si aliquando ut venenum et praecipitatio et naufragium ex inopinato profuit, non ideo salutaris iudicanda est. saepe enim saluti fuere pestifera.

XIII. Deinde quae habenda sunt [*in bonis*], quo maiora 1  
eo meliora et optabiliora sunt. Si iustitia bonum est, nemo dicet meliorem futuram, si quid detractum ex ea fuerit. si fortitudo bonum est, nemo illam desiderabit ex 2  
aliqua parte deminui: ergo et ira quo maior hoc melior. quis enim ullius boni accessionem recusaverit? atqui augeri illam inutile est: ergo et esse. Non est bonum quod incremento malum fit. „Utilis, inquit, ira est, quia pugna- 3  
ciores facit.“ Isto modo et ebrietas: facit enim protervos et audaces multique meliores ad ferrum fuere male sobrii. isto modo dic et phrenesin atque insaniam viribus

4 necessariam, quia saepe validiores furor reddit. Quid? non aliquotiens metus ex contrario fecit audacem? et mortis timor etiam inertissimos excitavit in proelium? Sed ira, ebrietas, metus aliaque eiusmodi foeda et caduca inritamenta sunt nec virtutem instruunt, quae nihil vitiiis eget, sed segnem alioqui animum et ignavum paulum adlevant. Nemo irascendo fit fortior, nisi qui fortis sine ira non fuisset. ita non in adiutorium virtutis venit, sed in vicem. Quid quod, si bonum esset ira, perfectissimum quemque sequeretur? atqui iracundissimi infantes senesque et aegri sunt. et invalidum omne natura querulum est.

1 XIV. „Non potest inquit fieri Theophrastus, ut non vir bonus irascatur malis.“ Isto modo quo melior quisque, hoc iracundior erit: vide ne contra placidior solutusque adfectibus et cui nemo odio sit. Peccantis vero quid habet cur oderit, cum error illos in eiusmodi delicta compellat? non est autem prudentis errantis odisse; alioquin ipse sibi odio erit. Cogitet quam multa contra bonum morem faciat, quam multa ex his quae egit, veniam desiderent: iam irascetur etiam sibi. neque enim aequus iudex aliam de sua, aliam de aliena causa sententiam 3 fert. Nemo, inquam, invenietur qui se possit absolvere. et innocentem quisque se dicit respiciens testem, non conscientiam. Quanto humanius mitem et patrium animum praestare peccantibus et illos non persequi, sed revocare! Errantem per agros ignorantia viae melius est ad rectum iter admovere quam expellere.

1 XV. Corrigendus est itaque, qui peccat, et admonitione et vi, et molliter et aspere, meliorque tam sibi quam aliis faciendus non sine castigatione, sed sine ira. quis enim cui medetur irascitur? at corrigi nequeunt nihilque in illis lene aut spei bonae capax est: tollantur e coetu mortaliū facturi peiora quae contingunt et quo uno modo pos- 2 sunt, desinant mali esse, sed hoc sine odio. Quid enim est, cur oderim eum, cui tum maxime prosum, cum illum sibi eripio? Num quis membra sua tunc odit, cum abscidit? non est illa ira, sed misera curatio. Rabidos ef-

fligimus canes et trucem atque inmansuetum bovem occidimus et morbidis pecoribus, ne gregem polluant, ferrum demittimus. portentosos fetus exstinguimus, liberos quoque, si debiles monstrosique editi sunt, mergimus. nec ira, sed ratio est a sanis inutilia discernere. Nil minus<sup>3</sup> quam irasci punientem decet, cum eo magis ad emendationem poena proficiat, si iudicio lata est. Inde est, quod Socrates servo ait: *caederem te, nisi irascerer*. admonitionem servi in tempus sanius distulit, illo tempore se admonuit: cuius erit tam temperatus adfectus, cum Socrates non sit ausus se irae committere?

XVI. Ergo ad coercionem errantium sceleratorum<sup>1</sup> que irato castigatore non opus est. nam cum ira delictum animi sit, non oportet peccata corrigere peccantem. Quid ergo? non irascar latroni? Quid ergo? non irascar venefico? Non. neque enim mihi irascor, cum sanguinem mitto. omne poenae genus remedii loco admoveo. Tu adhuc<sup>2</sup> in prima parte versaris errorum nec graviter laboris, sed frequenter: obiurgatio te primum secreta, deinde publicata emendare temptabit. tu longius iam processisti, quam ut possis verbis sanari: ignominia contineberis. tibi fortius aliquid et quod sentias inurendum est: in exilium et loca ignota mitteris. in te duriora remedia iam solida nequitia desiderat: et vincula publica et carcer adhibetur. tibi insanabilis animus et sceleribus scelera contexens, et<sup>3</sup> iam non causis, quae numquam malo defuturae sunt, impelleris, sed satis tibi est magna ad peccandum causa peccare, perbibisti nequitiam et ita visceribus immiscuisti, ut nisi cum ipsis exire non possit: olim miser mori quaeris, bene de te merebimur, auferemus tibi istam qua vexaris insaniam et per tua alienaque volutato supplicia id quod unum tibi bonum superest repraesentabimus, mortem. quare irascar cui cum maxime prosum? interim optimum misericordiae genus est occidere. Si intrassem vali<sup>4</sup> tudinarium exercitatus et sciens aut domus divites, non idem imperassem omnibus per diversa aegrotantibus. varia in tot animis vitia video et civitati curandae adhibitus sum: pro cuiusque morbo medicina quaeratur. hunc sa-

net verecundia, hunc peregrinatio, hunc dolor, hunc ege-  
 5 stas, hunc ferrum. Itaque, etsi perversa induenda magi-  
 stratui vestis et convocanda classico concio est, procedam  
 in tribunal non furens nec infestus, sed voltu legis et illa  
 sollemnia verba leni magis gravique quam rabida voce  
 concipiam et agi iubebo non iratus, sed severus. et cum  
 cervicem noxio imperabo praecidi et cum parricidas in-  
 suam culeo et cum mittam in supplicium militare et cum  
 Tarpeio proditorem hostemve publicum inponam, sine  
 ira eo voltu animoque ero, quo serpentes et animalia ve-  
 6 nenata percutio. „Iracundia opus est ad puniendum.“  
 Quid? tibi lex videtur irasci iis, quos non novit, quos non  
 vidit, quos non futuros sperat? illius itaque sumendus est  
 animus, quae non irascitur, sed constituit. nam si bono  
 viro ob mala facinora irasci convenit, et ob secundas res  
 malorum hominum invidere conveniet. quid enim est in-  
 dignius quam florere quosdam et eos indulgentia fortunae  
 abuti, quibus nulla potest satis mala inveniri fortuna? Sed  
 tam commoda illorum sine invidia videbit quam scelera  
 7 sine ira. Bonus iudex damnat improbanda, non odit. Quid  
 ergo? non, cum eiusmodi aliquid sapiens habebit in ma-  
 nibus, tangetur animus eius eritque solito commotior?  
 Fateor. sentiet levem quemdam tenuemque motum. nam,  
 ut dicit Zenon, *in sapientis quoque animo, etiam cum vol-  
 nus sanatum est, cicatrix manet.* Sentiet itaque suspicio-  
 nes quasdam et umbras adfectuum: ipsis quidem carebit.  
 1 XVII. Aristoteles ait *adfectus quosdam, si quis illis  
 bene utatur, pro armis esse.* quod verum foret, si velut  
 bellica instrumenta sumi deponique possent induentis ar-  
 bitrio. Haec arma quae Aristoteles virtuti dat, ipsa per  
 se pugnant, non exspectant manum, et habent, non haben-  
 2 tur. Nil aliis instrumentis opus est: satis nos instruxit ra-  
 tione natura. hoc dedit telum, firmum, perpetuum, obse-  
 quens, nec anceps nec quod in dominum remitti posset.  
 Non ad providendum tantum, sed ad res gerendas satis  
 est per se ipsa ratio. etenim quid est stultius quam hanc  
 ab iracundia petere praesidium, rem stabilem ab incerta,  
 3 fidelem ab infida, sanam ab aegra? Quid, quod ad actio-

nes quoque, in quibus solis opera iracundiae videtur necessaria, multo per se ratio fortior est? nam cum iudicavit aliquid faciendum, in eo perseverat. nihil enim melius inventura est se ipsa, quo mutetur. ideo stat semel constitutis: iram saepe misericordia retro egit. habet enim 4 non solidum robur, sed vanum tumorem violentisque principiis utitur, non aliter quam qui a terra venti surgunt et fluminibus paludibusque concepti sine pertinacia vehementes sunt: incipit magno impetu, deinde deficit 5 ante tempus fatigata, et, quae nihil aliud quam crudelitatem ac nova genera poenarum versaverat, cum animadvertendum est, iam [ira] fracta lenisque est. Adfectus cito cadit, aequalis est ratio. Ceterum etiam ubi perseveravit 6 ira, nonnumquam, si plures sunt qui perire meruerunt, post duorum triumve sanguinem occidere desinit. primi eius ictus acres sunt, sicut serpentium venena a cubili erepentium nocent, innoxii dentes sunt, cum illos frequens morsus exhaustit: ergo non paria patiuntur qui pa- 7 ria commiserunt, et saepe qui minus commisit, plus patitur, quia recentiori obiectus est: et in totum inaequalis est: modo ultra quam oportet excurrit, modo ceterius debito resistit. sibi enim indulget et ex libidine iudicat et audire non vult et patrocinio non relinquit locum et ea tenet quae invasit et eripi sibi iudicium suum, etiam si pravam est, non sinit.

XVIII. Ratio utrique parti tempus dat. deinde advo- 1 cationem et sibi petit, ut excutiendae veritati spatium habeat: ira festinat. ratio id iudicare vult quod aequum est: ira id aequum videri [non] vult quod iudicavit. Ratio 2 nil praeter ipsum de quo agitur spectat: ira vanis et extra causam obversantibus commovetur. voltus illam securior, vox clarior, sermo liberior, cultus delicatior, advocatio ambitiosior, favor popularis exasperant. saepe infesta patrono reum damnat, etiam si ingeritur oculis veritas, amat et tuetur errorem. coargui non vult et in male coeptis honestior illi pertinacia videtur quam poenitentia. Cn. Piso fuit memoria nostra vir a multis vitiis 3 integer, sed pravam et cui placebat pro constantia rigor.

Is cum iratus duci iussisset eum, qui ex commeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum non dedit. damnatus extra vallum productus est et iam cervicem porrigebat, cum subito adparuit ille commilito qui occisus  
 4 videbatur. Tunc centurio supplicio praepositus condere gladium speculatorem iubet, damnatum ad Pisonem reducit redditurus Pisoni innocentiam: nam militi fortuna reddiderat. ingenti concursu deducuntur complexi alter alterum cum magno gaudio castrorum commilitones. conscendit tribunal furens Piso ac iubet duci utrumque, et eum  
 5 militem qui non occiderat et eum qui non perierat. Quid hoc indignius? quia unus innocens adparuerat, duo peribant. Piso adiecit et tertium. nam ipsum centurionem, qui damnatum reduxerat, duci iussit. constituti sunt in  
 6 eodem illo loco perituri tres ob unius innocentiam. O quam sollers est iracundia ad fingendas causas furoris! „Te, inquit, duci iubeo, quia damnatus es. te, quia causa damnationis commilitoni fuisti. te, quia iussus occideré imperatori non paruisti.“ Excogitavit quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum invenerat.

1 XIX. Habet, inquam, iracundia hoc mali: non vult regi. irascitur veritati ipsi, si contra voluptatem suam adparuit. cum clamore et tumultu et totius corporis iactatione quos destinavit, insequitur adiectis conviciis male-  
 2 dictisque. Hoc non facit ratio: sed si ita opus est, silens quitaque totas domus funditus tollit et familias reipublicae pestilentes cum coniugibus ac liberis perdit, tecta ipsa diruit et solo exaequat et inimica libertati nomina exstirpat: hoc non frendens nec caput quassans nec quicquam indecorum iudici faciens, cuius tum maxime placidus esse  
 3 debet et in statu voltus, cum magna pronuntiat. *Quid opus est*, inquit Hieronymus, *cum velis caedere aliquem, tua prius labra mordere?* Quid, si ille vidisset desilientem de tribunali proconsulem et fasces lictori auferentem et suamet vestimenta scindentem, quia tardius scindebantur  
 4 aliena? Quid opus est mensam evertere? quid pocula adfligere? quid se in columnas impingere? quid capillos



avellere? femur pectusque percutere? quantam iram putas, quae, quia in alium non tam cito quam vult erumpit, in se revertitur? tenentur itaque a proximis et rogantur, ut ipsi sibi placentur. quorum nil facit quisquis vacuus 5 ira meritam cuique poenam iniungit. Dimittit saepe eum, cuius peccatum deprendit, si poenitentia facti spem bonam pollicetur, si intellegit non ex alto venire nequitiam, sed summo, quod aiunt, animo inhaerere. dabit impunitatem nec accipientibus nocituram nec dantibus. Nonnum- 6 quam magna scelera levius quam minora conpescet, si illa lapsu, non crudelitate commissa sunt, his inest latens et operta et inveterata calliditas. Idem delictum in duobus non eodem malo adficiet, si alter per neglegentiam admisit, alter curavit ut nocens esset. Hoc semper 7 in omni animadversione servabit, ut sciat alteram adhiberi, ut emendet malos, alteram, ut tollat. in utroque non praeterita, sed futura intuebitur. nam, ut Plato ait, *nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. revocari enim praeterita non possunt, futura prohibentur.* et quos volet nequitiae male cedentis exempla fieri, palam occidet, non tantum ut pereant ipsi, sed ut alios per eundo deterreant. Haec cui expendenda aestimandaque 8 sunt, vides quam debeat omni perturbatione liber accedere ad rem summa diligentia tractandam, potestatem vitae necisque. Male irato ferrum committitur.

XX. Ne illud quidem iudicandum est, aliquid iram ad 1 magnitudinem animi conferre. non est enim illa magnitudo, tumor est. nec corporibus copia vitiosi humoris intentis morbus incrementum est, sed pestilens abundantia. Omnes quos vecors animus supra cogitationes extol- 2 lit humanas, altum quiddam et sublime spirare se credunt: ceterum nil solidi subest, sed in ruinam prona sunt, quae sine fundamentis crevere. Non habet ira cui insistat. non ex firmo mansuroque oritur, sed ventosa et inanis est tantumque abest a magnitudine animi, quantum a fortitudine audacia, a fiducia insolentia, ab austeritate tristitia, a severitate crudelitas. Multum, in- 3 quam, interest inter sublimem animum et superbum.

Iracundia nihil amplum decorumque molitur. contra mihi videtur veterinosi et infelicis animi, imbecillitatis sibi conscia, saepe indolescere, ut exulcerata et aegra corpora, quae ad tactus levissimos gemunt. Ita ira muliebri maxime ac puerile vitium est. at incidit et in viros. nam viris quoque puerilia ac muliebria sunt ingenia. Quid ergo? non aliquae voces ab iratis emittuntur quae magno emissae videantur animo veram ignorantibus magnitudinem? qualis illa dira et abominanda: O d e r i n t, dum metuant. Sullano scias seculo scriptam. Nescio utrum sibi peius optaverit, ut odio esset an ut timori. O d e r i n t. Occurrit illi futurum, ut execrentur, insidientur, opprimant. Quid adiecit? Di illi male faciant, adeo reperit dignum odio remedium. O d e r i n t: quid? dum pareant? non. dum probent? non. quid ergo? dum timeant: sic nec amari quidem vellem. Magno hoc dictum spiritu putas? falleris. nec enim magnitudo ista est, sed inmanitas. Non est quod credas irascentium verbis, quorum strepitus magni, minaces sunt, intra mens pavidissima. Nec est quod existimes verum esse, quod apud disertissimum virum Livium dicitur *vir ingenii magni magis quam boni*. Non potest illud separari: aut et bonum erit aut nec magnum, quia magnitudinem animi inconcussam intellego et introrsus solidam et ab imo parem firmamque, qualis inesse malis ingeniis non potest. Terribilia enim esse et tumultuosa et exitiosa possunt: magnitudinem quidem, cuius firmamentum roburque bonitas est, non habebunt. ceterum sermone, conatu et omni extra paratu facient magnitudinis fidem. eloquentur aliquid, quod tu magni putes, sicut C. Caesar, qui iratus coelo, quod obstreperetur pantomimis, quos imitabatur studiosius quam spectabat, quodque comessatio sua fulminibus terreretur prorsus parum certis, ad pugnam vocavit Iovem et quidem sine missione, Homericum illum exclamans versum,

"Ἡ μὲν ἀνείρε' ἢ ἐγὼ σέ.

9 Quanta dementia fuit! putavit aut sibi noceri ne ab Iove quidem posse aut se nocere etiam Iovi posse. non puto parum momenti hanc eius vocem ad incitandas coniura-

torum mentes addidisse. ultimae enim patientiae visum est eum ferre, qui Iovem non ferret.

XXI. Nihil ergo in ira, ne cum videtur quidem vehementis et deos hominesque despiciens, magnum, nihil nobile est. aut si videtur alicui magnum animum irae producere, videatur et luxuria: ebore sustineri vult, purpura vestiri, auro tegi, terras transferre, maria concludere, flumina praecipitare, nemora suspendere. videatur et avaritia magni animi: acervis auri argentique incubat et provinciarum nominibus agros colit et sub singulis villicis latiores habet fines quam quos consules sortiebantur. videatur et libido magni animi: transnatat freta, puerorum greges castrat, sub gladium mariti venit uxor morte contempta. videatur et ambitio magni animi: non est contenta honoribus annuis. si fieri potest, uno nomine occupare fastus vult, per omnem orbem titulos disponere. Omnia ista non refert in quantum procedant extendantque se. angusta sunt, misera, depressa: sola sublimis et excelsa virtus est, nec quicquam magnum est nisi quod simul placidum.

---

**L. ANNAEI SENECAE**  
**DIALOGORUM LIBER IV.**

AD NOVATUM

**D E I R A**

LIBER II.

---

I. Primus liber, Novate, benigniorem habuit materiam. facilis enim in proclivia vitiorum decursus est. nunc ad exilliora veniendum est. quaerimus enim irae utrum iudicio an inpetu incipiat, id est utrum sua sponte moveatur an quemadmodum pleraque, quae intra nos inseciis nobis oriuntur. Debet autem in haec se demittere disputatio, ut ad illa quoque altiora possit ex-

surgere. nam et in corpore nostro ossa nervique et articuli, firmamenta totius et vitalia, minime speciosa visu, prius ordinantur. deinde haec, ex quibus omnis in faciem adspectumque decor est. post haec omnia qui maxime oculos rapit, color, ultimus perfecto iam corpore adfunditur. Iram quin species oblata iniuriae moveat, non est dubium: sed utrum speciem ipsam statim sequatur et non accedente animo excurrat, an illo adsentiente moveatur quaerimus. Nobis placet nihil illam per se audere. sed animo adprobante. nam speciem capere acceptae iniuriae et ultionem eius concupiscere et utrumque coniungere, nec laedi se debuisse et vindicari debere, non est eius inpetus, qui sine voluntate nostra concitatur. Ille simplex est: hic compositus et plura continens. Intellexit aliquid, indignatus est, damnavit, ulciscitur: haec non possunt fieri, nisi animus eis quibus tangebatur adsensus est.

1 II. „Quorsus, inquis, haec quaestio pertinet?“ Ut sciamus quid sit ira. nam si invitis nobis nascitur, numquam rationi succumbet. omnes enim motus qui non voluntate nostra fiunt, invicti et inevitabiles sunt, ut horror frigida adpersis, ad quosdam tactus aspernatio. ad peiores nuntios subriguntur pili et rubor ad improba verba subfunditur sequiturque vertigo praerupta cernentis. quorum quia nihil in nostra potestate est, nulla quo minus  
2 fiant ratio persuadet. Ira praeceptis fugatur. est enim voluntarium animi vitium, non ex his, quae condicione quadam humanae sortis eveniunt ideoque etiam sapientissimis accidunt. inter quae et primus ille ictus animi ponendus  
3 est, qui nos post opinionem iniuriae movet. Hic subit etiam inter ludicra scenae spectacula et lectiones rerum vetustarum: saepe Clodio Ciceronem expellenti et Antonio occidenti videmur irasci. quis non contra Marii arma, contra Sullae proscriptionem concitatur? quis non Theodoto et Achillae et ipsi puero non puerile auso facinus  
4 infestus est? Cantus nos nonnumquam et citata modulatio instigat Martiusque ille tubarum sonus movet mentes et atrox pictura et iustissimorum suppliciorum tristis adspe-

ctus. *Inde* est, quod adridemus ridentibus et contristat 5 nos turba moerentium et effervescimus ad aliena certamina, quae non sunt irae, non magis quam tristitia est, quae ad conspectum mimici naufragii contrahit frontem, non magis quam timor, qui Hannibale post Cannas moenia circumsidente lectoris percurrit animos. sed omnia ista motus sunt animorum moveri volentium nec adfectus, sed principia proludentia adfectibus. Sic enim militaris 6 viri in media pace iam togati aures tuba suscitatur equosque castrenses erigit crepitus armorum. Alexandrum aiunt Xenophanto canente manum ad arma misisse.

III. Nihil ex his, quae animum fortuito impellunt, ad-1fectus vocari debet: ista, ut ita dicam, patitur magis animus quam facit. ergo adfectus est non ad oblatas rerum species moveri, sed permittere se illis et hunc fortuitum motum prosequi. Nam si quis pallorem et lacrimas pro-2cidentis et irritationem humoris obsceni altumve suspirium et oculos subito acriores aut quid his simile indicium adfectus animique signum putat, fallitur nec intelligit corporis hos esse pulsus. Itaque et fortissimus plerumque 3 vir dum armatur, expalluit et signo pugnae dato ferocissimo militi paulum genua tremuerunt et magno imperatori, antequam inter se acies arietarent, cor exsiluit et oratori eloquentissimo, dum ad dicendum componitur, summa riguerunt. Ira non moveri tantum debet, sed ex-4currere: est enim inpetus. numquam autem inpetus sine adsensu mentis est. neque enim fieri potest, ut de ultione et poena agatur animo nesciente: putavit se aliquis laesum, voluit ulcisci, dissuadente aliqua causa statim resedit: hanc iram non voco, [*voco*] motum animi rationi parentem. illa est ira, quae rationem transsilit, quae secum rapit. ergo prima illa agitatio animi, quam species iniuriae 5 incussit, non magis ira est quam ipsa iniuriae species: ille sequens inpetus, qui speciem iniuriae non tantum accepit, sed adprobavit, ira est, concitatio animi ad ultionem voluntate et iudicio pergentis. numquam dubium est quin timor fugam habeat, ira inpetum. vide ergo an putes aliquid sine adsensu mentis aut peti posse aut caveri.

- 1 IV. Et ut scias quemadmodum incipiant adfectus aut  
 crescant aut efferantur, est primus motus non voluntarius  
 quasi praeparatio adfectus et quaedam comminatio. alter  
 cum voluntate non contumaci, tamquam oporteat me vindicari,  
 cum laesus sim, aut oporteat hunc poenas dare, cum scelus fecerit.  
 tertius motus est iam inpotens, qui non si oportet, ulcisci vult,  
 sed utique qui rationem evi-
- 2 cit. Primum illum animi ictum effugere ratione non possumus,  
 sicut ne illa quidem quae diximus accidere corporibus,  
 ne nos oscitatio aliena sollicitet, ne oculi ad intentionem  
 subitam digitorum comprimentur. ista non potest ratio vincere,  
 consuetudo fortasse et adsidua observatio extenuat. Alter ille  
 motus qui iudicio nascitur, iudicio tollitur.
- 1 V. Illud etiamnunc quaerendum est, hi qui volgo saeviunt  
 et sanguine humano gaudent, an irascantur, cum eos occidunt,  
 a quibus nec acceperunt iniuriam nec accepisse ipsos existimant:  
 2 qualis fuit Apollodorus aut Phalaris. Haec non est ira, feritas est.  
 non enim quia accepit iniuriam nocet, sed parata est, dum noceat,  
 velle accipere. nec illi verbera lacerationesque in ultionem  
 petuntur, sed in voluptatem. Quid ergo? origo huius mali ab ira  
 est, quae ubi frequenti exercitatione et satietate in oblivionem  
 clementiae venit et omne foedus humanum eiecit animo, novissime  
 in crudelitatem transit: rident itaque gaudentque et voluptate  
 3 multa perfruuntur plurimumque ab iratorum 4 voltu absunt,  
 per otium saevi. Hannibalem aiunt dixisse, cum fossam sanguine  
 humano plenam vidisset: *o formosum spectaculum!* Quanto pulchrius  
 illi visum esset, si flumen aliquod lacumque conplesset? Quid mirum,  
 si hoc maxime spectaculo caperis innatus sanguini et ab infante  
 caedibus admotus? sequetur te fortuna crudelitati tuae per  
 viginti annos secunda dabitque oculis tuis gratum ubique  
 5 Cannas et novissime circa Carthaginem tuam. Volesus nuper  
 sub divo Augusto proconsul Asiae, cum trecentos uno die securi  
 percussisset, incedens inter cadavera vol-

tu superbo, quasi magnificum quiddam conspiciendum-  
que fecisset, graece proclamavit: *o rem regiam!* Quid hic  
rex fecisset? Non fuit haec ira, sed maius malum et in-  
sanabile.

VI. „Virtus, inquit, ut honestis rebus propitia est, 1  
ita turpibus irata esse debet.“ Quid si dicatur virtutem  
et humilem et magnam esse debere? atqui hoc dicit, qui  
illam extolli vult et deprimi, quoniam laetitia ob recte fa-  
ctum clara magnificaque est, ira ob alienum peccatum  
sordida et angusti pectoris est. nec umquam committet 2  
virtus, ut vitia, dum conpescit, imitetur: ipsam iram ca-  
stigandam habet, quae nihilo melior est, saepe etiam  
peior his delictis, quibus irascitur. Gaudere laetarique  
proprium et naturale virtutis est: irasci non est ex digni-  
tate eius, non magis quam moerere. atqui iracundiae tri-  
stitia comes est et in hanc omnis ira vel post poenitentiam  
vel post repulsam revolvitur. Et si sapientis est peccatis 3  
irasci, magis irascetur maioribus et saepe irascetur: se-  
quitur, ut non tantum iratus sit sapiens, sed iracundus.  
atqui si nec magnam iram nec frequentem in animo sa-  
pientis locum habere credimus, quid est, quare non ex  
toto illum hoc adfectu liberemus? modus [enim] esse non 4  
potest, si pro facto cuiusque irascendum est. nam aut  
iniquus erit, si aequaliter irascetur delictis inaequalibus,  
aut iracundissimus, si totiens excanduerit quotiens iram  
scelera meruerint.

VII. Et quid indignius quam sapientis adfectum ex 1  
aliena pendere nequitia? desinet ille [Socrates] posse  
eumdem voltum domum referre, quem domo extulerat.  
atqui si irasci sapiens turpiter factis debet et concitari  
contristarique ob scelera, nihil est aerumnosius sapiente:  
omnis illi per iracundiam moeroremque vita transibit.  
quod enim momentum erit, quo non inprobanda videat? 2  
quotiens processerit domo, per sceleratos illi avarosque  
et prodigos et inpudentis et ob ista felices incedendum  
erit. nusquam oculi eius flectentur, ut non quod indi-  
gnentur inveniant. deficiet, si totiens a se iram quotiens  
causa poscet, exegerit. Haec tot milia ad forum prima 3

luce properantia quam turpes lites, quanto turpiores advocatos habent? alius iudicia patris accusat, quae mereri satius fuit. alius cum matre consistit. alius delator venit eius criminis, cuius manifestior reus est. et iudex damnaturus quae fecit eligitur et corona pro mala causa bona patroni voce corrupta.

- 1 VIII. Quid singula persequor? cum videris forum  
 2 multitudine refertum et septa concursu omnis frequentiae  
 plena et illum circum, in quo maximam sui partem populus ostendit: hoc scito, istic tantumdem esse vitiorum  
 2 quantum hominum. Inter istos quos togatos vides, nulla pax est: alter in alterius exitium levi compendio ducitur. nulli nisi ex alterius iniuria quaestus est. felicem oderunt, infelicem contemnunt. maiorem gravantur, minori graves sunt. diversis stimulantur cupiditatibus. omnia perdita ob levem voluptatem praedamque cupiunt. non alia quam in ludo gladiatorio vita est cum isdem viventium pugnantiumque.  
 3 Ferarum iste conventus est, nisi quod illae inter se placidae sunt morsuque similium abstinere, hi mutua laceratione satiantur. hoc autem uno ab animalibus mutis differunt, quod illa mansuescunt alentibus, horum rabies ipsos a quibus est nutrita, depascitur.
- 1 IX. Numquam irasci desinet sapiens, si semel coeperit: omnia sceleribus ac vitiis plena sunt. plus committitur quam quod possit coercitione sanari. Certatur ingenti quidem nequitiae certamine: maior cotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris aequiorisque respectu, quocumque visum est libido se inpingit, nec furtiva iam scelera sunt: praeter oculos eunt, adeoque in publicum missa nequitia est et in omnium pectoribus  
 2 evaluit, ut innocentia non rara, sed nulla sit. Numquid enim singuli aut pauci rupere legem? undique velut signo dato ad fas nefasque miscendum coorti sunt.

*Non hospes ab hospite tutus,*

*non socer a genero. fratrum quoque gratia rara est.*

*inminet exitio vir coniugis, illa mariti.*

*lurida terribiles miscent aconita novercae.*

*filius ante diem patrios inquirat in annos.*



Et quota ista pars scelerum est? non descripsit castra ex 3  
 una parte contraria et parentum liberorumque sacramen-  
 ta diversa, subiectam patriae civis manu flammam et  
 agmina infestorum equitum ad conquiendas proscripto-  
 rum latebras circumvolitantia et violatos fontes venenis  
 et pestilentiam manu factam et praeductam obsessis pa-  
 rentibus fossam, plenos carceres et incendia totas urbes  
 concremantia dominationesque funestas et regnorum pu-  
 blicorumque exitiorum clandestina consilia, et pro gloria  
 habita, quae quamdiu opprimi possunt, scelera sunt: rap-  
 tus ac stupra et ne os quidem libidini exceptum. Adde 4  
 nunc publica periuria gentium et rupta foedera et [in]  
 praedam validioris quicquid non resistebat abductum,  
 circumscriptiones, furta, fraudes, infitiationes, quibus trina  
 non sufficiunt fora. Si tantum irasci vis sapientem, quan-  
 tum scelerum indignitas exigit, non irascendum illi, sed  
 insaniendum est.

X. Illud potius cogitabis, non esse irascendum erro- 1  
 ribus. quid enim, si quis irascatur in tenebris parum ve-  
 stigia certa ponentibus? quid, si quis surdis imperia non  
 exaudientibus? quid, si pueris, quod neglecto dispectu  
 officiorum ad lusus et ineptos aequalium iocos spectent?  
 quid, si illis irasci velis, quod aegrotant, senescunt, fa-  
 tigantur? inter cetera mortalitatis incommoda et hoc est,  
 caligo mentium nec tantum necessitas errandi, sed erro-  
 rum amor. Ne singulis irāscaris, universis ignoscendum 2  
 est, generi humano venia tribuenda est. si irasceres iu-  
 venibus senibusque, quod peccant, irascere infantibus:  
 peccaturi sunt. Num quis irascitur pueris, quorum aetas  
 nondum novit rerum discrimina? maior est excusatio et  
 iustior hominem esse quam puerum. Hac condicione nati 3  
 sumus, animalia obnoxia non paucioribus animi quam  
 corporis morbis, non quidem obtusa nec tarda, sed acu-  
 mine nostro male utentia, altera alteris vitiorum exempla.  
 quisquis sequitur priores male iter ingressos, quidni ha-  
 beat excusationem, cum publica via erraverit? In singu- 4  
 los severitas imperatoris dstringitur: at necessaria venia  
 est, ubi totus deseruit exercitus. Quid tollit iram sapien-

tis? turba peccantium. intellegit quam et iniquum sit et  
 5 periculosum irasci publico vitio. Heraclitus quotiens pro-  
 dierat et tantum circa se male viventium, immo male per-  
 euntium viderat, flebat, miserebatur omnium qui sibi  
 laeti felicesque occurrebant, miti animo, sed nimis inbe-  
 cillo: et ipse inter deplorandos erat. Democritum contra  
 aiunt numquam sine risu in publico fuisse: adeo nihil illi  
 videbatur serium eorum, quae serio gerebantur. Ubi istic  
 6 irae locus est? aut ridenda omnia aut flenda sunt. Non  
 irascetur sapiens peccantibus. quare? quia scit nemi-  
 nem nasci sapientem, sed fieri. scit paucissimos omni  
 aevo sapientis evadere, quia condicionem humanae vitae  
 perspectam habet: nemo autem naturae sanus irascitur.  
 quid enim, si mirari velit non in silvestribus dumis poma  
 pendere? quid, si miretur spineta sentesque non utili  
 aliqua fruge conpleri? nemo irascitur, ubi vitium natura  
 7 defendit. Placidus itaque sapiens et aequus erroribus,  
 non hostis, sed corrector peccantium, hoc cotidie procedit  
 animo: „multi mihi occurrent vino dediti, multi libidi-  
 nosi, multi ingrati, multi avari, multi furiis ambitionis agi-  
 tati.“ omnia ista tam propitius adspiciet quam aegros  
 8 suos medicus. Numquid ille, cuius navigium multam un-  
 dique laxatis conpagibus aquam trahit, nautis ipsique na-  
 vigio irascitur? occurrit potius et aliam excludit undam,  
 aliam egerit, manifesta foramina praecludit, latentibus et  
 ex occulto sentinam ducentibus labore continuo resistit.  
 nec ideo intermittit, quia quantum exhaustum est subna-  
 scitur. Lento adiutorio opus est contra mala continua et  
 fecunda, non ut desinant, sed ne vincant.

1 XI. „Utilis est, inquit, ira, quia contemptum effugit,  
 quia malos terret.“ Primum ira, si quantum minatur va-  
 let, ob hoc ipsum quod terribilis est, et invisita est. peri-  
 culosius est autem timeri quam despici. si vero sine vi-  
 ribus est, magis exposita contemptui est et derisum non  
 effugit. quid enim est iracundia in supervacuum tumultu-  
 2 tuante frigidius? Deinde non ideo quaedam, quia sunt  
 terribiliora, potiora sunt. ne hoc sapienti adici velim,  
 quod ferae saevientis quoque telum est, timeri. *ecquid*

non timetur febris, podagra, ulcus malum? numquid ideo quicquam in istis boni est? at contra omnia despecta foedaque et turpia ipso quo timentur: sic ira per se deformis est et minime metuenda, at timetur a pluribus sicut deformis persona ab infantibus. Quid, quod semper 3 in auctores redundat timor nec quisquam metuitur ipse securus? occurrat hoc loco tibi Laberianus ille versus, qui medio civili bello in theatro dictus totum in se populum non aliter convertit, quam si missa esset vox publici adfectus:

*Necesse est multos timeat quem multi timent.*

Ita natura constituit, ut quicquid alieno metu magnum est, 4 a suo non vacet. Leonum quam pavida sunt ad levissimos sonos pectora? acerrimas feras umbra et vox et odor insolitus exagitat. quicquid [de] terret et trepidat. non est ergo quare concupiscat quisquam sapiens timeri, nec ideo iram magnum quiddam putet, quia formidini est, quoniam quidem etiam contemptissima timentur ut venena et ossa pestifera et morsus. Nec mirum est, cum maxi- 5 mos ferarum greges linea pinnis distincta contineat et in insidias agat, ab ipso adfectu dicta formido: vanis enim vana terrori sunt. curriculi motus rotarumque versata facies leones redegit in caveam. elephantos porcina vox terret. Sic itaque ira metuitur, quomodo umbra ab infantibus, a feris rubens pinna. non ipsa in se quicquam habet firmum aut forte, sed leves animos movet.

XII. „Nequitia, inquit, de rerum natura tollenda est, 1 si velis iram tollere: neutrum autem potest fieri.“ Primum potest aliquis non algere, quamvis ex rerum natura hiems sit, et non aestuare, quamvis menses aestivi sint. aut loci beneficio adversus intemperiem anni tutus est aut patientia corporis sensum utriusque pervicit. Deinde 2 verte istud: necesse est prius virtutem ex animo tollas quam iracundiam recipias, quoniam cum virtutibus vitia non coeunt. nec magis quisquam eodem tempore et iratus potest esse et vir bonus quam aeger et sanus. „Non 3 potest, inquit, omnis ex animo ira tolli: nec hoc hominis natura patitur.“ Atqui nihil est tam difficile et arduum

quod non humana mens vincat et in familiaritatem perducatur adsidua meditatio, nullique sunt tam feri et sui iuris adfectus, ut non disciplina perdomentur. Quodcumque sibi imperavit animus obtinuit: quidam ne umquam riderent consecuti sunt. vino quidam, alii Venere, quidam omni humore interdixere corporibus. alius contentus brevi somno vigiliam indefatigabilem extendit. didicerunt tenuissimis et adversis funibus currere et ingentia vixque humanis toleranda viribus onera portare et in inmensam altitudinem mergi ac sine ulla respirandi vice  
 5 perpeti maria: mille sunt alia, in quibus pertinacia impedimentum omne transscendit ostenditque nihil esse difficile cuius sibi ipsa mens patientiam indiceret. Istis quos paulo ante retuli, aut nulla tam pertinacis studii aut non digna merces fuit. quid enim magnificum consequitur ille qui meditatus est per intentos funes ire? qui sarcinae ingenti cervices supponere? qui somno non submittere oculos? qui penetrare in imum mare? et tamen ad finem  
 6 operis non magno auctoramento labor pervenit. Nos non advocabimus patientiam, quos tantum praemium expectat, felicis animi inmotam tranquillitas? Quantum est effugere maximum malum iram et cum illa rabiem, saevitiam, crudelitatem, furorem, alios comites eius?

1 XIII. Adfectus eius non est quod patrocinium nobis quaeramus et excusatam licentiam, dicentes aut utile id esse aut inevitabile: cui enim tandem vitio advocatus defuit? non est quod dicas excidi non posse: sanabilibus aegrotamus malis ipsaque nos in rectum genitos natura, si emendari velimus, iuvat. nec, ut quibusdam visum est, arduum in virtutes et asperum iter est: plano adeuntur.  
 2 Non vanae vobis auctor rei venio. facilis est ad beatam vitam via: inite modo bonis auspiciis ipsisque dis bene iuvantibus. multo difficilius est facere ista quae facitis. Quid est animi quiete otiosius, quid ira laboriosius? quid clementia remissius, quid crudelitate negotiosius? vacat pudicitia, libido occupatissima est. omnium denique vir-  
 3 tutum tutela facilis est, vitia magno coluntur. Debet ira removeri. hoc ex parte fatentur etiam qui dicunt esse

minuendam: tota dimittatur, nihil profutura est. sine illa facilius rectiusque scelera tollentur, mali punientur et transducentur in melius. Omnia quae debet sapiens sine ullius malae rei ministerio efficiet nihilque admiscebit, cuius modum sollicitius observet.

XIV. Numquam itaque iracundia admittenda est, ali 1 quando simulanda, si segnes audientium animi concitandi sunt, sicut tarde consurgentes ad cursum equos stimulis facibusque subditis excitamus. aliquando incutiendus est iis metus apud quos ratio non proficit: irasci quidem non magis utile est quam moerere, quam metuere. Quid ergo? 2 non incidunt causae quae iram lacessant? sed tunc maxime illi opponendae manus sunt. nec est difficile vincere animum, cum athletae quoque in vilissima sui parte occupati tamen ictus doloresque patiantur, ut vires cadentis exhauriant, nec cum ira suadet, feriunt, sed cum occasio. Pyrrhum maximum praeceptorem certaminis 3 gymnici solitum aiunt iis quos exercebat, praecipere, ne irascerentur. ira enim perturbat artem et qua noceat tantum adspicit. saepe itaque ratio patientiam suadet, ira vindictam, et qui primis defungi malis potuimus, in maiora devolvimur. Quosdam unius verbi contumelia non 4 aequo animo lata in exilium proiecit. et qui levem iniuriam silentio ferre noluerant, gravissimis malis obruti sunt, indignatique aliquid ex plenissima libertate deminui, servile in sese adtraxerunt iugum.

XV. „Ut scias, inquit, iram habere in se generosi ali- 1 quid, liberas videbis gentes, quae iracundissimae sunt, ut Germanos et Scythas.“ quod evenit, quia fortia solidaque natura ingenia, antequam disciplina molliantur, prona in iram sunt. quaedam enim non nisi melioribus innascuntur ingeniis, sicut valida arbusta et laeta quamvis neglecta tellus creat, et alia fecundi soli silva est: itaque 2 et ingenia natura fortia iracundiam ferunt nihilque tenue et exile capiunt ignea et fervida, sed imperfectus illis vigor est, ut omnibus, quae sine arte ipsius tantum naturae bono exsurgunt. sed nisi cito domita sunt, quae fortitudini apta erant, audaciae temeritatieque consuescunt. quid? 3

non mitioribus animis vitia leniora coniuncta sunt, ut misericordia et amor et verecundia? Itaque saepe tibi bonam indolem malis quoque suis ostendam. sed non ideo  
 4 vitia non sunt, si naturae melioris indicia sunt. Deinde omnes istae feritate liberae gentes leonum luporumque ritu ut servire non possunt, ita nec imperare. non enim humani vim ingenii, sed feri et intractabilis habent. nemo  
 5 autem regere potest nisi qui et regi. Fere itaque imperia penes eos fuere populos, qui mitiore coelo utuntur. in frigora septentrionemque vergentibus inmansueta ingenia sunt, ut ait poeta,

*suoque simillima coelo.*

1 XVI. „Animalia, inquit, generosissima habentur, quibus multum inest irae.“ Errat qui ea in exemplum hominis abducit, quibus pro ratione est inpetus: homini pro inpetu ratio est. Sed ne illis quidem omnibus idem prodest: iracundia leones adiuvat, pavor cervos, accipitrem  
 2 inpetus, columbam fuga. Quid, quod ne illud quidem verum est, optima animalia esse iracundissima? feras putem, quibus ex raptu alimenta sunt, meliores quo iratiores. patientiam laudaverim boum et equorum frenos sequentium. Quid est autem cur hominem ad tam infelicia exempla revoces, cum habeas mundum deumque, quem ex omnibus animalibus ut solus imitetur, solus intellegit?  
 3 „Simplicissimi, inquit, omnium habentur iracundi.“ Fraudulentis enim et versutis comparantur et simplices videntur, quia expositi sunt. quos quidem non simplices dixerim, sed incautos. stultis, luxuriosis nepotibusque hoc nomen inponimus et omnibus vitiis parum callidis.

1 XVII. „Orator, inquit, iratus aliquando melior est.“ Immo imitatus iratum. nam et histriones in pronuntiando non irati populum movent, sed iratum bene agentes: et apud iudices itaque et in concione et ubicumque alieni animi ad nostrum arbitrium agendi sunt, modo iram, modo metum, modo misericordiam ut aliis incutiamus, ipsi simulabimus, et saepe id quod veri adfectus non ef-  
 2 fecissent, effecit imitatio adfectuum. „Languidus, inquit,

animus est, qui ira caret.“ Verum est, si nihil habet ira valentius. Nec latronem oportet esse nec praedam, nec misericordem nec crudelē. illius nimis mollis animus, huius nimis durus est: temperatus sit sapiens et ad res fortius agendas non iram, sed vim adhibeat.

XVIII. Quoniam quae de ira quaeruntur tractavimus, accedamus ad remedia eius. Duo autem, ut opinor, sunt: ne incidamus in iram et ne in ira peccemus. Ut in corporum cura alia de tuenda valitudine, alia de restituenda praecepta sunt, ita aliter iram debemus repellere, aliter conpescere. [ut vitemus.] Quaedam ad universam vitam pertinentia praecipientur. ea in educationem et in sequentia tempora dividuntur.

Educatio maximam diligentiam plurimumque profuturam desiderat. facile est enim teneros adhuc animos componere, difficulter reciduntur vitia, quae nobiscum creverunt.

XIX. Opportunissima ad iracundiam fervidi animi natura est. nam cum elementa sint quatuor, ignis, aquae, aëris, terrae, potestates pares his sunt, fervida, frigida, arida atque humida. et locorum itaque et animalium et corporum et morum varietates mixtura elementorum facit et proinde in aliquos magis incumbunt ingenia, prout alicuius elementi maior vis abundavit. inde quasdam humidas vocamus aridasque regiones et calidas et frigidas. Eadem animalium hominumque discrimina sunt: refert quantum quisque humidi in se calidique contineat. cuius in illo elementi portio praevalebit, inde mores erunt. iracundos fervida animi natura faciet: est enim actuosus et pertinax ignis. frigidi mixtura timidos facit: pigrum est enim contractumque frigus. Volunt itaque quidam ex nostris iram in pectore moveri effervescente circa cor sanguine. causa cur hic potissimum adsignetur irae locus, non alia est, quam quod in toto corpore calidissimum pectus est. Quibus humidi plus inest, eorum paulatim cre- scit ira, quia non est paratus illis calor, sed motu acquiritur. itaque puerorum feminarumque irae acres magis

quam graves sunt levioresque dum incipiunt. siccis aetatibus vehemens robustaque ira est, sed sine incremento, non multum sibi adiciens, quia inclinatum calorem frigus insequitur. senes difficiles et queruli sunt, ut aegri et convalescentes et quorum aut lassitudine aut detractio-  
 5 sanguinis exhaustus est calor. In eadem causa sunt siti fameque rabidi et quibus exsangue corpus est maligneque alitur et deficit. vinum incendit iras, quia calorem auget pro cuiusque natura. quidam ebrii effervescunt, quidam saucii. neque ulla alia causa est, cur iracundissimi sint flavi rubentesque, quibus talis natura color est, qualis fieri ceteris inter iram solet. mobilis enim illis agi-  
 tatusque sanguis est.

1 XX. Sed quemadmodum natura quosdam proclives in iram facit, ita multae incidunt causae, quae idem possint quod natura: alios morbus aut iniuria corporum in hoc perduxit, alios labor aut continua pervigilia noctesque sollicitae et desideria amoresque. quicquid aliud aut corpori nocuit aut animo, aegram mentem in querelas par-  
 2 rat. Sed omnia ista initia causaeque sunt: plurimum potest consuetudo, quae si gravis est, alit vitium. Naturam quidem mutare difficile est, nec licet semel mixta nascentium elementa convertere. sed in hoc nosse profuit, ut calentibus ingeniis subtrahas vinum, quod pueris negandum Plato putat et ignem vetat igne incitari. ne cibis quidem implendi sint. distendentur enim corpora et animi  
 3 cum corpore tumescent: labor illos citra lassitudinem exerceat, ut minuatur, non ut consumatur calor, nimiusque ille fervor despumet. lusus quoque proderunt. mo-  
 4 dica enim voluptas laxat animos et temperat. Humidioribus siccioribusque et frigidis non est ab ira periculum, sed maiora vitia metuenda sunt, pavor et difficultas et desperatio et suspiciones. mollienda itaque fovendaque talia ingenia et in laetitiam evocanda sunt. et quia aliis contra iram, aliis contra tristitiam remediis utendum est nec dissimillimis tantum ista, sed contrariis curanda sunt, semper ei occurremus quod increverit.

1 XXI. Plurimum, inquam, proderit pueros statim sa-



lubriter institui, difficile autem regimen est, quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus aut indolem retundamus. Diligenti observatione res indiget. utrum-<sup>2</sup> que enim et quod extollendum et quod deprimendum est, similibus alitur. facile autem etiam adtendentem similia decipiunt. Crescit licentia spiritus, servitute comminuitur. adsurgit, si laudatur, et in spem sui bonam adducitur, sed eadem ista insolentiam et iracundiam generant: sic itaque inter utrumque regendus est, ut modo frenis utamur, modo stimulis. Nihil humile, nihil servile patiamur. numquam illi necesse sit rogare suppliciter nec prosit rogasse, potius causae suae et prioribus factis et bonis in futurum promissis donetur. In certaminibus aequalium nec vinci illum patiamur nec irasci. demus operam, ut familiaris sit iis, cum quibus contendere solet, ut in certamine adsuescat non nocere velle, sed vincere. quotiens superaverit et dignum aliquid laude fecerit, adtolli, non gestire patiamur. gaudium enim exsultatio, exsultationem tumor et nimia aestimatio sui sequitur. Dabimus<sup>6</sup> aliquod laxamentum, in desidiam vero otiumque non resolvemus et procul a contactu deliciarum retinebimus. nihil enim magis facit iracundos quam educatio mollis et blanda: ideo unicis quo plus indulgetur, pupillisque quo plus licet, corruptior animus est. Non resistet offensis cui nihil umquam negatum est, cuius lacrimas sollicita semper mater abstersit, cui de paedagogo satisfactum est. Non vides, ut maiorem quamque fortunam maior ira committetur? in divitibus et nobiles et magistratibus praecipue adparet, cum quicquid leve et inane in animo erat, secunda se aura sustulit. Felicitas iracundiam nutrit, ubi aures superbas adsentatorum turba circumstrepit: „Tibi enim ille respondeat? non pro fastigio te tuo metiris: ipse te proicis.“ et alia quibus vix sanae et ab initio bene fundatae mentes restiterunt. Longe itaque ab ad-<sup>8</sup> sentatione pueritia removenda est. audiat verum et timeat interim, vereatur semper. maioribus adsurgat. nihil per iracundiam exoret. quod flenti negatum fuerit quieto offeratur. et divitias parentum in conspectu ha-

9 beat, non in usu. exprobrentur illi perperam facta. Per-  
tinebit ad rem praeceptores paedagogosque pueris pla-  
cidos dari. Proximis adplicatur omne quod tenerum est  
et in eorum similitudinem crescit. nutricum et paedago-  
10 gorum retulere mox in adulescentiam mores. Apud Pla-  
tonem educatus puer cum ad parentes relatus vociferan-  
tem videret patrem: „numquam, inquit, hoc apud Platonem  
vidi.“ non dubito quin citius patrem imitatus sit quam  
11 Platonem. Tenuis ante omnia victus [*sic*] et non pretiosa  
vestis et similis cultus cum aequalibus: non irascetur ali-  
quem sibi comparari quem ab initio multis parem feceris.

1 XXII. Sed haec ad liberos nostros pertinent:  
in nobis quidem sors nascendi et educatio nec  
vitii locum nec iam praecepti habet. sequen-  
2 tia ordinanda sunt. Contra primas itaque causas pu-  
gnare debemus: causa autem iracundiae opinio iniuriae  
est, cui non facile credendum est. ne apertis quidem ma-  
nifestisque statim accedendum. quaedam enim falsa veri  
3 speciem ferunt. Dandum semper est tempus: veritatem  
dies aperit. Ne sint aures criminantibus faciles: hoc hu-  
manae naturae vitium suspectum notumque nobis sit,  
quod quae inviti audimus, libenter credimus et antequam  
4 iudicemus, irascimur. Quid, quod non criminationibus  
tantum, sed suspicionibus inpellimur et ex voltu risuque  
alieno peiora interpretati innocentibus irascimur? Itaque  
agenda est contra se causa absentis et in suspensio ira  
retinenda. potest enim poena dilata exigi, non potest ex-  
acta revocari.

1 XXIII. Notus est ille tyrannicida qui imperfecto opere  
comprehensus et ab Hippia tortus, ut conscios indicaret,  
circumstantis amicos tyranni nominavit quibusque ma-  
xime caram salutem eius sciebat. et cum ille singulos,  
ut nominati erant, occidi iussisset, interrogavit, equis su-  
peresset? „Tu, inquit, solus: neminem enim alium cui  
carus esses reliqui.“ Effecit ira, ut tyrannus tyrannicidae  
manus adcommodaret et praesidia sua gladio suo caede-  
2 ret. Quanto animosius Alexander? qui cum legisset epi-  
stulam matris, qua admonebatur, ut a veneno Philippi

medici caveret, acceptam potionem non deterritus bibit. Plus sibi de amico suo credidit. dignus fuit qui innocen- 3  
tem haberet, dignus qui faceret. Hoc eo magis in Ale-  
xandro laudo, quia nemo tam obnoxius irae fuit. quo  
maior autem moderatio in regibus, hoc laudanda magis  
est. Fecit hoc et I. Caesar ille qui victoria civili clemen- 4  
tissime usus est. cum scrinia deprehendisset epistularum  
ad Cn. Pompeium missarum ab iis qui videbantur aut  
in diversis aut in neutris fuisse partibus, conbussit. Quam-  
vis moderate soleret irasci, maluit tamen non posse. gra-  
tissimum putavit genus veniae nescire, quid quisque pec-  
casset.

XXIV. Plurimum mali credulitas facit. saepe ne au- 1  
diendum quidem est, quoniam in quibusdam rebus satius  
est decipi quam diffidere. tollenda ex animo suspicio et  
coniectura, fallacissima inritamenta: „ille me parum huma-  
ne salutavit. ille osculo meo non adhaesit. ille inchoa-  
tum sermonem cito abruptit. ille ad coenam non vocavit.  
illius voltus aversior visus est.“ Non deerit suspicioni ar- 2  
gumentatio: simplicitate opus est et benigna rerum aesti-  
matione. nihil nisi quod in oculos incurret manifestum-  
que erit credamus et quotiens suspicio nostra vana  
adparuerit, obiurgemus credulitatem. haec enim castiga-  
tio consuetudinem efficiet non facile credendi.

XXV. Inde et illud sequitur, ut minimis sordidissi- 1  
misque rebus non exacerbemur. Parum agilis est puer  
aut tepidior aqua poturo aut turbatus torus aut mensa ne-  
glegentius posita: ad ista concitari insania est. aeger et  
infelicis valitudinis est quem levis aura contraxit, adfecti  
oculi quos candida vestis obturbat, dissolutus deliciis cu-  
ius latus alieno labore condoluit. Mindyridem aiunt fuisse 2  
ex Sybaritarum civitate. qui cum vidisset fodientem et  
altius rastrum adlevantem, lassum se fieri questus vetuit  
illum opus in conspectu suo facere. bilem habere sae-  
pius questus est, quod foliis rosae duplicatis incubisset.  
Ubi animum simul et corpus voluptates corrumpere, nihil 3  
tolerabile videtur, non quia dura, sed quia mollis patitur.  
quid est enim, cur tussis alicuius aut sternutamentum aut

musca parum curiose fugata in rabiem agat aut obversatus canis aut clavis neglegentis servi manibus elapsa? 4 Feret iste aequo animo civile convicium et ingesta in concione curiave maledicta, cuius aures tracti subsellii stridor offendit? perpetietur hic famem et aestivae expeditionis sitim, qui puero male diluenti nivem irascitur? Nulla itaque res magis iracundiam alit quam luxuria intemperans et inpatiens: dure tractandus animus est, ut ictum non sentiat nisi gravem.

1 XXVI. Irascimur aut iis, a quibus nec accipere iniuriam potuimus, aut iis, a quibus accipere iniuriam potuimus. Ex prioribus quaedam sine sensu sunt, ut liber, quem minutioribus literis scriptum saepe proiecimus et mendosum laceravimus, ut vestimenta, quae, quia displicebant, scidimus. his irasci quam stultum est, quae iram nostram nec meruerunt nec 3 sentiunt? „Sed offendunt nos videlicet qui illa fecerunt.“ Primum saepe antequam hoc apud nos distinguamus irascimur. deinde fortasse ipsi quoque artifices excusationes iustas adferent: alius non potuit melius facere quam fecit, nec ad tuam contumeliam parum didicit. alius non in hoc ut te offenderet fecit. ad ultimum quid est dementius quam bilem in homines collectam in res effundere? 4 Atqui ut his irasci dementis est, quae anima carent, sic mutis animalibus, quae nullam iniuriam nobis faciunt, quia velle non possunt: non est enim iniuria nisi a consilio profecta. nocere itaque nobis possunt ut ferrum aut 5 lapis, iniuriam quidem facere non possunt. Atqui contenti se quidam putant, ubi iidem equi obsequentes alteri equiti, alteri contumaces sunt, tamquam iudicio, non consuetudine et arte tractandi quaedam quibusdam subiectiora sint. Atqui ut his irasci stultum est, ita pueris et 6 non multum a puerorum prudentia distantibus. omnia enim ista peccata apud aequum iudicem pro innocentia habent imprudentiam.

1 XXVII. Quaedam sunt quae nocere non possunt nullamque vim nisi beneficam et salutarem habent, ut di immortales, qui nec volunt obesse nec possunt. natura enim

illis mitis et placida est, tam longe remota ab aliena iniuria quam a sua. Dementes itaque et ignari veritatis illis inputant saevitiam maris, immodicos imbres, pertinaciam hiemis, cum interim nihil horum quae nobis nocent prosuntque, ad nos proprie dirigatur. non enim nos causa mundo sumus hiemem aestatemque referendi: suas ista leges habent quibus divina exercentur. nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur propter quos tanta moveantur. nihil ergo horum in nostram iniuriam fit, immo contra nihil non ad salutem. Quaedam esse 3 diximus quae nocere non possint, quaedam quae nolint. In iis erunt boni magistratus parentesque et praeceptores et iudices, quorum castigatio sic accipienda est quomodo scalpellum et abstinentia et alia quae profutura torquent. Adfecti sumus poena: succurrat non tantum 4 quid patiamur, sed quid fecerimus, in consilium de vita nostra mittamur: si modo verum ipsi nobis dicere voluerimus, pluris litem nostram aestimabimus.

XXVIII. Si volumus aequi rerum omnium iudices 1 esse, hoc primum nobis persuadeamus, neminem nostrum esse sine culpa. hinc enim maxima indignatio oritur. „Nihil peccavi“ et „nihil feci.“ Immo nihil fatearis. Indignamur aliqua admonitione aut coercitione nos castigatos, cum illo ipso tempore peccemus, quod adicimus malefactis adrogantiam et contumaciam. Quis est 2 iste qui se profitetur omnibus legibus innocentem? ut hoc ita sit, quam angusta innocentia est ad legem bonum esse? quanto latius officiorum patet quam iuris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt? Sed ne ad illam quidem artissimam innocentiae 3 formulam praestare nos possumus: alia fecimus, alia cogitavimus, alia optavimus, aliis favimus, in quibusdam innocentes sumus, quia non successit. Hoc cogi- 4 tantes aequiores simus delinquentibus, credamus obiurgantibus: utique nobis ne irascamur, (cui enim non, si nobis quoque?) minime dis. non enim illorum, sed lege mortalitatis patimur quicquid incommodi accidit. At morbi

doloresque incurrunt: utique aliqua fugiendum est domicilium putre sortitis. Dicitur aliquis male de te locutus: cogita an prior feceris, cogita de quam multis loquaris.

5 Cogitemus, inquam, alios non facere iniuriam, sed reponere. alios pro nobis facere, alios coactos facere, alios ignorantis, etiam eos qui volentes scientesque faciunt, ex iniuria nostra non ipsam iniuriam petere: aut dulcedine urbanitatis prolapsus est aut fecit aliquid, non ut nobis obesset, sed quia consequi ipse non poterat, nisi nos repulisset. saepe adulatio, dum blanditur, offendit. Quis-

6 quis ad se retulerit, quotiens ipse in suspicionem falsam inciderit, quam multis officiis suis fortuna speciem iniuriae induerit, quam multos post odium amare coeperit, poterit non statim irasci, utique si sibi tacitus ad singula

7 quibus offenditur dixerit: haec et ipse commisi. Sed ubi tam aequum iudicem invenies? Is qui nullius non uxorem concupiscit et satis iustas causas putat amandi, quod aliena est, idem uxorem suam adspici non vult. et fidei acerrimus exactor est perfidus. et mendacia persequitur ipse periurus. et litem sibi inferri aegerrime calumniator patitur. pudicitiam servulorum suorum adtentari non vult

8 qui non pepercit suae. Aliena vitia in oculis habemus, a tergo nostra sunt: inde est, quod tempestiva filii convivia pater deterior filio castigat et nihil alienae luxuriae ignoscit qui nihil suae negavit. et homicidae tyrannus irascitur et punit furta sacrilegus. Magna pars hominum est quae non peccatis irascitur, sed peccantibus. Faciet nos moderatiores respectus nostri, si consuluerimus nos: numquid et ipsi aliquid tale commisimus? numquid sic erravimus? expeditne nobis ista damnare?

XXIX. Maximum remedium irae mora est. Hoc ab illa pete initio, non ut ignoscat, sed ut iudicet: desinet, si exspectat. nec universam illam temptaveris tollere. graves habet inpetus primos: tota vincetur, dum partibus

2 carpitur. Ex his quae nos offendunt, alia renuntiantur nobis, alia ipsi audimus aut videmus. De iis quae narrata sunt, non debemus cito credere: multi mentiuntur ut decipiant, multi, quia decepti sunt. alius criminatione gra-

tiam captat et fingit iniuriam, ut videatur doluisse factam. est aliquis malignus et qui amicitias cohaerentis diducere velit. est [suspicax] et qui spectare ludos cupiat et ex longinquo tutoque speculetur quos collisit. De parvula <sup>3</sup> summa iudicaturō tibi res sine teste non probaretur. testis sine iureiurando non valeret. utrique parti dares actionem, dares tempus, non semel audires. magis enim veritas elucet quo saepius ad manum venit: amicum condemnas de praesentibus? antequam audias, antequam interroges, antequam illi aut accusatorem suum nosse liceat aut crimen, irasceris? iam enim, iam utrimque quid diceretur audisti? Hic ipse qui ad te detulit, desinet dicere, si <sup>4</sup> probare debuerit. „non est, inquit, quod me protrahas, ego productus negabo. alioquin nihil umquam tibi dicam.“ eodem tempore et instigat et ipse se certamini pugnaeque subtrahit. qui dicere tibi nisi clam non vult, paene non dicit. quid est iniquius quam secreto credere, palam irasci?

XXX. Quorundam ipsi testes sumus. in his naturam <sup>1</sup> excutiemus voluntatemque facientium. Puer est: aetati donetur. nescit an peccet. pater est: aut tantum profuit, ut illi etiam iniuriae ius sit, aut fortasse ipsum hoc meritum eius est quo offendimur. mulier est: errat. iussus est: necessitati quis nisi iniquus succenset? laesus est: non est iniuria pati quod prior feceris. iudex est: plus credas illius sententiae quam tuae. rex est: si nocentem punit, cede iustitiae, si innocentem, cede fortunae. mu- <sup>2</sup> tum animal est aut simile muto: imitaris illud, si irasceris. morbus est aut calamitas: levius transsiliet sustinentem. deus est: tam perdis operam cum illi irasceris, quam cum illum alteri precaris iratum. bonus vir est qui iniuriam fecit: noli credere. malus: noli mirari, dabit poenas alteri quas debet tibi, et iam sibi dedit qui peccavit.

XXXI. Duo sunt, ut dixi, quae iracundiam <sup>1</sup> concitant: primum, si iniuriam videmur accepisse. de hoc satis dictum est. deinde, si ini- que accepisse. de hoc dicendum est. Iniqua quaedam iudicant homines, quia pati non debuerint,

2 quaedam, quia non speraverint. Indigna putamus quae  
 inopinata sunt. itaque maxime commovent quae contra  
 spem expectationemque evenerunt. nec aliud est quare  
 in domesticis minima offendant, in amicis iniuriam voce-  
 3 mus negligentiam. „Quomodo ergo, inquit, inimicorum  
 nos iniuriae movent?“ quia non exspectavimus illas aut  
 certe non tantas. hoc efficit amor nostri nimius. inviola-  
 tos nos etiam inimicis iudicamus esse debere. regis quis-  
 que intra se animum habet, ut licentiam sibi dari velit,  
 4 in se nolit. Aut ignorantia itaque nos aut insolentia ira-  
 cundos facit. ignorantia rerum: quid enim mirum est ma-  
 los mala facinora edere? quid novi est, si inimicus nocet,  
 amicus offendit, filius labitur, servus peccat? Turpissi-  
 mam aiebat Fabius imperatori excusationem esse: non  
 putavi. ego turpissimam homini puto. Omnia puta, ex-  
 specta: etiam in bonis moribus aliquid existet asperius.  
 5 Fert humana natura insidiosos animos, fert ingratos, fert  
 cupidos, fert inpios. cum de unius moribus iudicabis, de  
 publicis cogita. ubi maxime gaudebis, maxime metues.  
 ubi tranquilla tibi omnia videntur, ibi nocitura non de-  
 sunt sed quiescunt. semper futurum aliquid quod te offen-  
 dat existima. Gubernator numquam ita totos sinus secu-  
 rus explicuit, ut non expedite ad contrahendum arma-  
 6 menta disponeret. Illud ante omnia cogita, foedam esse  
 et exsecrabilem vim nocendi et alienissimam homini, cuius  
 beneficio etiam saeva mansuescunt. adspice *taurorum*  
 iugo colla submissa et *elephantorum* pueris pariter ac  
 feminis persultantibus terga inpune calcata et repentis  
 inter pocula sinusque innoxio lapsu dracones et intra  
 domum ursorum leonumque ora placida tractantibus adu-  
 lantisque dominum feras: pudebit cum animalibus per-  
 7 mutasse mores. Nefas est nocere patriae: ergo civi quo-  
 que, nam hic pars patriae est. sanctae partes sunt, si  
 universum venerabile est. ergo et homini, nam hic in  
 maiore tibi urbe civis est. Quid si nocere velint manus  
 pedibus? manibus oculi? ut omnia inter se membra con-  
 sentiunt, quia singula servari totius interest, ita homines  
 singulis parcent, quia ad coetum geniti sunt. salva autem



esse societas nisi custodia et amore partium non potest. Ne viperas quidem et natrices, et si qua morsu aut ictu nocent, effligeremus, si ut reliqua mansuefacere possemus aut efficere, ne nobis aliisve periculo essent. ergo ne homini quidem nocebimus, quia peccavit, sed ne peccet, nec umquam ad praeteritum, sed ad futurum poena referetur. non enim irascitur, sed cavet. nam si puniendus est cuicumque pravum maleficumque ingenium est, poena neminem excipiet.

XXXII. „At enim ira habet aliquam voluptatem et dulce est dolorem reddere.“ Minime: non enim ut in beneficiis honestum est merita meritis repensare, ita iniurias iniuriis. illic vinci turpe est, hic vincere. inhumanum verbum est et quidem pro iusto receptum [ulti o et] talio. non multum differt nisi ordine: qui dolorem regerit tantum excusatus peccat. M. Catonem ignorans in balneo quidam percussit imprudens. quis enim illi sciens faceret iniuriam? postea satisfaciendi Cato: „non memini, inquit, me percussum.“ melius putavit non agnoscere quam vindicare. „Nihil, inquis, illi post tantam petulantiam mali factum est?“ Immo multum boni: coepit Catonem nosse. Magni animi est iniurias despiciere. ultionis contumeliosissimum genus est non esse visum dignum, ex quo peteretur ultio. multi leves iniurias altius sibi demisere, dum vindicant: ille magnus et nobilis, qui more magnae ferae latratus minorum [canum] securus exaudit.

XXXIII. „Minus, inquit, contemnemur, si vindicaverimus iniuriam.“ Si tamquam ad remedium venimus, sine ira veniamus, non quasi dulce sit vindicari, sed quasi utile. saepe autem satius fuit dissimulare, quam ulcisci. Potentiorum iniuriae hilari voltu, non patienter tantum ferendae sunt. facient iterum, si se fecisse crediderint. Hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes: quos laeserunt et oderunt. Notissima vox est eius qui in cultu regum consenuerat. cum illum quidam interrogaret, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem: „iniurias, inquit, accipiendo gratias agendo.“ Saepe adeo iniuriam vindicari non expedit, ut ne fateri

3 quidem expediat. C. Caesar Pastoris splendidi equitis  
 Romani filium cum in custodia habuisset munditiis eius  
 et cultioribus capillis offensus, rogante patre ut salutem  
 sibi filii concederet, quasi de supplicio admonitus duci  
 protinus iussit. ne tamen omnia inhumane faceret adver-  
 4 sum patrem, ad coenam illum eo die invitavit. Venit Pa-  
 stor voltu nihil exprobrante. propinavit illi Caesar hemi-  
 nam et posuit illi custodem. perduravit miser, non aliter  
 quam si filii sanguinem biberet. unguentum et coronas  
 misit et observare iussit an sumeret: sumpsit. Eo die,  
 quo filium extulerat, immo quo non extulerat, iacebat  
 conviva centesimus et potiones vix honestas natalibus  
 liberorum podagricus senex hauriebat, cum interim non  
 lacrimam emisit, non dolorem aliquo signo erumpere pas-  
 sus est. coenavit tanquam pro filio exorasset. quaeris,  
 5 quare? habebat alterum. Quid ille Priamus? non dissi-  
 mulavit iram et regis genua complexus est? funestam  
 perfusamque cruore filii manum ad os suum retulit, coe-  
 navit? sed tamen sine unguento, sine coronis, et illum  
 hostis saevissimus multis solatiis, ut cibum caperet, hor-  
 tatus est, non ut pocula ingentia super caput posito cu-  
 6 stode siccaret. Contempsisses Romanum patrem, si sibi  
 timuisset: nunc iram conpescuit pietas. dignus fuit cui  
 permetteret a convivio ad ossa filii legenda discedere. ne  
 hoc quidem permisit benignus interim et comis adule-  
 scens: propinationibus senem crebris, ut cura leniretur,  
 admonens lacessebat. contra ille se laetum et oblitum, quid  
 eo actum esset die, praestitit. Perierat alter filius, si car-  
 nifici conviva non placuisset.

1 XXXIV. Ergo ira abstinendum est, sive par est qui  
 lacesendus est sive superior sive inferior. cum pare  
 contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum  
 inferiore sordidum. pusilli hominis est et miseri re-  
 petere mordentem. mures formicaeque, si manum ad-  
 moveris, ora convertunt, inbecillia se laedi putant, si  
 2 tanguntur. Faciet nos mitiores, si cogitaverimus, quid ali-  
 quando nobis profuerit ille cui irascimur, et meritis of-  
 fensa redimetur. Illud quoque occurrat, quantum nobis

commendationis adlatura sit clementiae fama, quam multos venia amicos utiles fecerit. Nec irascamur inimicorum et hostium liberis. Inter Sullanae crudelitatis exempla est, quod a republica liberos proscriptorum submovit: nihil est iniquius quam aliquem heredem paterni odii fieri. Cogitemus, quotiens ad ignoscendum difficiles erimus, an expediat nobis omnes inexorabiles esse. quam saepe veniam qui negavit, petit? quam saepe eius pedibus advolutus est, quem a suis repulit? quid est gloriosius quam iram amicitia mutare? quos populus Romanus fidioliores habet socios quam quos habuit pertinacissimos hostes? quod hodie esset imperium, nisi salubris providentia victos permiscuisset victoribus? Irascetur aliquis: tu contra beneficiis provoca. cadit statim simultas ab altera parte deserta. nisi paria non pugnant. Sed utrimque certabit ira, concurritur: ille est melior qui prior pedem retulit, victus est qui vicit. Percussit te: recede. referiendo enim et occasionem saepius feriendi dabis et excusationem. non poteris revelli, cum voles.

XXXV. Numquid velit quisquam tam graviter hostem 1 ferire, ut relinquat manum in vulnere et se ab ictu revocare non possit? atqui tale ira telum est: vix retrahitur. Arma nobis expedita prospicimus, gladium commodum et habilem: non vitabimus inpetus animi hos graves, funebres et inrevocabiles? Ea demum velocitas placet, quae 2 ubi iussa est, vestigium sistit nec ultra destinata procurrit flectique et a cursu ad gradum reduci potest. aegros scimus nervos esse, ubi invitis nobis moventur. senex aut infirmi corporis est, qui cum ambulare vult, currit: animi motus eos putemus sanissimos validissimosque, qui nostro arbitrio ibunt, non suo ferentur. Nihil tamen aequae profuerit quam primum intueri deformitatem rei, deinde periculum. Non est ullius adfectus facies turbatior. pulcherrima ora foedavit, torvos voltus ex tranquillissimis reddit.

*linquit decor omnis*

iratos: et sive amictus illis conpositus est ad legem, trahent vestem omnemque curam sui effundent. sive capillorum natura vel arte iacentium non informis habitus, cum

animo inhorrescunt. tumescunt venae. concutietur crebro spiritu pectus, rabida vocis eruptio colla distendet. tum artus trepidi, inquietae manus, totius corporis fluctuatio.

4 Qualem intus putas esse animum, cuius extra imago tam foeda est? quanto illi intra pectus terribilior voltus est, acrior spiritus, intentior inpetus, rupturus se nisi eruperit.

5 Quales sunt hostium vel ferarum caede madentium aut ad caedem euntium adspectus, qualia poetae inferna monstra finxerunt subcincta serpentibus et igneo flatu, quales ad bella excitanda discordiamque in populos dividendam pacemque lacerandam teterrimae inferum exeunt: talem nobis iram figuremus, flamma lumina ardentia, sibilo mugituque et gemitu et stridore et si qua his invisior vox est, perstreptentem, tela manu utraque quatientem, neque enim illi se tegere curae est, torvam cruentamque et cicatricosam et verberibus suis lividam, incessus vesani, obfusam multa caligine, incursitantem, vastantem fugantemque et omnium odio laborantem, sui maxime, si aliter nocere non possit, terras, maria, coelum ruere cupientem, infestam pariter invisamque. vel,

6 si videtur, sit qualis apud vates nostros est

*sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum,*

*aut scissa gaudens vadit Discordia palla,*

aut si qua magis dira facies excogitari diri adfectus potest.

1 XXXVI. „Quibusdam, ut ait Sextius, iratis profuit adspexisse speculum. perturbavit illos tanta mutatio sui. velut in rem praesentem adducti non agnoverunt se“: et quantum ex vera deformitate imago illa speculo percussa reddebat?

2 Animus si ostendi et si in ulla materia perlucere posset, intuentis nos confunderet ater maculosusque et aestuans et distortus et tumidus. nunc quoque tanta deformitas eius est per ossa carnesque et tot impedimenta effluentis: quid si nudus ostenderetur?

3 Speculo quidem neminem deterritum ab ira credis: quid ergo? qui ad speculum venerat, ut se mutaret, iam mutaverat. Iratis quidem nulla est formosior effigies quam atrox et horrida qualesque esse etiam vi-

deri volunt. Magis illud videndum est, quam multis ira <sup>4</sup> per se nocuerit. Alii nimio fervore rupere venas et sanguinem supra vires elatus clamor egressit et luminum subfudit aciem in oculos vehementius humor egestus et in morbos aegri recidere. Nulla celerior ad insaniam via <sup>5</sup> est. multi itaque continuaverunt irae furorem nec quam expulerant mentem unquam receperunt: Aiacem in mortem egit furor, in furorem ira. mortem liberis, egestatem sibi, ruinam domui inprecantur, et irasci se negant non minus quam insanire furiosi. amicissimis hostes vitandique carissimis, legum nisi qua nocent, inmemores, ad minima mobiles, non sermone, non officio adiri faciles, per vim omnia gerunt, gladiis et pugnare parati et incumbere. Maximum enim illos malum cepit et omnia ex-<sup>6</sup>superans vitia. alia paulatim intrant: repentina et universa vis huius est. omnis denique alios adfectus sibi subicit: amorem ardentissimum vincit. transfoderunt itaque amata corpora et in eorum quos occiderant iacuere complexibus. avaritiam, durissimum malum minimumque flexibile, ira calcavit adacta opes suas spargere et domui rebusque in unum collatis inicere ignem. quid? non ambitiosus magno aestimata proiecit insignia honoremque delatum repulit? Nullus adfectus est, in quem non ira dominetur.

---

**L. ANNAEI SENECAE  
DIALOGORUM LIBER V.**

AD NOVATUM

**D E I R A**

LIBER III.

---

I. Quod maxime desiderasti, Novate, nunc i facere temptabimus, iram excidere animis aut certe refrenare et in petus eius inhibere. Id ali-

quando palam aperteque faciendum est, ubi minor vis mali patitur, aliquando ex occulto, ubi nimium ardet omnique impedimento exasperatur et crescit. Refert quantas vires quamque integras habeat, utrumne verberanda et agenda retro sit an cedere ei debeamus, dum tempestas prima desaevit, ne remedia ipsa secum ferat. Consilium pro moribus cuiusque capiendum erit. quosdam enim preces vincunt. quidam insultant instantque submissis. quosdam terrendo placabimus. alios obiurgatio, alios confessio, alios pudor coepto deiecit, alios mora, lentum praecipitis mali remedium, ad quod novissime descendendum est. Ceteri enim adfectus dilationem recipiunt et curari tardius possunt: huius incitata et se ipsa rapiens violentia non paulatim procedit, sed dum incipit, tota est. nec aliorum more vitiorum sollicitat animos, sed abducit et inpotentes sui cupidosque vel communis mali exagitat, nec in ea tantum in quae destinavit, sed in occurrentia obiter furit. Cetera vitia inpellunt animos: ira praecipitat. etiam si resistere contra adfectus suos non licet, at certe adfectibus ipsis licet stare: haec non secus quam fulmina procellaeque et si qua alia inrevocabilia sunt, quia non eunt, sed cadunt, vim suam magis ac magis tendit. Alia vitia a ratione, hoc a sanitate desciscit. alia accessus lenes habent et incrementa fallentia: in ira deiectus animorum est. nulla itaque res urget magis adtonita et in vires suas prona et sive successit, superba, sive frustratur, insana. ne repulsa quidem in taedium acta, ubi adversarium fortuna subduxit, in se ipsa morsus suos vertit. Nec refert, quantum sit ex quo surrexerit. ex levissimis enim in maxima evadit.

1 II. Nullam transit aetatem, nullum hominum genus excipit. Quaedam gentes beneficio egestatis non novere luxuriam. quaedam, quia exercitae et vagae sunt, effugere pigritiam. quibus incultus mos agrestisque vita est, circumscriptio ignota est et fraus et quodcumque in foro malum nascitur: nulla gens est, quam non ira instiget, tam inter Graios quam inter barbaros potens, non minus perniciosa leges metuentibus quam quibus iura distinguit

modus virium. Denique cetera singulos corripunt, hic 2  
 unus adfectus est, qui interdum publice concipitur. num-  
 quam populus universus feminae amore flagravit, nec in  
 pecuniam aut lucrum tota civitas spem suam misit. ambi-  
 tio viritim singulos occupat. inpotentia non est malum  
 publicum: saepe in iram uno agmine itum est. viri, femi- 3  
 nae, senes, pueri, principes volgusque consensere et  
 tota multitudo paucissimis verbis concitata ipsum conci-  
 tatore[m] antecessit. ad arma protinus ignesque discurs-  
 sum est et indicta finitimis bella aut gesta cum civibus.  
 totae cum stirpe omni crematae domus et modo eloquio 4  
 favorabilis habitus [in multo honore] iram suae concionis  
 excepit. in imperatorem suum legiones pila torserunt.  
 dissedit plebs tota cum patribus. publicum consilium,  
 senatus non exspectatis delectibus nec nominato impera-  
 tore subitos irae suae duces legit ac per tecta urbis nobi-  
 lis consecratus viros supplicium manu sumpsit. violatae 5  
 legationes rupto iure gentium rabiesque [in] infanda civi-  
 tatem tulit. nec datum tempus, quo resideret tumor publi-  
 cus, sed deductae protinus classes et oneratae tumultua-  
 rio milite. sine more, sine auspiciis populus ductu irae  
 suae egressus fortuita raptaque pro armis gessit, deinde  
 magna clade temeritatem audacis irae luit. Hic barbaris 6  
 forte viventibus in bella exitus est. cum mobilis animos  
 species iniuriae perculit, aguntur statim et qua dolor  
 traxit, ruinae modo regionibus incidunt inconpositi, inter-  
 riti, incauti, pericula adpetentes sua. gaudent feriri et  
 instare ferro et tela corpore urgere et per suum volnus  
 exire.

III. „Non est, inquis, dubium, quin magna ista et 1  
 pestifera sit vis: ideo quemadmodum sanari debeat mon-  
 stra.“ Atqui, ut in prioribus libris dixi, stat Aristoteles  
 defensor irae et vetat illam nobis exsecari: calcar ait  
 esse virtutis, hac erepta inermem animum et ad conatus  
 magnos pigrum inertemque fieri. Necessarium est itaque 2  
 foeditatem eius ac feritatem coarguere et ante oculos  
 ponere, quantum monstri sit homo in hominem furens  
 quantoque inpetu ruat non sine pernicie sua perniciosus

et ea deprimens, quae mergi nisi cum mergente non pos-  
 3 sunt. Quid ergo? sanum hunc aliquis vocat, qui velut  
 tempestate correptus non ita sed agitur et furenti malo  
 servit? nec mandat ultionem suam, sed ipse eius exactor  
 animo simul ac manu saevit carissimorum eorumque quae  
 4 mox amissa fleturus est, carnifex? hunc aliquis adfectum  
 virtuti adiutorem comitemque dat, consilia sine quibus  
 virtus nihil gerit, obturbantem? caducae sinistraeque sunt  
 vires et in malum suum validae, in quas aegrum morbus  
 5 et accessio erexit. Non est ergo quod me putes tempus  
 in supervacuis consumere, quod iram, quasi dubiae apud  
 homines opinionis sit, infamem, cum aliquis sit et quidem  
 de inlustribus philosophis, qui illi indicat operas et tam-  
 quam utilem ac spiritus subministrantem in proelia, in  
 actus rerum, ad omne quodcumque calore aliquo geren-  
 6 dum est, vocet. Ne quem fallat tamquam aliquo tempore,  
 aliquo loco profutura, ostendenda est rabies eius effrenata  
 et adtonita adparatusque illi reddendus est suus,  
 eculei et fideulae et ergastula et cruces et circumdati  
 defossis corporibus ignes et cadavera quoque trahens  
 uncus, varia vinculorum genera, varia poenarum, lacerationes  
 membrorum, inscriptiones frontis et bestiarum inmanium caveae.  
 inter haec instrumenta conlocetur ira dirum quiddam atque  
 horridum stridens, omnibus per quae furit tetrior.

1 IV. Ut de ceteris dubium sit, nulli certe adfectui peior  
 est voltus, quem in prioribus libris descripsimus asperum  
 et acrem et nunc subducto retrorsus fugatoque sanguine  
 pallentem, nunc in os omni calore ac spiritu verso sub-  
 rubicundum et similem cruento, venis tumentibus, oculis  
 nunc trepidis et exsipientibus, nunc in uno obtutu defixis  
 2 et haerentibus. adice dentium inter se arietatorum et  
 aliquem esse cupientium non alium sonum quam est apris  
 tela sua adritu acuentibus. adice articulorum crepitum,  
 cum se ipsae manus frangunt et pulsatum saepius pectus,  
 anhelitus crebros tractosque altius gemitus, instabile cor-  
 pus, incerta verba subitis exclamationibus, tremencia  
 labra interdumque compressa et dirum quiddam exhibi-



lantia: ferarum meherecules, sive illas fames agitat sive 3  
 infixum visceribus ferrum, minus tetra facies est, etiam  
 cum venatorem suum semianimes morsu ultimo petunt,  
 quam hominis ira flagrantis. age, si exaudire voces ac  
 minas vacet, qualia excarnificati animi verba sunt? Nonne 4  
 revocare se quisque ab ira volet, cum intellexerit illam  
 a suo primum malo incipere? non vis ergo admoneam  
 eos, qui iram summa potentia exercent et argumentum  
 virium existimant et in magnis magnae fortunae bonis  
 ponunt paratam ultionem, quam non [sit] potens, immo  
 ne liber quidem dici possit irae suae captus? non vis 5  
 admoneam, quo diligentior quisque sit et ipse se circum-  
 spiciat. alia animi mala ad pessimos quosque pertinere,  
 iracundiam etiam eruditis hominibus et in alia sanis in-  
 repere? adeo ut quidam simplicitatis indicium iracun-  
 diam dicant et volgo credatur facillimus quisque huic  
 obnoxius.

V. „Quorsus, inquis, hoc pertinet?“ Ut nemo se 1  
 iudicet tutum ab illa, cum lenes quoque natura et placi-  
 dos in saevitiam ac violentiam evocet. Quemadmodum  
 adversus pestilentiam nihil prodest firmitas corporis et  
 diligens valitudinis cura, promiscue enim inbecilla robu-  
 staque invadit: ita ab ira tam inquietis moribus pericu-  
 lum est quam compositis et remissis, quibus eo turpior  
 ac periculosior est, quo plus in illis mutat. Sed cum 2  
 primum sit non irasci, secundum detinere,  
 tertium alienae quoque irae mederi, dicam  
 primum, quemadmodum in iram non incida-  
 mus, deinde quemadmodum nos ab illa libere-  
 mus, novissime quemadmodum irascentem  
 retineamus placemusque et ad sanitatem re-  
 ducamus.

Ne irascamur praestabimus, si omnia vitia irae nobis 3  
 subinde proposuerimus et illam bene aestimaverimus.  
 accusanda est apud nos, damnanda. perscrutanda eius  
 mala et in medium protrahenda sunt. Ut qualis sit adpa- 4  
 reat, comparanda cum pessimis est: avaritia acquirit et  
 contrahit, quo aliquis melior utatur: ira [quos] incendit,

paucis gratuita est. iracundus dominus quot in fugam servos egit? quot in mortem? quanto plus irascendo quam id erat, propter quod irascebatur, amisit? ira patri luctum, marito divortium adtulit, magistratui odium, candidato repulsam. Peior est quam luxuria, quoniam illa sua voluptate fruitor, haec alieno dolore. Vincit malignitatem et invidiam: illae enim infelicem fieri volunt, haec facere. illae fortuitis malis delectantur, haec non potest exspectare fortunam. nocere ei quem odit, non noceri 6 vult. Nihil est simultatibus gravius: has ira conciliat. nihil est bello funestius: in hoc potentium ira prorumpit. ceterum etiam illa plebeia ira et privata inerme et sine viribus bellum est. Praeterea ira, ut seponamus, quae mox secutura sunt, damna, insidias, perpetuam ex certaminibus mutuis sollicitudinem, dat poenas dum exigit: naturam hominis eiurat. illa in amorem hortatur, haec in 7 odium. illa prodesse iubet, haec nocere. Adice quod, cum indignatio eius a nimio *sui* suspectu eveniat et animosa videatur, pusilla est et angusta. nemo enim non eo, a quo se contemptum iudicat, minor est: at ille ingens animus et verus aestimator sui non vindicat iniuriam, quia 8 non sentit. Ut tela a duro resiliunt et cum dolore caedentis solida feriuntur, ita nulla magnum animum iniuria ad sensum sui adducit, fragilior eo quod petit. quanto pulchrius velut nulli penetrabilem telo omnis iniurias contumeliasque respuere! Ultio doloris confessio est: non est magnus animus, quem incurvat iniuria. Aut potentior te aut inbecillior laesit: si inbecillior, parce illi, si potentior, tibi.

1 VI. Nullum est argumentum magnitudinis certius quam nihil posse quo instigeris accidere. Pars superior mundi et ordinatior ac propinqua sideribus nec in nubem cogitur nec in tempestatem impellitur nec versatur in turbine. omni tumultu caret. inferiora fulminantur: eodem modo sublimis animus, quietus semper et in statione tranquilla collocatus, omnia intra se premens, quibus ira contrahitur, modestus et venerabilis est et dispositus, 2 quorum nihil invenies in irato. Quis enim traditus dolori

et furens non primam reiecit verecundiam? quis inpetu turbidus et in aliquem ruens non quicquid in se verecundi habuit, abiecit? cui officiorum numerus aut ordo constitit incitato? quis linguae temperavit? quis ullam partem corporis tenuit? quis se regere potuit inmissum? Proderit nobis illud Democriti salutare praeceptum, quo 3 monstratur tranquillitas, si neque privatim neque publice multa aut maiora viribus nostris egerimus. Numquam tam feliciter in multa discurrenti negotia dies transit, ut non aut ex homine aut ex re offensa nascatur, quae animum in iras paret. Quemadmodum per frequentia urbis 4 loca properanti in multos incursitandum est et aliubi labi necesse est, aliubi retineri, aliubi respergi: ita in hoc vitae actu dissipato et vago multa impedimenta, multae querelae incidunt: alius spem nostram fefellit, alius distulit, alius intercepit. non ex destinato proposita fluxerunt. Nulli fortuna tam dedita est, ut multa temptanti ubique 5 respondeat: sequitur ergo, ut is cui contra quam proposuerat, aliqua cesserunt, impatiens hominum rerumque sit, ex levissimis causis irascatur nunc personae, nunc negotio, nunc loco, nunc fortunae, nunc sibi. Itaque ut 6 quietus possit esse animus, non est iactandus nec multarum, ut dixi, rerum actu fatigandus nec magnarum supraque vires adpetitarum. Facile est levia aptare cervicibus et in hanc aut illam partem transferre sine lapsu: at quae alienis in nos manibus inposita aegre sustinemus, victi in proximo effundimus. etiam dum stamus sub sarcina, in pares oneri vacillamus.

VII. Idem accidere in rebus civilibus ac domesticis 1 scias. Negotia expedita et habilia sequuntur actorem: ingentia et supra mensuram gerentis nec dant se facile et, si occupata sunt, premunt atque abducunt administrantem tenerique iam visa cum ipso cadunt: ita fit, ut frequenter inrita sit eius voluntas, qui non quae facilia sunt adgreditur, sed vult facilia esse quae adgressus est. Quotiens aliquid conaberis, te simul et ea quae paras 2 quibusque pararis ipse metire. faciet enim te asperum poenitentia operis infecti. hoc interest utrum quis fer-

vidi sit ingenii an frigidi atque humilis: generoso repulsa iram exprimet, languido inertique tristitiam. Ergo actiones nostrae nec parvae sint nec audaces et improbae. in vicinum spes exeat. nihil conemur, quod mox adepti quoque successisse miremur.

- 1 VIII. Demus operam, ne accipiamus iniuriam, quia ferre nescimus. Cum placidissimo et facillimo et minime anxio morosoque vivendum est: sumuntur a conversantibus mores et ut quaedam in contactos corporis vitia  
2 transsiliunt, ita animus mala sua proximis tradit: ebriosus convictores in amorem meri traxit. inpu dicorum coetus fortem quoque et, si liceat, virum emolliit. avaritia in proximos virus suum transtulit. Eadem ex diverso ratio virtutum est, ut omne quod secum habent mitigent. nec tam validitudini profuit utilis regio et salubrius coelum  
3 quam animis parum firmis in turba meliore versari. Quae res quantum possit intelleges, si videris feras quoque convictu nostro mansuescere nullique etiam inmani bestiae vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est. retunditur omnis asperitas paulatimque inter placida dediscitur. accedit huc, quod non tantum exemplo melior fit qui cum quietis hominibus vivit, sed quod causas irascendi non invenit nec vitium suum exercet: fugere itaque debet omnis quos irritaturos iracundiam sciet. „Qui sunt, inquis, isti?“ Multi ex variis causis idem facturi: offendet te superbus contemptu, dicax contumelia, petulans iniuria, lividus malignitate, pugnax contentione, ventosus et mendax vanitate. non feres a suspicioso timeri, a pertinace vinci, a delicato  
5 fastidiri. Elige simplices, faciles, moderatos, qui iram tuam nec evocent et ferant. magis adhuc proderunt submissi et humani et dulces, non tamen usque in adulatio-  
6 nem. nam iracundos nimia adsentatio offendit. Erat certe amicus noster vir bonus, sed irae paratioris, cui non magis tutum erat blandiri quam maledicere. Coelium oratorem fuisse iracundissimum constat. cum quo, ut aiunt, coenabat in cubiculo lectae patientiae cliens, sed difficile erat illi in copulam coniecto rixam eius cum quo

haerebat effugere. optimum iudicavit quicquid dixisset sequi et secundas agere: non tulit Coelius adsentientem et exclamavit: *dic aliquid contra, ut duo simus*. Sed ille quoque, quod non irasceret, iratus cito sine adversario desiit. Eligamus ergo vel hos potius, si conscii nobis 7 iracundiae sumus, qui voltum nostrum ac sermonem sequantur. facient quidem nos delicatos et in malam consuetudinem inducent nihil contra voluntatem audiendi, sed proderit vitio suo intervallum et quietem dare. Difficilis quoque et indomiti natura blandientem feret: nihil asperum territumque palpanti est. Quotiens disputatio 8 longior et pugnacior erit, in prima resistamus, antequam robur accipiat. alit se ipsa contentio et demissos altius tenet. Facilius est se a certamine abstinere quam abducere.

IX. Studia quoque graviora iracundis omittenda sunt 1 aut certe citra lassitudinem exercenda et animus non inter plura versandus, sed artibus amoenis tradendus: lectio illum carminum obleniat et historia fabulis detineat. mollius delicatiusque tractetur. Pythagoras perturbatio- 2 nes animi lyra componebat. quis autem ignorat lituos et tubas concitamenta esse, sicut quosdam cantus blandimenta, quibus mens resolvatur? confusis oculis prosunt virentia et quibusdam coloribus infirma acies adquiescit, quorumdam splendore praestringitur: sic mentes aegras studia laeta permulcent. Forum, advocaciones, iudicia fu- 3 gere debemus et omnia, quae exulcerant vitium, aequae cavere [ac] lassitudinem corporis: consumit enim quicquid in nobis mite placidumque est et acria concitat. Ideo 4 quibus stomachus suspectus est, processuri ad res agendas maioris negotii bilem cibo temperant, quam maxime movet fatigatio, sive quia calorem in media compellit et nocet sanguini cursumque eius venis laborantibus sistit, sive quia corpus adtenuatum et infirmum incumbit animo. certe ob eandem causam iracundiores sunt valitudine aut aetate fessi. Fames quoque et sitis ex isdem causis vitanda est: exasperat et incendit animos. Vetus dictum est „a 5 lasso rixam quaeri.“ aequae autem et ab esuriente et a si-

tiente et ab omni homine quem aliqua res urit. nam ut ulcera ad levem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt, ita animus adfectus minimis offenditur, adeo ut quosdam salutatio et epistula et oratio et interrogatio in litem evocent.

- 1 X. Numquam sine querela aegra tanguntur. optimum est itaque ad primum mali sensum mederi sibi. tum verbis quoque suis minimum libertatis dare et in-
- 2 hibere inpetum. Facile est autem adfectus suos, cum primum oriuntur, deprehendere: morborum signa praecurrunt. quemadmodum tempestatis ac pluviae ante ipsas notae veniunt, ita irae, amoris omniumque istarum procellarum animos vexantium sunt quaedam praenuntia.
- 3 Qui comitali vitio solent corripri, iam adventare validitudinem intellegunt, si calor summa deseruit et incertum lumen nervorumque trepidatio est, si memoria sublabitur caputque versatur. solitis itaque remediis incipientem causam occupant et odore gustuque quicquid est quod alienat animos, repellitur: aut fomentis contra frigus rigoremque pugnatur, aut si parum medicina profecit, vi-
- 4 taverunt turbam et sine teste ceciderunt. Prodest morbum suum nosse et vires eius antequam spatentur, opprimere. videamus quid sit, quod nos maxime concitet: alium verborum, alium rerum contumeliae movent. hic vult nobilitati, hic formae suae parci. hic elegantissimus haberi cupit, ille doctissimus. hic superbiae inpatiens est, hic contumaciae. ille servos non putat dignos quibus irascatur, hic intra domum saevus est, foris mitis. ille rogari invdiam iudicat, hic non rogari contumeliam. Non omnes ab eadem parte feriuntur: scire itaque oportet, quid in te inbecillum sit, ut id maxime protegas.

- 1 XI. Non expedit omnia videre, omnia audire. multae nos iniuriae transeant, ex quibus plerasque non accipit qui nescit. Non vis esse iracundus? ne fueris curiosus. qui inquirit quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habiti sunt, eruit, se ipse inquietat. quaedam interpretatio eo perducit, ut videantur iniuriae: itaque alia differenda sunt, alia deridenda, alia donanda.

Circumscribenda multis modis ira est. pleraque in lusum 2  
iocumque vertantur. Socratem aiunt colapho percussum  
nihil amplius dixisse quam „molestum esse, quod nesci-  
rent homines, quando cum galea prodire deberent.“ Non 3  
quemadmodum facta sit iniuria refert, sed quemadmodum  
lata. nec video quare difficilis sit moderatio, cum sciam  
tyrannorum quoque tumida et fortuna et licentia ingenia  
familiarem sibi saevitiam repressisse. Pisistratum certe, 4  
Atheniensium tyrannum, memoriae proditur, cum multa  
in crudelitatem eius ebrius conviva dixisset nec deessent  
qui vellent manus ei commodare et alius hinc, alius illinc  
faces subderent, placido animo tulisse et hoc inritantibus  
respondisse „non magis illi se succensere quam si quis  
obligatis oculis in se incurrisset.“

XII. Magna pars querelas manu fecit aut falsa suspi- 1  
cando aut levia adgravando. saepe ad nos ira venit, sae-  
pius nos ad illam. quae numquam arcessenda est. etiam  
cum incidit, reiciatur. Nemo dicit sibi: „hoc propter quod 2  
irascor, aut feci aut fecisse potui.“ nemo animum facien-  
tis, sed ipsum aestimat factum: atqui ille intuendus est,  
voluerit an inciderit, coactus sit an deceptus, odium  
secutus sit an praemium, sibi morem gesserit an manum  
alteri commodaverit. aliquid aetas peccantis facit, aliquid  
fortuna, ut ferre aut pati aut humanum sit aut humile.  
Eo nos loco constituamus, quo ille est cui irascimur: 3  
nunc facit nos iracundos iniqua nostri aestimatio et quae  
facere vellemus, pati nolumus. Nemo se differt: atqui 4  
maximum remedium irae dilatio est, ut primus eius fervor  
relanguescat et caligo quae premit mentem, aut residat  
aut minus densa sit. quaedam ex his quae te praecipitem  
ferebant, hora, non tantum dies molliet, quaedam ex toto  
evanescent: si nihil egerit petita advocatio, adparebit iam  
iudicium esse, non iram. Quicquid voles quale sit scire,  
tempori trade. nihil diligenter in fluctu cernitur. Non 5  
potuit inpetrare a se Plato tempus, cum servo suo irasce-  
retur, sed ponere illum statim tunicam et praebere sca-  
pulas verberibus iussit sua manu ipse caesurus. post-  
quam intellexit irasci se, sicut sustulerat manum suspen-

sam detinebat et stabat percussuro similis. interrogatus deinde ab amico, qui forte intervenerat, quid ageret: 6 „exigo, inquit, poenas ab homine iracundo.“ Velut stupens gestum illum saevituri deformem sapienti viro servabat, oblitus iam servi, quia alium quem potius castigaret invenerat. itaque abstulit sibi in suos potestatem et ob peccatum quoddam commotior: „tu, inquit, Speusippe, servulum istum verberibus obiurga: nam ego irascor.“ 7 Ob hoc non cecidit, propter quod alius cecidisset. Irascor, inquit: plus faciam quam oportet, libentius faciam: non sit iste servus in eius potestate qui in sua non est. Aliquis vult irato committi ultionem, cum Plato sibi ipse imperium abrogaverit? Nihil tibi liceat, dum irasceris. quare? quia vis omnia licere.

- 1 XIII. Pugna tecum ipse: si vincere iram non potes, te illa incipit vincere. si absconditur, si illi exitus non datur, signa eius obruamus et illam quantum fieri potest 2 occultam secretamque teneamus. Cum magna id nostra molestia fiet. cupit enim exsilire et incendere oculos et mutare faciem. sed si eminere illi extra nos licuit, supra nos est. In imo pectoris secessu recondatur feraturque, non ferat. immo in contrarium omnia eius indicia flectamus: voltus remittatur, vox lenior sit, gradus lentior. 3 paulatim cum exterioribus interiora formantur. In Socrate irae signum erat vocem submittere, loqui parcius. adparebat tunc illum sibi obstare. deprehendebatur itaque a familiaribus et coarguebatur, nec erat illi exprobratio latitantis irae ingrata. quidni gauderet, quod iram suam multi intellexerent, nemo sentiret? sensissent autem, nisi ius amicis obiurgandi se dedisset, sicut ipse sibi in 4 amicos sumpserat. Quanto magis hoc nobis faciendum est? rogemus amicissimum quemque, ut tunc maxime libertate adversus nos utatur, cum minime illam pati poterimus, nec adsentiatur irae nostrae. contra [nos,] potens malum et apud nos gratiosum, dum conspicimus, dum 5 nostri sumus, advocemus. Qui vinum male ferunt et ebrietatis suae temeritatem ac petulantiam metuunt, mandant suis, ut e convivio auferantur. Intemperantiam in morbo



suam experti parere ipsis in adversa valitudine vetant. Optimum est notis vitiis inpedimenta prospicere et ante omnia ita componere animum, ut etiam gravissimis rebus subitisque concussus iram aut non sentiat aut magnitudine inopinatae iniuriae exortam in altum retrahat nec dolorem suum profiteatur. Id fieri posse adparebit, si pauca ex turba ingenti exempla protulero, ex quibus utrumque discere licet, quantum mali habeat ira, ubi hominum praepotentum potestate tota utilitur, quantum sibi imperare possit, ubi metu maiore compressa est.

XIV. Cambysen regem nimis deditum vino Praexaspes unus ex carissimis monebat, ut parcius biberet, turpem esse dicens ebrietatem in rege, quem omnium oculi auresque sequerentur. Ad haec ille: „ut scias, inquit, quemadmodum numquam excidam mihi, adprobabo iam et oculos post vinum in officio esse et manus.“ Bibit deinde liberalius quam alias capacioribus scyphis et iam gravis ac vino lentus obiurgatoris sui filium procedere ultra limen iubet adlevataque super caput sinistra manu stare. tunc intendit arcum et ipsum cor adulescentis, id enim petere se dixerat, figit rescissoque pectore haerens in ipso corde spiculum ostendit ac respiciens patrem interrogavit, satisne certam haberet manum. At ille negavit Apollinem potuisse certius mittere. Di illum male perdant animo magis quam condicione mancipium! eius rei laudator fuit, cuius nimis erat spectatorem fuisse. occasionem blanditiarum putavit pectus filii in duas partes diductum et cor sub vulnere palpitans. controversiam illi facere de gloria debuit et revocare iactum, ut regi liberet in ipso patre certio rem manum ostendere. O regem cruentum! o dignum in quem omnium suorum arcus verterentur! Cum execrati fuerimus illum convivia suppliciiis funeribusque solventem, tamen sceleratius telum illud laudatum est quam missum. videbimus quomodo se pater gerere debuerit stans super cadaver filii sui caedemque illam, cuius et testis fuerat et causa: id de quo nunc agitur, adparet, iram suppressi posse. Non male dixit regi, nullum emisit ne calamitosi quidem verbum,

cum aequae cor suum quam filii transfixum videret. potest dici merito devorasse verba. nam si quid tamquam iratus dixisset, nihil tamquam pater facere potuisset. Potest, inquam, videri sapientius se in illo casu gessisse, quam cum de potandi modo praeciperet [ei], quem satius erat vinum quam sanguinem bibere, cuius manus poculis occupari pax erat: accessit itaque ad numerum eorum, qui magnis cladibus ostenderunt, quanti constarent regum amicis bona consilia.

- 1 XV. Non dubito quin Harpagus quoque tale aliquid regi suo Persarumque suaserit, quo offensus liberos illi epulandos adposuit et subinde quaesivit: an placeret conditura. Deinde ut satis illum plenum malis suis vidit, adferri capita illorum iussit et quomodo esset acceptus interrogavit. Non defuerunt misero verba, non os concurrerit: „apud regem, inquit, omnis coena iucunda est.“
- 2 Quid hac adulatione profecit? ne ad reliquias invitaretur. Non veto patrem damnare regis sui factum, non veto quaerere dignam tam truci portento poenam, sed hoc interim colligo, posse etiam ex ingentibus malis nascentem iram
- 3 abscondi et ad verba contraria sibi cogi. Necessaria ista est doloris refrenatio, utique hoc sortitis vitae genus et ad regiam adhibitis mensam: sic estur apud illos, sic bibitur, sic respondetur, funeribus suis adridendum est. An tanti sit vita videbimus: alia ista quaestio est. Non consolabimur tam triste ergastulum, non adhortabimur ferre imperia carnificum: ostendemus in omni servitute apertam libertati viam. si aeger animus et [non] suo vitio miser est, huic miserias finire secum licet. Dicam et illi, qui in regem incidit sagittis pectora amicorum petentem, et illi, cuius dominus liberorum visceribus patres saturat: quid gemis, demens, quid exspectas, ut te aut hostis aliquis per exitium gentis tuae vindicet aut rex a longinquo potens advolet? quocumque respexeris, ibi malorum finis est: vides illum praecipitem locum? illac ad libertatem descenditur. vides illud mare, illud flumen, illum puteum? libertas illic in imo sedet. vides illam arborem brevem, retorridam, infelicem? pendet inde libertas. vides

iugulum tuum, guttur tuum, cor tuum? effugia servitutis sunt. nimis tibi operosos exitus monstro et multum animi ac roboris exigentes? quaeris quod sit ad libertatem iter? quaelibet in corpore tuo vena.

XVI. Quamdiu quidem nihil tam intolerabile nobis videtur, ut nos expellat e vita, iram, in quocumque erimus statu, removeamus: pernicioſa eſt ſervientibus. omnis enim indignatio in tormentum ſuum proficit et imperia graviora ſentit quo contumacius patitur. Sic laqueos fera dum iactat, adstringit. ſic aves viſcum, dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus inlinunt. Nullum tam artum eſt iugum quod non minus laedat ducentem quam repugnantem. unum eſt levamentum malorum ingentium, pati et neceſſitatibus ſuis obſequi. Sed cum utilis ſit ſervientibus adfectum ſuorum et huius praecipue rabidi atque effreni continentia, utilior eſt regibus: perierunt omnia, ubi quantum ira ſuadet, fortuna permittit, nec diu poteſt quae multorum malo exercetur potentia ſtare. periclitatur enim, ubi eos qui ſeparatim gemunt, communis metus iunxit. pleroſque itaque modo ſinguli mactaverunt, modo univerſi, cum illos conferre in unum iras publicus dolor coeſiſſet. Atqui plerique ſic iram quaſi inſigne regum exercuerunt, ſicut Dareus, qui primus poſt ablatum mago imperium Perſas et magnam partem orientis obtinuit. nam cum bellum Scythiſ indixiſſet orientem cingentibus, rogatus ab Oeobazo nobili ſene, ut ex tribus liberis unum in ſolatium patri relinqueret, duorum opera uteretur, plus quam rogabatur pollicitus omnis ſe illi dixit remiſſurum et occiſos in conſpectu parentis abiecti, crudelis futurus, ſi omnis abduxiſſet. At quanto Xerxes facilior? qui Pythio quinque filiorum patri unius vacationem petenti, quem vellet eligere permisit. Deinde quem elegerat, in partes duas diſtractum ab utroque viae latere poſuit et hac victima luſtravit exercitum. Habuit itaque quem debuit exitum: victus et late longeque fuſus ac ſtratam ubique ruinam ſuam cernens medius inter ſuorum cadavera inceſſit.

XVII. Haec barbaris regibus feritas in ira fuit: quos I

nulla eruditio, nullus literarum cultus inbuerat: dabo tibi  
 ex Aristotelis sinu regem Alexandrum, qui Clitum caris-  
 simum sibi et una educatum inter epulas transfodit manu  
 quidem sua, parum adulantem et pigre ex Macedone ac  
 2 libero in Persicam servitutem transeuntem. nam Lysima-  
 chum aequae familiarem sibi leoni obiecit. numquid ergo  
 hic Lysimachus felicitate quadam dentibus leonis elapsus  
 3 ob hoc, cum ipse regnaret, mitior fuit? Nam Telespho-  
 rum Rhodium amicum suum undique decurtatum, cum  
 aures illi nasumque abscidisset, in cavea velut novum  
 animal aliquod et inusitatum diu pavit, cum oris detrun-  
 cati mutilatique deformitas humanam faciem perdidisset.  
 accedebat fames et squalor et inlucies corporis in ster-  
 4 core suo destituti. callosis super haec genibus manus-  
 que, quas in usum pedum angustiae loci cogebant, lateri-  
 bus vero adritu exulceratis non minus foeda quam terri-  
 bilis erat forma eius visentibus, factusque poena sua mon-  
 strum misericordiam quoque amiserat: tamen cum dis-  
 simillimus esset homini qui illa patiebatur, dissimilior erat  
 qui faciebat.

1 XVIII. Utinam ista saevitia intra peregrina exempla  
 mansisset nec in Romanos mores cum aliis adventiciis  
 vitiis etiam suppliciorum irarumque barbaria transisset!  
 M. Mario cui vicatim populus statuas posuerat, cui ture  
 ac vino \* supplicabat, L. Sulla praefringi crura, erui ocu-  
 los, amputari manus iussit et quasi totiens occideret quo-  
 tiens vulnerabat, paulatim et per singulos artus laceravit.  
 2 Quis erat [huius] imperii minister? quis nisi Catilina iam  
 in omne facinus manus exercens? is illum ante bustum  
 Q. Catuli carpebat gravissimus mitissimi viri cineribus,  
 supra quos vir mali exempli, popularis tamen et non tam  
 inmerito quam nimis amatus per stillicidia sanguinem da-  
 bat. Dignus erat Marius qui illa pateretur, Sulla qui iube-  
 ret, Catilina qui faceret, sed indigna respublica quae in  
 corpus suum pariter et hostium et vindicum gladios reci-  
 3 peret. Quid antiqua perscrutor? modo C. Caesar Sextum  
 Papinium, cui pater erat consularis, Betilium Bassum  
 quaestorem suum, procuratoris sui filium, aliosque et se-

natores et equites Romanos uno die flagellis cecidit, torsit, non quaestionis, sed animi causa. deinde adeo impatientis fuit differendae voluptatis, quam ingentem crudelitas eius sine dilatione poscebat, ut in xysto maternorum hortorum, qui porticum a ripa separat, inambulans quosdam ex illis cum matronis atque aliis senatoribus ad lucernam decollaret. Quid instabat? quod periculum aut privatum aut publicum una nox minabatur? quantum fuit lucem exspectare denique, ne senatores populi Romani soleatus occideret?

XIX. Quam superba fuerit crudelitas eius ad rem pertinet scire, quamquam aberrare alicui possimus videri et in devium exire: sed hoc ipsum pars erit irae super solita saevientis. Ceciderat flagellis senatores: ipse effecit, ut dici possit: solet fieri. torserat per omnia quae in rerum natura tristissima sunt, fidiculis, talaribus, eculo, igne, vultu suo. Et hoc loco respondebitur: magnam rem! si tres senatores quasi nequam mancipia inter verbera et flammam divisit homo, qui de toto senatu trucidando cogitabat, qui optabat, ut populus Romanus unam cervicem haberet, ut scelera sua tot locis ac temporibus diducta in unum ictum et unum diem cogeret. quid tam inauditum quam nocturnum supplicium? cum latrocinia tenebris abscondi soleant, animadversiones, quo notiores sunt, plus in exemplum emendationemque proficiant. Et hoc loco respondebitur mihi: quod tanto opere admiraris, isti beluae cotidianum est. ad hoc vivit, ad hoc vigilat, ad hoc lucubrat. Nemo certe invenietur alius, qui imperaverit omnibus iis, in quos animadverti iubebat, os inserta spongia includi, ne vocis emittendae haberent facultatem. cui unquam morituro non est relictum qua gemeret? timuit, ne quam liberio rem vocem extremus dolor mitteret, ne quid quod nollet audiret. sciebat autem innumerabilia esse, quae obicere illi nemo nisi periturus auderet. Cum spongiae non invenirentur, scindi vestimenta miserorum et in os farciri pannos imperavit: quae ista saevitia est? liceat ultimum spiritum trahere. da exiturae animae locum. liceat illam non per vulnus emittere. Adicere his longum 5

est, quod patres quoque occisorum eadem nocte dimissis per domos centurionibus confecit: id est, homo misericors luctu liberavit. non enim Caii saevitiam, sed irae, propositum est describere: quae non tantum viritum furit, sed gentes totas lancinat, sed urbes et flumina et tuta ab omni sensu doloris converberat.

- 1 XX. Sic rex Persarum totius populi nares recidit in Syria, unde Rhinocolura loco nomen est. Pepercisse illum iudicas, quod non tota capita praecidit? novo genere poenae delectatus est. Tale aliquid passi forent Aethiopes, qui ob longissimum vitae spatium Macrobiotae adpellantur. in hos enim, quia non supinis manibus exceperant servitutem missisque legatis libera responsa dederant, quae contumeliosa reges vocant, Cambyses fremebat et non provisus com meatibus, non exploratis itineribus, per invia, per arentia trahebat omnem bello utilem turbam, cui intra primum iter deerant necessaria nec quicquam subministrabat sterilis et inculta humanoque ignota vestigio
- 3 regio. Sustinebant famem primo tenerrima frondium et cacumina arborum, tum coria igne mollita et quicquid necessitas cibum fecerat. postquam inter arenas radices quoque et herbae defecerant adparuitque inops etiam animalium solitudo, decimum quemque sortiti alimentum
- 4 habuerunt fame saevius. Agebat adhuc ira regem praecipitem, cum partem exercitus amisisset, partem comedisset, donec timuit, ne et ipse vocaretur ad sortem: tum demum signum receptui dedit. servabantur interim generosae illi aves et instrumenta epularum camelis vehebantur, cum sortirentur milites eius, quis male periret, quis peius viveret.
- 1 XXI. Hic iratus fuit genti et ignotae et inmeritae, sensurae tamen: Cyrus flumini. Nam cum Babylona oppugnaturus festinaret ad bellum, cuius maxima momenta in occasionibus sunt, *Gynden* late fusum amnem vado transire temptavit, quod vix tutum est, etiam cum sensit
- 2 aestatem et ad minimum deductus est. Ibi unus ex iis equis, qui trahere regium currum albi solebant, abreptus vehementer commovit regem: iuravit itaque se amnem

illum regis comitatus auferentem eo redacturum, ut trans-  
 iri calcarique etiam a feminis posset. Huc deinde om- 3  
 nem transtulit belli adparatum et tamdiu adsedit operi,  
 donec c et lxxx cuniculis divisum alveum in ccc et lx  
 rivos dispergeret et siccum relinqueret in diversum fluen-  
 tibus aquis. Periit itaque et tempus, magna in magnis 4  
 rebus iactura, et militum ardor, quem inutilis labor fregit,  
 et occasio adgrediendi inparatos, dum ille bellum indi-  
 ctum hosti cum flumine gerit. Hic furor, quid enim aliud 5  
 voces? Romanos quoque contigit. C. enim Caesar villam  
 in Herculansensi pulcherrimam, quia mater sua aliquando  
 in illa custodita erat, diruit fecitque eius per hoc nota-  
 bilem fortunam. stantem enim praenavigabamus, nunc  
 causa dirutae quaeritur.

XXII. Et haec cogitanda sunt exempla, quae vites, et 1  
 illa e contrario, quae sequaris, moderata, lenia, quibus  
 nec ad irascendum causa defuit nec ad ulciscendum pote-  
 stas. Quid enim facilius fuit Antigono quam duos mani- 2  
 pulares duci iubere, qui incumbentes regis tabernaculo  
 faciebant, quod homines et periculosissime et libentissime  
 faciunt, [qui] de rege suo male existimant? Audierat  
 omnia Antigonus, utpote cum inter dicentem et audien-  
 tem palla interesset. quam ille leviter commovit et: „lon-  
 gius, inquit, discedite, ne vos rex audiat.“ Idem quadam 3  
 nocte, cum quosdam ex militibus suis exaudisset omnia  
 mala inprecantis regi, qui ipsos in illud iter et inextrica-  
 bile lutum deduxisset, accessit ad eos, qui maxime labo-  
 rabant, et cum ignorantes a quo adiuvarentur explicuis-  
 set: „nunc, inquit, maledicite Antigono, cuius vitio in  
 has miserias incidistis: ei autem bene optate, qui vos ex  
 hac voragine eduxit.“ Idem tam mihi animo hostium suo- 4  
 rum maledicta quam civium tulit. itaque cum in parvulo  
 quodam castello Graeci obsiderentur et fiducia loci con-  
 temnentes hostem multa in deformitatem Antigoni ioca-  
 rentur et nunc staturam humilem, nunc conlisum nasum  
 deriderent: „gaudeo, inquit, et aliquid boni spero, si in  
 castris meis Silenum habeo.“ Cum hos dicaces fame 5  
 domuisset, captis sic usus est, ut eos qui militiae utiles

erant, in cohortes describeret, ceteros praeconi subiceret, idque se negavit facturum fuisse, nisi expediret his dominum habere, qui tam malam haberent linguam.

- 1       XXIII. Huius nepos fuit Alexander, qui lanceam in  
convivas suos torquebat, qui ex duobus amicis, quos  
paulo ante retuli, alterum ferae obiecit, alterum sibi. ex  
2 his duobus tamen qui leoni obiectus est, vixit. Non  
habuit hoc avitum ille vitium, ne paternum quidem. nam  
si qua alia in Philippo virtus, fuit et contumeliarum pa-  
tientia, ingens instrumentum ad tutelam regni. Demochares  
ad illum Parrhesiastes ob nimiam et procacem lin-  
guam adpellatus inter alios Atheniensium legatos venerat.  
audita benigne legatione Philippus: „dicite, inquit, mihi,  
facere quid possim, quod sit Atheniensibus gratum.“  
3 excepit Demochares et: „te, inquit, suspendere.“ Indi-  
gnatio circumstantium ad tam inhumanum responsum  
exorta erat. quos Philippus conticescere iussit et Ther-  
sitam illum salvum incolumemque dimittere. „At vos,  
inquit, ceteri legati, nuntiate Atheniensibus multo super-  
biore esse, qui ista dicunt quam qui inpune dicta au-  
4 diunt.“ Multa et divus Augustus digna memoria fecit  
dixitque, ex quibus adpareat iram illi non imperasse.  
Timagenes historiarum scriptor quaedam in ipsum, quae-  
dam in uxorem eius et in totam domum dixerat nec per-  
diderat dicta. magis enim circumfertur et in ore homi-  
5 num est temeraria urbanitas. Saepe illum Caesar monuit,  
moderatus lingua uteretur: perseveranti domo sua inter-  
dixit. Postea Timagenes in contubernio Pollionis Asinii  
consenuit ac tota civitate direptus est. nullum illi limen  
6 praeclusa Caesaris domus abstulit. Historias postea quas  
scripserat, recitavit et combussit et libros acta Caesaris  
Augusti continentis in ignem posuit. inimicitias gessit  
cum Caesare: nemo amicitiam eius extimuit, nemo quasi  
fulguritum refugit. fuit qui praeberet tam alte cadenti  
7 sinum. Tulit hoc, ut dixi, Caesar patienter, ne eo quidem  
motus, quod laudibus suis rebusque gestis manus adtu-  
lerat. numquam cum hospite inimici sui questus est.  
8 hoc dumtaxat Pollioni Asinio dixit: *θηριοτροφεῖς*. Pa-



ranti deinde excusationem obstitit et: „fruere, inquit, mi Pollio, fruere.“ et cum Pollio, diceret: „si iubes, Caesar, statim illi domo mea interdiciam.“ „Hoc me, inquit, putas facturum, cum ego vos in gratiam reduxerim?“ Fuerat enim aliquando Timageni Pollio iratus nec ullam aliam habuerat causam desinendi, quam quod Caesar coeperat.

XXIV. Dicat itaque sibi quisque, quotiens lacessitur: 1 numquid potentior sum Philippo? illi tamen impune maledictum est. numquid in domo mea plus possum quam toto orbe terrarum divus Augustus potuit? ille tamen contentus fuit a conviciatore suo secedere. Quid est 2 quare ego servi mei clarius responsum et contumaciorem voltum et non pervenientem usque ad me murmurationem flagellis et conpedibus expiem? quis sum, cuius aures laedi nefas sit? ignoverunt multi hostibus: ego non ignoscam pigris, neglegentibus, garrulis? Puerum aetas 3 excuset, feminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Nunc primum offendit: cogitemus quamdiu placuerit. saepe et alias offendit: feramus quod diu tulimus. amicus est: fecit quod noluit. inimicus: fecit quod debuit. Prudentiori credamus: stultiori remittamus. pro 4 quocumque illud nobis respondeamus, sapientissimos quoque viros multa delinquere, neminem esse tam circumspectum, cuius non diligentia aliquando sibi ipsa excidat, neminem tam maturum, cuius non gravitatem in aliquod fervidius factum casus inpingat, neminem tam timidum offensarum, qui non in illas, dum vitat, incidat.

XXV. Quomodo homini pusillo solatium in malis fuit, 1 etiam magnorum virorum titubare fortunam, et aequiore animo filium in angulo flevit, qui vidit acerba funera etiam ex regia duci: sic animo aequiore fert ab aliquo laedi, ab aliquo contemni, cuicumque venit in mentem nullam esse tantam potentiam, in quam non occurrat iniuria. Quod si etiam prudentissimi peccant, cuius non error 2 bonam causam habet? Respiciamus quotiens adulescentia nostra in officio parum diligens fuerit, in sermone parum modesta, in vino parum temperans. si iratus est, demus illi spatium, quo dispicere quid fecerit possit: ipse

se castigabit. denique debeat poenas: non est quod cum  
 3 illo paria faciamus. Illud non veniet in dubium, quin se  
 exemerit turbae et altius steterit quisquis despexit laces-  
 sentes: proprium est magnitudinis verae non sentire per-  
 cussum. Sic inmanis fera ad latratum canum lenta respe-  
 xit. sic inritus ingenti scopulo fluctus adsultat. Qui non  
 irascitur, inconcussus iniuria perstitit, qui irascitur, motus  
 4 est. At ille, quem modo altiozem omni incommodo pozui,  
 tenet amplexu quodam summum bonum. nec homini tan-  
 tum, sed ipsi fortunae respondet: „omnia licet facias,  
 minor es, quam ut serenitatem meam obducas. vetat hoc  
 ratio, cui vitam regendam dedi. plus mihi nocitura est  
 ira quam iniuria. quidni plus? illius modus certus est:  
 ista quousque me latura sit dubium est.“

- 1 XXVI. „Non possum, inquis, pati. grave est iniuriam  
 sustinere.“ Mentiris. quis enim iniuriam non potest ferre,  
 qui potest iram? adice nunc quod id agis, ut et iram feras  
 et iniuriam. Quare fers aegri rabiem et phrenetici verba?  
 puerorum protervas manus? nempe quia videntur nescire  
 quid faciant: quid interest, quo quisque vitio fiat inpru-  
 dens? inprudencia par in omnibus patrociniū est.
- 2 „Quid ergo? inquis, inpune illi erit?“ Puta te velle, tamen  
 non erit. maxima est enim factae iniuriae poena fecisse,  
 nec quisquam gravius adficitur quam qui ad supplicium  
 3 poenitentiae traditur. Deinde ad condicionem rerum hu-  
 manarum respiciendum est, ut omnium accidentium aequi  
 iudices simus. iniquus autem est, qui commune vitium  
 singulis obiecit: non est Aethiopsis inter suos insignitus  
 color, nec rufus crinis et coactus in nodum apud Germa-  
 nos virum dedecet. nihil in uno iudicabis notabile aut  
 foedum, quod genti suae publicum est. et ista quae retuli,  
 unius regionis atque anguli consuetudo defendit: vide  
 nunc, quanto in iis iustior venia sit, quae per totum genus  
 4 humanum volgata sunt. Omnes inconsulti et inprovidi  
 sumus, omnes incerti, queruli, ambitiosi. quid levioribus  
 verbis ulcus publicum abscondo? omnes mali sumus:  
 quicquid itaque in alio reprehenditur, id unusquisque in  
 suo sinu inveniet. Quid illius pallorem, illius maciem

notas? pestilentia est. placidiores itaque invicem simus: mali inter malos vivimus. una nos res facere quietos potest, mutuae facilitatis conventio. Ille iam mihi nocuit, 5 ego illi nondum. sed iam aliquem fortasse laesisti. sed laedes. noli aestimare hanc horam aut hunc diem. totum inspice mentis tuae habitum: etiamsi nihil mali fecisti, potes facere.

XXVII. Quanto satius est sanari iniuriam quam ul- 1  
cisci? Multum temporis ultio absumit, multis se iniuriis obicit, dum una dolet. diutius irascimur omnes quam laedimur: quanto melius est abire in diversum nec vitia vitiis opponere? Num quis satis constare sibi videatur, si mulam calcibus repetat et canem morsu? „Ista, inquis, peccare se nesciunt.“ Primum quam iniquus est, apud 2  
quem hominem esse ad inpetrandam veniam nocet? Deinde si cetera animalia hoc irae tuae subducit, quod consilio carent, eodem loco tibi sit quisquis consilio caret. quid enim refert an alia mutis dissimilia habeat, si hoc quod in omni peccato muta defendit, simile habet, caliginem mentis? Peccavit: hoc enim primum? hoc 3  
enim extremum? non est quod illi credas, etiamsi dixit: iterum non faciam. et iste peccabit et in istum alius et tota vita inter errores volutabitur. Mansuete inmansueta tractanda sunt. Quod in luctu dici solet efficacissime, et 4  
in ira dicitur: utrum aliquando desines an numquam? si aliquando, quanto satius est iram relinquere quam ab ira relinquere? an semper haec cogitatio permanebit? vides quam inpacatam tibi denunties vitam: qualis enim erit semper tumentis? Adice nunc, quod cum bene te ipse 5  
succenderis et subinde causas, quibus stimuleris, renovaveris, sua sponte ira discedet et vires illi dies subtrahet: quanto satius est a te illam vinci quam a se?

XXVIII. Huic irasceris, deinde illi. servis, deinde 1  
libertis. parentibus, deinde liberis. notis, deinde ignotis. ubique enim causae supersunt, nisi deprecator animus accessit. hinc te illo furor rapiet, illinc alio, et novis subinde inritamentis orientibus continuabitur rabies: age, infelix, ecquando amabis? o quam bonum tempus in re

2 mala perdis! Quanto nunc erat satius amicos parare,  
 inimicos mitigare, rempublicam administrare, transferre  
 in res domesticas operam quam circumspicere, quid ali-  
 cui facere possis mali, quod aut dignitati eius aut patri-  
 monio aut corpori vulnus infligas, cum id tibi contingere  
 sine certamine ac periculo non possit, etiamsi cum infe-  
 3 riore concurses. Vinctum licet accipias et ad arbitrium  
 tuum omni patientiae expositum: saepe nimia vis cae-  
 dentis aut articulum loco movit aut nervum in his quos  
 fregerat dentibus fixit. multos iracundia mancos, multos  
 debiles fecit, etiam ubi patientem nancata est materiam.  
 adice nunc, quod nihil tam inbecille natum est, ut sine  
 elidentis periculo pereat. inbecillos valentissimis alias  
 4 dolor, alias casus exaequat. Quid, quod pleraque eorum,  
 propter quae irascimur, offendunt nos magis quam lae-  
 dunt? multum autem interest, utrum aliquis voluntati  
 meae obstet an desit, eripiat an non det. atqui in aequo  
 ponimus, utrum aliquis auferat an neget, utrum spem  
 nostram praecidat an differat, utrum contra nos faciat an  
 5 pro se, amore alterius an odio nostri. Quidam vero non  
 tantum iustas causas standi contra nos, sed etiam honestas  
 habent: alius patrem tuetur, alius fratrem, alius  
 patriam, alius amicum. his tamen non ignoscimus id  
 facientibus, quod nisi facerent, improbaremus, immo,  
 quod est incredibile, saepe de facto bene existimamus,  
 6 de faciente male. At mehercules vir magnus ac iustus  
 fortissimum quemque ex hostibus suis et pro libertate  
 ac salute patriae pertinacissimum suspicit et talem sibi  
 civem, talem militem contingere optat.

1 XXIX. Turpe est odisse quem laudes: quanto vero  
 turpius ob id aliquem odisse, propter quod misericordia  
 dignus est? si captivus in servitute subito depressus  
 reliquias libertatis tenet nec ad sordida ac laboriosa mini-  
 steria agilis occurrit, si ex otio piger equum vehiculum-  
 que domini cursu non exaequat, si inter cotidiana per-  
 vigilia fessum somnus oppressit, si rusticum laborem  
 recusat aut non fortiter obiit a servitute urbana et feriata  
 2 translatus ad durum opus: distinguamus, utrum aliquis

non possit an nolit: multos absolvemus, si coeperimus ante iudicare quam irasci. Nunc autem primum in pelum sequimur. deinde quamvis vana nos concitaverint, perseveramus, ne videamur coepisse sine causa. et quod iniquissimum est, pertinaciores nos facit iniquitas irae. retinemus enim illam et augemus, quasi argumentum sit iuste irascentis graviter irasci.

XXX. Quanto melius est initia ipsa perspicere quam 1  
levia sint, quam innoxia? Quod accidere vides [in] ani-  
malibus mutis, idem in homine deprehendes: frivolis tur-  
bamur et inanibus. taurum color rubicundus excitat, ad  
umbram aspis exsurgit, ursos leonesque mappa proritat.  
omnia quae natura fera ac rabida sunt, consternantur ad  
vana. Idem inquietis et stolidis ingeniis evenit. rerum 2  
suspensione feriuntur, adeo quidem, ut interdum iniurias  
vovent modica beneficia, in quibus frequentissima, certe  
acerbissima iracundiae materia est. carissimis enim ira-  
scimur, quod minora nobis praestiterint quam mente con-  
cepimus quamque alii tulerint: cum utriusque rei para-  
tum remedium sit. Magis alteri iudulsi: nostra nos sine 3  
comparatione delectent. numquam erit felix quem torque-  
bit felicior. minus habeo quam speravi: sed fortasse  
plus speravi quam debui. Haec pars maxime metuenda  
est. hinc perniciosissimae irae nascuntur et sanctissima  
quaeque invasurae. Divum Julium plures amici confe- 4  
cerunt quam inimici, quorum non expleverat spes inex-  
plebiles. voluit quidem ille, neque enim quisquam libera-  
lius victoria usus est, ex qua nihil sibi vindicavit nisi  
dispensandi potestatem. sed quemadmodum sufficere  
tam improbis desideriis posset, cum tantum omnes con-  
cupiscerent, quantum unus poterat? Vidit itaque strictis 5  
circa sellam suam gladiis commilitones suos, Cimbrum  
Tillium, acerrimum paulo ante partium defensorem, alios-  
que post Pompeium demum Pompeianos. Haec res sua in  
reges arma convertit fidissimosque eo compulsi, ut de  
morte eorum cogitarent, pro quibus et ante quos mori  
votum habuerant.

XXXI. Nulli ad aliena respicienti sua placent. inde 1

dis quoque irascimur, quod aliquis nos antecedit, obliti quantum hominum retro sit, et paucis invidentem quantum sequatur a tergo ingentis invidiae. Tanta tamen inportunitas hominum est, ut quamvis multum acceperint, 2 iniuriae loco sit plus accipere potuisse. Dedit mihi praetura: sed consulatum speraveram. dedit duodecim fascis: sed non fecit ordinarium consulem. a me numerari voluit annum: sed deest mihi ad sacerdotium. cooptatus in collegium sum: sed cur in unum? consummavit dignitatem meam: sed patrimonio nihil contulit. ea dedit mihi 3 quae debebat alicui dare. de suo nihil protulit. Age potius gratias pro his, quae accepisti. reliqua exspecta et nondum plenum esse te gaude. inter voluptates est superesse quod speres. Omnes vicisti: primum esse te in animo amici tui laetare. multi te vincunt: considera, quanto antecedas plures quam sequaris. Quod sit in te vitium maximum quaeris? falsas rationes conficis: data magno aestimas, accepta parvo.

1 XXXII. Aliud in alio nos deterreat: quibusdam timeamus irasci, quibusdam vereamur, quibusdam fastidiamus. Magnam rem sine dubio fecerimus, si servulum infelicem in ergastulum miserimus. quid properamus verberare statim, crura protinus frangere? non peribit potest 2 ista, si differetur. Sine id tempus veniat, quo ipsi iubeamus: nunc ex imperio irae loquemur. cum illa abiierit, tunc videbimus, quanto ista lis aestimanda sit. in hoc enim praecipue fallimur: ad ferrum venimus, ad capitalia supplicia, et vinculis, carcere, fame vindicamus rem 3 castigandam flagris levioribus. „Quomodo, inquis, nos iubes intueri, quam omnia, per quae laedi videamur, exigua, misera, puerilia sint.“ Ego vero nihil magis suaserim quam sumere ingentem animum et haec, propter quae litigamus, discurrimus, anhelamus, videre quam humilia et abiecta sint, nulli qui altum quiddam aut magnificentum cogitat respicienda.

1 XXXIII. Circa pecuniam plurimum vociferationis est: haec fora defatigat, patres liberosque committit, venena miscet, gladios tam percussoribus quam legionibus tradit.

haec est sanguine nostro delibuta. propter hanc uxorum maritorumque noctes strepunt litibus et tribunalia magistratum premit turba, reges saeviunt rapiuntque et civitates longo seculorum labore constructas evertunt, ut aurum argentumque in cinere urbium scrutentur. Libet 2 intueri fiscos in angulo iacentes: hi sunt propter quos oculi clamore exprimantur, fremitu iudiciorum basilicae resonent, evocati ex longinquis regionibus iudices sedent iudicaturi, utrius iustior avaritia sit. Quid si ne propter 3 fiscum quidem, sed pugnum aeris aut inputatum a servo denarium senex sine herede moriturus stomacho dirumpitur? quid si propter usuram\* aut milensimam valitudinarius fenerator distortis pedibus et manibus ad conparendum non *retentus* clamat ac per vadimonia asses suos in ipsis morbi accessionibus vindicat? Si totam mihi 4 ex omnibus metallis, quae cum maxime deprimimus, pecuniam proferas, si in medium proicias quicquid thesauri tegunt avaritia iterum sub terras referente, quae male egeserat: omnem istam congeriem non putem dignam quae frontem viri boni contrahat. Quanto risu prosequenda sunt quae nobis lacrimas educunt?

XXXIV. Cedo nunc, perseguere cetera, cibos, potiones 1 horumque causa paratam ambitionem, munditias, verba, contumelias, motus corporum parum honorificos et suspiciones, et contumacia iumenta et pigra mancipia, interpretationes malignas vocis alienae, quibus efficitur, ut inter iniurias [naturae] numeretur sermo homini datus: crede mihi, levia sunt propter quae non leviter excandescimus, qualia quae pueros in rixam et iurgium concitant. Nihil ex his quae tam tristes agimus, serius est, nihil 2 magnum: inde, inquam, vobis ira et insania est, quod exigua magno aestimatis. Auferre hic mihi hereditatem voluit. hic me diu in spem supremam captatus\*\* criminatus est. hic scortum meum concupivit. Quod vinculum 3 amoris esse debebat, seditionis atque odii causa est, idem velle. Iter angustum rixas transeuntium concitat: diffusa et late patens via ne populos quidem collidit. Ista quae adpetitis, quia exigua sunt nec possunt ad alterum nisi

alteri erepta transferri, eadem adfectantibus pugnas et iurgia excitant.

- 1 XXXV. Respondisse tibi servum indignaris libertumque et uxorem et clientem: deinde idem de republica libertatem sublatam quereris, quam domi sustulisti. rursus  
 2 si tacuit interrogatus, contumaciam vocas. Et loquatur et taceat et rideat: coram domino? inquis: immo coram patre familiae. Quid clamas? quid vociferaris? quid flagella media coena petis, quod servi loquuntur, quod non  
 3 eodem loco turba concionis est, silentium solitudinis? in hoc habes aures, ut non modulata tantum et mollia et ex dulci tracta compositaque accipiant: et risum audias oportet et fletum, et blanditias et lites, et prospera et tristia, et hominum voces et fremitus animalium latratusque. Quid miser expavescis ad clamorem servi, ad tinnitum aeris aut ianuae impulsum? cum tam delicatus fueris, tonitrua  
 4 audienda sunt. Hoc quod de auribus dictum est, transfer ad oculos, qui non minus fastidio laborant, si male instituti sunt: macula offenduntur et sordibus et argento parum splendido et stagno non ad solum perluciente. Hi nempe oculi, qui non ferunt nisi varium ac recenti cura nitens marmor, qui mensam nisi crebris distinctam venis, qui nolunt domi nisi auro pretiosiora calcari, aequissimo animo foris et scabras lutasque semitas spectant et maiorem partem ocurrentium squalidam, parietes insularum exesos, rimosos, inaequales. Quid ergo aliud est, quod illos in publico non offendat, domi moveat, quam opinio illic aequa et patiens, domi morosa et querula?

- 1 XXXVI. Omnes sensus perducendi sunt ad firmitatem. natura patientes sunt, si animus illos desiit corrumpere, qui cotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte  
 2 melior es? Desinet ira et moderatior erit, quae sciet sibi cotidie ad iudicem esse veniendum. quicquam ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quam tran-



quillus, quam altus ac liber, cum aut laudatus est animus aut admonitus et speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis? Utor hac potestate et cotidie 3 apud me causam dico. cum sublatum e conspectu lumen est et conticuit uxor moris mei iam conscia, totum diem meum scrutor factaque ac dicta mea remetior. nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo. quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere: vide ne istud 4 amplius facias, nunc tibi ignosco. In illa disputatione pugnacius locutus es. noli postea congregi cum inperil- 4 lis: nolunt discere, qui numquam didicerunt. Illum liberius admonuisti quam debebas. itaque non emendasti, sed offendisti. de cetero vide, non tantum an verum sit quod dicis, sed an ille cui dicitur veri patiens sit. admoneri bonus gaudet: pessimus quisque [cor]rectorem asper- rime patitur.

XXXVII. In convivio quorundam te sales et in dolo- 1 rem tuum iacta verba tetigerunt: vitare volgares convictus memento. solutior est post vinum licentia, quia ne sobriis quidem pudor est. Iratum vidisti amicum tuum 2 ostiario causidici alicuius aut divitis, quod intrantem submoverat, et ipse pro illo iratus extremo mancipio fuisti: irasceris ergo catenario cani? et hic, cum multum latra- vit, obiecto cibo mansuescit. Recede longius et ride. 3 nunc iste aliquem se putat, quod custodit litigatorum turba limen obsessum. nunc ille qui intra iacet, felix fortuna- tusque est et beati hominis iudicat ac potentis indicium difficilem ianuam. nescit durissimum esse ostium carce- ris. Praesume animo multa tibi esse patienda. numquis se hieme algere miratur? numquis in mari nauisare, in via concuti? fortis est animus ad quae praeparatus venit. 4 Minus honorato loco positus irasci coepisti convivatori, vocatori, ipsi qui tibi praeferebatur: demens, quid inter- est, quam lecti premas partem? honestiorem te aut tur- porem potest facere pulvinus? Non aequis quemdam 5 oculis vidisti, quia de ingenio tuo male locutus est: re- cipis hanc legem? ergo te Ennius, quo non delectaris, odisset, et Hortensius simultates tibi indiceret, et Cicero,

si derideres carmina eius, inimicus esset. vis tu aequo animo pati candidatus suffragia?

1 XXXVIII. Contumeliam tibi fecit aliquis: numquid maiorem quam Diogeni philosopho Stoico? cui de ira cum maxime disserenti adulescens protervus inspuit. tulit hoc ille leniter et sapienter. „non quidem, inquit, irascor, sed dubito tamen, an irasci oporteat.“ Quanto Cato noster melius? qui, cum agenti causam in frontem mediam quantum poterat adtracta pingui saliva inspuiſset Lentulus ille, patrum nostrorum memoria factiosus et inpotens, abstersit faciem et: „affirmabo, inquit, omnibus, Lentule, falli eos qui te negant os habere.“

1 XXXIX. Contigit iam nobis, Novate, bene componere animum. aut non sentit iracundiam aut superior est: videamus quomodo alienam iram leniamus: nec enim sani esse tantum volumus, sed sanare.

2 Primam iram non audebimus oratione mulcere: surda est et amens. dabimus illi spatium. remedia in remissionibus prosunt. nec oculos tumentis temptabimus, vim rigentem movendo incitaturi, nec cetera vitia, dum fervent. initia

3 morborum quies curat. „Quantulum, inquis, prodest remedium tuum, si sua sponte desinentem iram placat?“ Primum, ut citius desinat, efficit. deinde custodit, ne recidat. Ipsum quoque in petum, quem non audet lenire, fallet: removebit omnia ultionis instrumenta. simulabit iram, ut tamquam adiutor et doloris comes plus auctoritatis in consiliis habeat. moras nectet, et dum maiorem poenam quaerit,

4 praesentem differet. omni arte requiem furori dabit. Si vehementior erit, aut pudorem illi cur non resistat, incutiet aut metum. si infirmior, sermones inferet vel gratos vel novos et cupiditate cognoscendi avocabit. Medicum aiunt, cum regis filiam curare deberet nec sine ferro posset, dum tumentem mammam leniter fovet, scalpellum spongia tectum induxisse. repugnasset puella remedio palam admoto. eadem, quia non exspectavit, dolorem tulit. Quaedam non nisi decepta sanantur.

1 XL. Alteri dices: „vide ne inimicis iracundia tua voluptati sit.“ alteri: „vide ne magnitudo animi tui credi-

tumque apud plerosque robur cadat. Indignor mehercules et non invenio dolendi modum, sed tempus exspectandum est. dabit poenas. serva istud in animo tuo. cum potueris, et pro mora reddes.“ castigare vero irascentem et ultro obirasci incitare est. Varie adgredieris 2 blandeque, nisi forte tanta persona eris, ut possis iram conminuere, quemadmodum fecit divus Augustus, cum coenaret apud Vedium Pollionem. fregerat unus ex servis eius crystallinum. rapi eum Vedius iussit ne vulgari quidem more periturum. muraenis obici iubebatur, quas ingentis in piscina continebat. Quis non hoc illum putaret luxuriae causa facere? saevitia erat. Evasit e mani- 3 bus puer et confugit ad Caesaris pedes nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret, ne esca fieret. motus est novitate crudelitatis Caesar et illum quidem mitti, crystallina autem omnia coram se frangi iussit conplerique piscinam. Fuit Caesari sic castigandus amicus. bene usus 4 est viribus suis. E convivio rapi homines imperas et novi generis poenis lancinari? si calix tuus fractus est, viscera hominis distrahentur? tantum tibi placebis, ut ibi aliquem duci iubeas, ubi Caesar est.

XLI. Si cui tantum potentiae est, ut iram ex superiori 1 loco adgredi possit, male tractet, at talem dumtaxat, qualem modo retuli, feram, inmanem, sanguinariam, quae iam insanabilis est, nisi maius aliquid extimuit. \*\*\*

\*\*\* pacem demus animo, quam dabit praeceptorum sa- 2 lutarium adsidua meditatio actusque rerum boni et intenta mens ad unius honesti cupiditatem. Conscientiae satis fiat. nil in famam laboremus: sequatur vel mala, dum bene merentis. „At vulgus animosa miratur et audaces in honore 3 sunt, placidi pro inertibus habentur.“ primo forsitan ad spectu. sed simul aequalitas vitae fidem fecit non signitiam illam animi esse, sed pacem, veneratur illos populus idem colitque. Nihil ergo habet in se utile teter iste 4 et hostilis adfectus, at omnia ex contrario mala, ferrum et ignes. pudore calcato caedibus inquinavit manus, membra liberorum dispersit. nihil vacuum reliquit a scelere,

non gloriae memor, non infamiae metuens, inemendabilis, cum ex ira in odium obcalluit.

1 XLII. Careamus hoc malo purgemusque mentem et  
 extirpemus radicitus, quae quamvis tenuia undecumque  
 haeserint, renascentur. et iram non temperemus, sed ex  
 toto removeamus. quod enim malae rei temperamentum  
 2 est? poterimus autem, adnitamur modo. Nec ulla res ma-  
 gis proderit quam cogitatio mortalitatis. sibi quisque at-  
 que alteri dicat: Quid iuvat tamquam in aeternum geni-  
 tos iras indicere et brevissimam aetatem dissipare? quid  
 iuvat dies, quos in voluptatem honestam impendere licet,  
 in dolorem alicuius tormentumque transferre? non ca-  
 3 piunt res istae iacturam nec tempus vacat perdere. Quid  
 ruimus in pugnam? quid certamina nobis arcessimus?  
 quid inbecillitatis obliti ingentia odia suscipimus et ad  
 frangendum fragiles consurgimus? iam istas inimicitias,  
 quas implacabili gerimus animo, febris aut aliquod aliud  
 malum corporis vetabit geri. iam par acerrimum media  
 4 mors dirimet. Quid tumultuamur et vitam seditiosi con-  
 turbamus? stat supra caput fatum et pereuntis dies inpu-  
 tat propiusque ac propius accedit. istud tempus quod  
 alienae destinatas morti, fortasse circa tuam est.

1 XLIII. Quin potius vitam brevem colligis placidamque  
 et tibi et ceteris praestas? quin potius amabilem te, dum  
 vivis, omnibus, desiderabilem, cum excesseris, reddis?  
 Quid illum nimis ex alto tecum agentem detrahere cupis?  
 quid illum oblatrantem tibi, humilem quidem et contem-  
 ptum, sed superioribus acidum ac molestum exterrere vi-  
 ribus tuis temptas? Quid servo, quid domino, quid regi,  
 quid clienti tuo irasceris? sustine paulum: venit ecce  
 2 mors quae vos pares faciat. Videre solemus inter matu-  
 tina arenae spectacula tauri et ursi pugnam inter se con-  
 ligatorum, quos cum alter alterum vexarit, suus confe-  
 ctor exspectat: idem facimus, aliquem nobiscum adligatum  
 lacesimus, cum victo victorique finis et quidem maturus  
 immineat. quieti potius pacatique quantulumcumque su-  
 perest, exigamus. nulli cadaver nostrum iaceat invisum.  
 3 Saepe rixam conclamatum in vicino incendium solvit et

interventus ferae latronem viatoremque diducit. conluctari cum minoribus malis non vacat, ubi metus maior adparuit: quid nobis cum dimicatione et insidiis? numquid amplius isti cui irascaris, quam mortem optas? etiam te quiescente morietur. perdis operas: facere vis quod futurum est. „Nolo, inquis, utique occidere, sed exilio, sed 4 ignominia, sed damno adficere.“ Magis ignosco ei, qui volnus inimici quam qui pusulam concupiscit: hic enim non tantum mali animi est, sed pusilli. Sive de ultimis suppliciis cogitas sive de levioribus: quantum est temporis, quo aut ille poena sua torqueatur aut tu malum gaudium ex aliena percipias? Iam istum spiritum expuimus interim, dum trahimus. Dum inter homines sumus, 5 colamus humanitatem, non timori cuiquam, non periculo simus. detrimenta, iniurias, convicia, vellicationes contemnamus et magno animo brevia feramus incommoda. Dum respicimus, quod aiunt, versamusque nos, immortalitas aderit.

---

**L. ANNAEI SENECAE  
DIALOGORUM LIBER VI.**

AD MARCIAM

**DE CONSOLATIONE.**

---

I. Nisi te, Marcia, scirem tam longe ab infirmitate muliebris animi quam a ceteris vitiis recessisse et mores tuos velut aliquod antiquum exemplar adspici, non auderem obviam ire dolori tuo, cui viri quoque libenter haerent et incubant, nec spem concepissem tam iniquo tempore, tam inimico iudice, tam invidioso crimine posse me efficere, ut fortunam tuam absolveres. fiduciam mihi dedit exploratum iam robur animi et magno experimento adprobata virtus tua. Non est ignotum, qualem te in per- 2

sona patris tui gesseris, quem non minus quam liberos dilexisti, excepto eo quod non optabas superstitem: nec scio an et optaveris. permittit enim sibi quaedam contra bonum morem magna pietas. mortem A. Cremutii Cordi, parentis tui quantum poteras, inhibuisti: postquam tibi adparuit inter Seianianos satellites illam unam patere servitutis fugam, non favisti consilio eius, sed dedisti manus victa fudistisque lacrimas. palam et gemitus devorasti quidem, non tamen hilari fronte textisti et hoc illo seculo,  
 3 quo magna pietas erat nihil inpie facere: ut vero aliquam occasionem mutatio temporis dedit, ingenium patris tui, de quo sumptum erat supplicium, in visum hominum reduxisti et a vera illum vindicasti morte ac restituisti in publica monumenta libros, quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat. Optime meruisti de Romanis studiis, magna illorum pars arserat. optime de posteris, ad quos veniet incorrupta rerum fides auctori suo magno imputata. optime de ipso, cuius viget vigebitque memoria, quamdiu in pretio fuerit Romana cognosci, quamdiu quisquam erit, qui reverti velit ad acta maiorum, quamdiu quisquam, qui velit scire, quid sit vir Romanus, quid subactis iam cervicibus omnium et ad Seianianum iugum adactis indomitus, quid sit homo ingenio, animo, manu  
 4 liber. Magnam mehercule detrimentum respública ceperat, si illum ob duas res pulcherrimas in oblivionem coniectum, eloquentiam et libertatem, non eruisses: legitur, floret, in manus hominum, in pectora receptus vetustatem nullam timet: at illorum carnificum cito scelera quoque,  
 5 quibus solis memoriam meruerunt, tacebunt. Haec magnitudo animi tui vetuit me ad sexum tuum respicere, vetuit ad voltum, quem tot annorum continua tristitia, ut semel obduxit, tenet. et vide, quam non subrepam tibi nec furtum facere adfectibus tuis cogitem: antiqua mala in memoriam reduxi, et vis scire hanc quoque plagam esse sanandam? ostendi tibi aequae magni vulneris cicatricem. alii itaque molliter agant et blandiantur, ego conflagere cum tuo moerore constitui et defessos exhaustosque oculos, si verum vis, magis iam ex consuetudine quam ex

desiderio fluentis continebo, si fieri potuerit, favente te remediis tuis, si minus, vel invita, teneas licet et amplexeris dolorem tuum, quem tibi in filii locum superstitem fecisti. Quis enim erit finis? omnia in supervacuum 6 temptata sunt: fatigatae adlocutiones amicorum. auctoritates magnorum et adfinium tibi virorum, studia, hereditarium et paternum bonum, surdas aures inrito et vix ad brevem occupationem proficiente solatio transeunt. illud ipsum naturale remedium temporis, quod maximas quoque aerumnas conponit, in te una vim suam perdidit. Tertius iam praeteriit annus, cum interim nihil ex primo 7 illo inpetu cecidit. renovat se et conroborat cotidie luctus et iam sibi ius mora fecit eoque adductus est, ut putet turpe desinere. Quemadmodum omnia vitia penitus insidunt, nisi dum surgunt, oppressa sunt, ita haec quoque tristitia et misera et in se saevientia ipsa novissime acerbitate pascuntur et fit infelicis animi prava voluptas dolor. Cupissem itaque primis temporibus ad istam curationem 8 accedere. levioere medicina fuisset oriens adhuc restringenda vis: vehementius contra inveterata pugnandum est. nam volnerum quoque sanitas facilis est, dum a sanguine recentia sunt. tunc et uruntur et in altum revocantur et digitos scrutantium recipiunt: ubi corrupta in malum ulcus verterunt, difficilius curantur. Non possum nunc per obsequium nec molliter adsequi tam durum dolorem: frangendus est.

II. Scio a praeceptis incipere omnes, qui 1 monere aliquem volunt, et in exemplis desinere. mutari hunc interim morem expedit. aliter enim cum alio agendum est: quosdam ratio ducit, quibusdam nomina clara opponenda sunt et auctoritas, quae liberum non relinquat animum ad speciosa stupenti. Duo tibi ponam ante oculos maxima et sexus 2 et seculi tui exempla: alterius feminae, quae se tradidit ferendam dolori, alterius, quae pari adfecta casu, maiore damno, non tamen dedit longum in se malis suis dominium, sed cito animum in sedem suam reposuit. Octavia et Livia, altera soror Augusti, altera uxor, 3

amiserunt filios iuvenes, utraque spe futuri principis certa: Octavia Marcellum, cui et avunculus et socer incumbere coeperat, in quem onus imperii reclinare, adulescentem animo alacrem, ingenio potentem, sed frugalitatis continentiaeque in illis aut annis aut opibus non mediocriter admirandae, patientem laborum, voluptatibus alienum, quantumcumque inponere illi avunculus et, ut ita dicam, inaedificare voluisset, laturum. bene legerat  
 4 nulli cessura ponderi fundamenta. Nullum finem per omne vitae suae tempus flendi gemendique fecit nec ullas admisit voces salutare aliquid adferentis, ne avocari quidem se passa est: intenta in unam rem et toto animo adfixa talis per omnem vitam fuit, qualis in funere. non dico non est ausa consurgere, sed adlevari recusans, secundam orbitatem iudicans lacrimas mittere, nullam habere imaginem filii carissimi voluit, nullam sibi  
 5 de illo fieri mentionem. Oderat omnes matres et in Liviam maxime furebat, quia videbatur ad illius filium transisse sibi promissa felicitas. tenebris et solitudini familiarissima, ne ad fratrem quidem respiciens, carmina celebrandae Marcelli memoriae composita aliosque studiorum honores reiecit et aures suas adversus omne solatium clausit. a sollemnibus officiis seducta et ipsam magnitudinis fraternae nimis circumlucentem fortunam exosa defodit se et abdidit. adsidentibus liberis, nepotibus lugubrem vestem non deposuit, non sine contumelia omnium suorum, quibus salvis orba sibi videbatur.

1 III. Livia amiserat filium Drusum, magnum futurum principem, iam magnum ducem: intraverat penitus Germaniam et ibi signum Romani fixerunt, ubi vix ullos esse Romanos notum erat. in expeditione decesserat ipsi illum hostibus aegrum cum veneratione et pace mutua prosequentibus nec optare quod expediebat audentibus. accedebat ad hanc mortem, quam ille pro republica obierat, ingens civium provinciarumque et totius Italiae desiderium, per quam effusis in officium lugubre municipiis coloniisque usque in urbem ductum erat funus  
 2 triumpho simillimum. Non licuerat matri ultima filii oscula



gratumque extremi sermonem oris haurire. longo itinere reliquias Drusi sui prosecuta tot per omnem Italianam ardentibus rogis, quasi totiens illum amitteret, inritata, ut primum tamen intulit tumulo, simul et illum et dolorem suum posuit, nec plus doluit quam aut honestum erat Caesari aut aequum matri. non desiit denique Drusi sui celebrare nomen, ubique illum sibi privatim publiceque repraesentare, libentissime de illo loqui, de illo audire: cum memoria *illius vix[it. quam]* nemo potest retinere et frequentare, qui illam tristem sibi reddidit. Elige itaque, utrum exemplum putes probabilius: si illud 3 prius sequi vis, eximis te numero vivorum. aversaberis et alienos liberos et tuos, ipsaque desiderans triste matribus omen occurrere, voluptates honestas, permissas, tamquam parum decoras fortunae tuae reicies, invisae haerebis in luce et aetati tuae, quod non praecipitet te quamprimum et finiat, infestissima eris. quod turpissimum alienissimumque est animo tuo in meliorem noto partem, ostendes te vivere nolle, mori non posse. Si ad 4 hoc maximae feminae te exemplum adplicueris moderatius ac mitius, non eris in aerumnis nec te tormentis mace-rabis. quae enim, malum, amentia est poenas a se infelicitatis exigere et mala sua augere? quam in omni vita servasti morum probitatem et verecundiam, in hac quoque re praestabis: est enim quaedam et dolendi modestia. illum ipsum iuvenem, dignissimum [*qui te*] quietam semper nominatus cogitatusque faciat, meliorem pones loco, si matri suae qualis vivus solebat, hilarisque et cum gaudio occurrit.

IV. Nec te ad fortiora ducam praecepta, ut inhumano 1 ferre humana iubeam modo, ut ipso funebri die oculos matris exsiccem. ad arbitrum tecum veniam: hoc inter nos quaeretur, utrum magnus dolor esse debeat an perpetuus. non dubito quin Luliae Augustae, quam familiariter coluisti, magis tibi placeat exemplum: illa te ad suum 2 consilium vocat. illa in primo fervore, cum maxime impatientes ferocesque sunt miseriae, consol[atori se] Areo, philosopho viri sui, praebuit et multum eam rem pro-

fuisse sibi confessa est, plus quam populum Romanum, quem nolebat tristem tristitia sua facere, plus quam Augustum, qui subducto altero adminiculo titubabat nec luctu suorum inclinandus erat, plus quam Tiberium filium, cuius pietas efficiebat, ut in illo acerbo et defleto gentibus funere nihil sibi nisi numerum deesse sentiret. Hic, ut opinor, aditus illi fuit, hoc principium apud feminam opinionis suae custodem diligentissimam: „Usque in hunc diem, Iulia, quantum quidem ego sciam, adsiduis viri tui comes, cui non tantum quae in publicum emittuntur nota, sed omnes sunt secretiores animorum vestrorum motus, dedisti operam, ne quid esset quod in te quisquam reprehenderet. nec id in maioribus modo observasti, sed in minimis, ne quid faceres, cui famam, uberrimam principum iudicem, velles ignoscere. nec quicquam pulchrius existimo quam in summo fastigio collocatas multarum rerum veniam dare, nullius petere: servandus itaque tibi in hac quoque re tuus mos est, ne quid committas, quod minus aliterve factum velis.

1 V. Deinde oro atque obsecro, ne te difficilem amicis et intractabilem praestes. non est enim quod ignores omnes hos nescire, quemadmodum se gerant, loquantur aliquid coram te de Druso an nihil, ne aut oblivio clarissimi iu-  
 2 venis illi faciat iniuriam aut mentio tibi. Cum secessimus et in unum convenimus, facta eius dictaque quanto meruit suspectu celebramus. coram te altum nobis de illo silentium est: cares itaque maxima voluptate, filii tui laudibus, quas non dubito quin vel inpendio vitae, si potestas  
 3 detur, in aevum omne sis prorogatura. Quare patere, immo accerse sermones, quibus ille narretur et apertas aures praebe ad nomen memoriamque filii tui. nec hoc grave duxeris ceterorum more, qui in eiusmodi casu par-  
 4 tem mali putant audire solatia. Nunc incubuisti tota in alteram partem et oblita meliorum fortunam tuam qua deterior est adspicis. non convertisti te ad convictus filii tui occursusque iucundos, non ad pueriles dulcesque blanditias, non ad incrementa studiorum. ultimam illam faciem rerum premis. *in illam*, quasi parum ipsa per se

horrida sit, quicquid potes congeris. Ne, obsecro te, 5  
 concupieris perversissimam gloriam infelicissima videri.  
 simul cogita non esse magnum rebus prosperis fortem  
 se gerere, ubi secundo cursu vita procedit. ne gubernatoris  
 quidem artem tranquillum mare et obsequens ventus ostendit:  
 adversi aliquid incurrat oportet, quod animum probet. Proinde ne submiseris te, immo contra fige 6  
 stabilem gradum et quicquid onerum supra cecidit sustine,  
 primo dumtaxat strepitu conterrita. nulla re maior invidia  
 fortunae fit quam aequo animo.“ Post haec ostendit illi filium incolumem,  
 ostendit ex amisso nepotes.

VI. Tuum illic, Marcia, negotium actum, tibi Areus 1  
 adsedit. muta personam: te consolatus est. Sed puta, Marcia,  
 ereptum tibi amplius quam ulla umquam mater amiserit. non  
 permulceo te nec extenuo calamitatem tuam: si fletibus fata vincuntur,  
 conferamus. eat omnis 2  
 inter luctus dies. noctem sine somno tristitia consumat.  
 ingerantur lacerato pectori manus et in ipsam faciem impetus  
 fiat atque omni se genere saevitiae profecturus moeror exerceat:  
 sed si nullis planctibus defuncta revocantur, si sors inmotata et in  
 aeternum fixa nulla miseria mutatur et mors renuit. quicquid  
 abstulit, desinat dolor qui perit. Quare regamur nec nos ista  
 vis transversos 3  
 auferat. turpis est navigii rector, cui gubernacula fluctus eripuit,  
 qui fluitantia vela deseruit, permisit tempestatum: at ille vel  
 in naufragio laudandus quem obruit [mare] navem tenentem et obnixum.

VII. „At enim naturale desiderium suorum 1  
 est.“ Quis negat, quamdiu modicum est? nam discessu, non solum  
 amissione carissimorum necessarius morsus est et firmissimorum  
 quoque animorum contractio. sed plus est quod opinio adicit quam  
 quod natura imperavit. Adspice mutorum animalium quam concii- 2  
 tata sint desideria et tamen quam brevia. vaccarum uno die alterove  
 mugitus auditur, nec diutius equarum vagus ille amensque  
 discursus est. ferae cum vestigia catulorum consecratae sunt et  
 silvas pervagatae, cum saepe ad cubilia expilata redierint, rabiem  
 intra exiguum tem-

pus exstinguunt. aves cum stridore magno inanes nidos circumfremuerunt, intra momentum tamen quietae volatus suos repetunt. nec ulli animali longum fetus sui desiderium est nisi homini, qui adest dolori suo nec tantum  
 3 quantum sentit, sed quantum constituit, adficitur. Ut scias autem non esse hoc naturale, luctibus frangi, primum magis feminas quam viros, magis barbaros quam placidae eruditaeque gentis homines, magis indoctos quam doctos eadem orbitas volnerat. atqui ea quae a natura vim acceperunt, eandem in omnibus servant:  
 4 adparet non esse naturale quod varium est. Ignis omnes aetates omniumque urbium cives tam viros quam feminas uret. ferrum in omni corpore exhibebit secandi potentiam. quare? quia vires illi a natura datae sunt, quae nihil in personam constituit. Paupertatem, luctum, ambitionem alius aliter sentit, prout illum consuetudo infecit. et inbecillum impatientemque reddit praesumpta opinio de non timendis terribilis.

1 VIII. Deinde quod naturale est, non decrescit mora: dolorem dies longa consumit. licet contumacissimum, cotidie insurgentem et contra remedia effervescentem, tamen illum efficacissimum mitigandae ferociae tempus  
 2 enervat. Manet quidem tibi, Marcia, etiam nunc ingens tristitia et iam videtur duxisse callum, non illa concitata, qualis in illa fuit, sed pertinax et obstinata: tamen hanc quoque tibi aetas minutatim eximet. quotiens aliud ege-  
 3 ris, animus relaxabitur: non te ipsa custodis. Multum autem interest, utrum tibi permittas moerere an imperes. quanto magis hoc morum tuorum elegantiae convenit, finem luctus potius facere quam expectare, nec illum opperiri diem, quo te invita dolor desinat? ipsa illi renuntia.

1 IX. Unde ergo tanta nobis pertinacia in deploratione nostri, si id non fit naturae iussu? quod nihil nobis mali, antequam eveniat, proponimus, sed ut immunes ipsi et aliis pacatius ingressi iter alienis non  
 2 admonemur casibus illos esse communes. Tot praeter domum nostram ducuntur exsequiae: de morte non cogi-

tamus. tot acerba funera: nos togam nostrorum infantium, nos militiam et paternae hereditatis successionem agitamus animo. tot divitum subita paupertas in oculos incidit et nobis numquam in mentem venit nostras quoque opes aequae in lubrico positas: necesse est itaque magis corruamus, qui quasi ex inopinato ferimur. quae multo ante *procul visa* sunt, languidius incurrunt. Vis tu <sup>3</sup> scire te ad omnis expositum ictus stare et illa quae alios tela fixerunt, circa te vibrasse? velut murum aliquem aut obsessum multo hoste locum et arduum adscensu semermis adeas, exspecta volnus et illa superne volantia cum sagittis pilisque saxa in tuum puta librata corpus. quotiens aliquid ad latus aut pone tergum ceciderit, exclama: „non decipies me, fortuna, nec securum aut neglegentem opprimes. scio quid pares: alium quidem percussisti, sed me petisti.“ Quis umquam res suas <sup>4</sup> quasi periturus adspexit? quis umquam vestrum de exilio, de egestate, de luctu cogitare ausus est? quis non, si admoneatur *ut* cogitet, tamquam dirum omen respuat et in capita inimicorum aut ipsius intempestivi monitoris abire illa iubeat? „Non putavi futurum.“ Quicquam <sup>5</sup> tu putas non futurum, quod multis scis posse fieri, quod multis vides evenisse? Egregium versum et dignum qui non e populo exiret:

*cuius potest accidere quod cuiquam potest!*

Ille amisit liberos: et tu amittere potes. ille damnatus est: et tua innocentia sub ictu est. terror decipit. hic effeminat, dum patimur quae numquam pati nos posse providimus. aufert vim praesentibus malis qui futura prospexit.

X. Quicquid est hoc, Marcia, quod circa nos ex adventicio fulget, liberi, honores, opes, ampla atria et exclusorum clientium turba referta vestibula, clara, nobilis aut formosa coniux ceteraque ex incerta et mobili sortependentia alieni commodatique adparatus sunt. nihil horum dono datur: collaticiis et ad dominos redituris instrumentis scena adornatur. alia ex his primo die, alia secundo referentur, pauca usque ad finem perseverabunt.

2 Itaque non est quod nos suspiciamus tamquam inter  
 nostra positi: mutua accepimus. usus fructusque noster  
 est, cuius tempus ille arbiter muneris sui temperat: nos  
 oportet in promptu habere quae in incertum diem data  
 sunt, et adpellatos sine querela reddere. pessimi debito-  
 3 ris est creditori facere convicium. Omnes ergo nostros,  
 et quos superstites lege nascendi optamus et quos prae-  
 cedere iustissimum ipsorum votum est, sic amare debe-  
 mus, tamquam nihil nobis de perpetuitate, immo nihil de  
 diuturnitate eorum promissum sit. saepe admonendus  
 est animus, amet ut recessura, immo tamquam receden-  
 tia. quicquid a fortuna datum est, tamquam exemptum  
 4 auctore possideas. Rapite ex liberis voluptates, fruen-  
 dos vos invicem liberis date et sine dilatione omne gau-  
 dium haurite. nihil de hodierna nocte promittitur. nimis  
 magnam advocationem dedi: nihil de hac hora. festinan-  
 dum est. instatur a tergo: iam disicietur iste comitatus,  
 iam contubernia ista sublato clamore solventur. rapina  
 5 rerum omnium est: miseri nescitis fuga vivere. Si mor-  
 tuum tibi filium doles, eius temporis quo natus est, cri-  
 men est. mors enim illi denuntiata nascenti est. in hanc  
 legem natus. hoc illum fatum ab utero statim prosequere-  
 6 batur. In regnum fortunae et quidem durum atque in-  
 victum pervenimus, illius arbitrio digna atque indigna  
 passuri. corporibus nostris inpotenter, contumeliose,  
 crudeliter abutetur: alios ignibus peruret vel in poenam  
 admotis vel in remedium. alios vinciet: id nunc hosti  
 licebit, nunc civi. alios per incerta nudos maria iactabit  
 et luctatos cum fluctibus ne in arenam quidem aut litus  
 explodet, sed in alicuius immensae ventrem beluae decon-  
 det. alios morborum variis generibus emaceratos diu  
 inter vitam mortemque medios detinebit. ut varia et libi-  
 dinosa mancipiorumque suorum negligens domina et  
 poenis et muneribus errabit.

1 XI. Quid opus est partes deflere? tota flebilis  
 vita est. urgebunt nova incommoda, priusquam vete-  
 ribus satisfeceris. moderandum est itaque vobis maxime,  
 quae immoderate fertis, et in metus et in dolores humani

pectoris dispensandae. Quae deinde ista suae publicae-  
 que condicionis oblivio est? Mortalis nata es, mortales  
 peperisti. putre ipsa fluidumque corpus et causis repe-  
 tita sperasti tam inbecilla materia solida et aeterna ge-  
 stasse? Decessit filius tuus, id est, decucurrit ad hunc 2  
 finem, ad quem quae feliciora partu tuo putas, properant.  
 huc omnis ista quae in foro litigat, in theatris [*desidet*],  
 in templis precatur turba dispari gradu vadit. et quae di-  
 ligis [*veneraris*] et quae despicias, unus exaequabit cinis.  
 Hoc videlicet illa Pythicis oraculis adscripta NOSCE TE.  
 Quid est homo? quodlibet quassum vas et quolibet 3  
 fragile iactatu. non tempestate magna, ut dissiparis, est  
 opus. ubicumque arietaveris, solveris. quid est homo?  
 inbecillum corpus et fragile, nudum, suapte natura iner-  
 me, alienae opis indigens, ad omnis fortunae contumelias  
 proiectum, cum bene lacertos exercuit, cuiuslibet ferae  
 pabulum, cuiuslibet victima, ex infirmis fluidisque contex-  
 tum et lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, aestus,  
 laboris inpatiens, ipso rursus situ et otio iturum in tabem,  
 alimenta metuens sua, quorum modum [*in copia excedens*  
*vel*] in inopia rumpitur, anxiae sollicitaeque tutelae, pre-  
 carii spiritus et male haerentis. \*qua\* partum repentinum 4  
 auditus inproviso sonus auribus gravis excutit. soli sem-  
 per sibi nutrimentum viliosum et inutile. miramur in hoc  
 mortem, quae unius singultus opus est? numquid enim  
 ut concidat, magni res molimenti est? odor illi saporque  
 et lassitudo et vigilia et humor et cibus et sine quibus vi-  
 vere non potest, mortifera sunt. quocumque se movit sta-  
 tim infirmitatis suae conscium, non omne coelum ferens,  
 aquarum novitatibus flatuque non familiaris aerae et tenu-  
 issimis causis atque offensionibus morbidum, putre, cau-  
 sarium, fletu vitam auspicatum, cum interim quantos tu-  
 multus hoc tam contemptum animal movet? in quantas  
 cogitationes oblitum condicionis suae venit? Inmortalia, 5  
 aeterna volutat animo et in nepotes pronepotesque dispo-  
 nit, cum interim longa conantem eum mors opprimit et  
 hoc, quod senectus vocatur, paucissimorum circuitus an-  
 norum.

- 1 XII. Dolor tuus, si modo ulla illi ratio est, utrum sua spectat incommoda an eius qui decessit? utrum te amisso filio movet, quod nullas ex illo voluptates cepisses, an quod maiores, si diutius vixisset, percipere potuisti? Si nullas percepisse, te dixeris, tolerabilius efficies detrimentum tuum. minus enim homines desiderant ea, ex quibus nihil gaudii laetitiaeque perceperant. si confessa fueris percepisse magnas voluptates, oportet te non de eo quod detractum est queri, sed de eo gratias agere quod conti-
- 2 git. provenerunt enim satis magni fructus laborum tuorum ex ipsa educatione, nisi forte hi, qui catulos avesque et frivola animorum oblectamenta summa diligentia nutriunt, fruuntur aliqua voluptate ex visu tactuque et blanda adulatione mutorum, liberos nutrientibus non fructus educationis ipsa educatio est. licet itaque nil tibi industria eius contulerit, nihil diligentia custodierit, nihil prudentia sua[serit], ipsum quod habuisti, quod amasti, fructus est.
- 3 „At potuit longior esse [maior].“ melius tamen tecum actum est quam si omnino non contigisset, quoniam si ponatur electio, utrum satius sit non diu felicem esse an numquam, melius est discessura nobis bona quam nulla contingere. Utrumne malles degenerem aliquem et numerum tantum nomenque filii expleturum habuisse an tantae indolis, quantae tuus fuit? iuvenis cito prudens, cito pius, cito maritus, cito pater, cito omnis officii curio-
- 4 sus, cito sacerdos, omnia tamquam praepropera. Nulli fere magna bona et diuturna contingunt. non durat nec ad ultimum exit nisi lenta felicitas: filium tibi di immortales non diu daturi statim talem dederunt, qualis diu effici potest. Ne illud quidem dicere potes electam, te a dis, cui frui non liceret filio: circuite per omnem notorum, ignotorum frequentiam oculos, occurrent tibi passi ubique maiora. senserunt ista magni duces, senserunt principes. ne deos quidem fabulae immunes reliquerunt, puto, ut nostrorum funerum levamentum esset etiam divina concidere. circumspice, inquam, omnis: nullam miseram nominabis domum, quae non inveniat in miseriore



solatium. Non mehercules tam male de moribus tuis sen- 5  
 tio, ut putem posse te levius pati casum tuum, si tibi in-  
 gentem lugentium numerum produxero: malivoli solatii  
 genus est turba miserorum. quosdam tamen referam, non  
 ut scias hoc solere hominibus accidere, ridiculum est enim  
 mortalitatis exempla colligere, sed ut scias fuisse multos,  
 qui lenirent aspera placide ferendo. A felicissimo inci- 6  
 piam: L. Sulla filium amisit, nec ea res aut malitiam eius  
 et acerrimam virtutem in hostes civesque contudit aut ef-  
 fecit, ut cognomen illud usurpasse salvo videretur quod  
 amisso filio adsumpsit. nec odia hominum veritus, quo-  
 rum malo illae nimis secundae res constant, nec invidiam  
 deorum, quorum illud crimen erat, Sulla tam felix. sed  
 istud inter res nondum iudicatas abeat, qualis Sulla fue-  
 rit. etiam inimici fatebuntur bene illum arma sumpsisse,  
 bene posuisse: hoc de quo agitur constabit, non esse ma-  
 ximum malum quod etiam ad felicissimos pervenit.

XIII. Ne nimis admiretur Graecia illum patrem, qui in 1  
 ipso sacrificio nuntiata filii morte tibicinem tantum tacere  
 iussit et coronam capiti detraxit, cetera rite perfecit, Pul-  
 villus effecit pontifex, cui postem tenenti et Capitolium de-  
 dicanti mors filii nuntiata est. quam ille exaudisse dissi-  
 mulavit et sollemnia [pontificia carmina] verba concepit  
 gemitu non interrumpente precationem et ad filii sui no-  
 men Iove propitiato. Putasses eius luctus aliquem finem 2  
 esse debere, cuius primus dies et primus inpetus ab alta-  
 ribus publicis et fausta nuncupatione non abduxit patrem:  
 dignus mehercules fuit memorabili dedicatione, dignus  
 amplissimo sacerdotio, qui colere deos ne iratos quidem  
 destitit. idem tamen ut rediit domum, et inplevit oculos  
 et aliquas voces flebiles misit et peractis quae mos erat  
 praestare defunctis, ad Capitolinum illum rediit voltum.  
 Paulus circa illos nobilissimi triumphi dies, quo vinetum 3  
 ante currum egit Persen, [incliti regis nomen,] duos filios  
 in adoptionem dedit. quos sibi servaverat, extulit. qua-  
 les retentos putas, cum inter commodatos Scipio fuisset?  
 Non sine motu vacuum Pauli currum populus Romanus  
 adspexit. concionatus est tamen et egit dis gratias, quod

conpos voti factus esset: precatum enim se, ut, si quid ob ingentem victoriam invidiae dandum esset, id suo potius quam publico damno solveretur. Vides quam magno animo tulerit? orbitati suae gratulatus est. et quem magis poterat permovere tanta mutatio? solatia simul atque auxilia perdidit. non contigit tamen tristem Paulum Persi videre.

1 XIV. Quid nunc te per innumerabilia magnorum virorum exempla ducam et quaeram miseros, quasi non difficilius sit invenire felices? quota enim quaeque domus usque ad exitum omnibus partibus suis constitit, in qua non aliquid turbatum sit? unum quemlibet annum occupa et ex eo magistratus cita: Lucium si vis Bibulum et C. Caesarem. videbis inter collegas inimicissimos concor-  
2 dem fortunam: L. Bibuli, melioris quam fortioris viri, duo simul filii interfecti sunt, Aegyptio quidem militi ludibrio habiti, ut non minus ipsa orbitate auctor eius digna res lacrimis esset. Bibulus tamen, qui toto honoris sui anno ob invidiam collegae domi latuerat, postero die quam geminum funus renuntiatum est, processit ad solita imperii officia. Quid minus potest quam unum diem duobus filiis dare? tam cito liberorum luctum finivit, qui consulatum  
3 anno luxerat. C. Caesar cum Britanniam peragraret nec oceano continere felicitatem suam posset, audiit decessisse filiam publica secum fata ducentem. in oculis erat iam Cn. Pompeius non aequo laturus animo quemquam alium esse in republica magnum et modum inpositurus incrementis, quae gravia illi videbantur etiam cum in commune crescerent: tamen intra tertium diem imperatoria obiit munia et tam cito dolorem vicit quam omnia solebat.

1 XV. Quid aliorum tibi funera Caesarum referam? quos in hoc mihi videtur interim violare fortuna, ut sic quoque generi humano prosint ostendentes ne eos quidem, qui dis geniti deosque genituri dicantur, sic suam fortunam  
2 in potestate habere quemadmodum alienam. Divus Augustus amissis liberis, nepotibus, exhausta Caesarum turba adoptione desertam domum fulsit. tulit tamen fortiter tanquam cuius iam res agebatur cuiusque maxime intererat

de dis neminem queri. Tiberius Caesar et quem genuerat 3  
 et quem adoptaverat, amisit, ipse tamen pro rostris lau-  
 davit filium stetitque in conspectu posito corpore, inter-  
 iecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a  
 funere arceret, et flente populo Romano non flexit vol-  
 tum. experiendum se dedit Seiano ad latus stanti, quam  
 patienter posset suos perdere. Videsne quanta copia vi- 4  
 rorum maximorum sit, quos non exceptit hic omnia pro-  
 sternens casus et in quos tot animi bona, tot ornamenta  
 publice privatimque congesta erant? sed videlicet it in or-  
 bem ista tempestas et sine delectu vastat omnia agitque  
 ut sua. iube singulos conferre rationem: nulli contigit  
 inpune nasci.

XVI. Scio quid dicas: „oblitus es feminam te conso- 1  
 lari, virorum refers exempla.“ Quis autem dixit naturam  
 maligne cum muliebribus ingeniis egisse et virtutes illa-  
 rum in artum retraxisse? par illis, mihi crede, vigor, par  
 ad honesta, libeat, facultas est. dolorem laboremque ex  
 aequo, si consuevere, patiuntur. In qua istud urbe, di 2  
 boni, loquimur? in qua regem Romanis capitibus Lucre-  
 tia et Brutus deiecerunt: Bruto libertatem debemus, Lu-  
 cretiae Brutum. in qua Cloeliam contempto hoste et flu-  
 mine ob insignem audaciam tantum non in viros transcri-  
 psimus. equestri insidens statuae in sacra via, celebra-  
 rimo loco, Cloelia exprobrat iuvenibus nostris pulvinum  
 escendentibus, in ea illos urbe sic ingredi, in qua etiam  
 feminas equo donavimus. Quod tibi si vis exempla referri 3  
 feminarum, quae suos fortiter desideraverint, non ostiatim  
 quaeram. ex una tibi familia duas Cornelias dabo: pri-  
 mam Scipionis filiam, Gracchorum matrem. duodecim  
 illa partus totidem funeribus recognovit. et de ceteris fa-  
 cile est, quos nec editos nec amissos civitas sensit: Tibe-  
 rium Gracchum et Caium Gracchum, quos etiam qui bo-  
 nos viros negaverit, magnos fatebitur, et occisos vidit et  
 insepultos. consolantibus tamen miseramque dicentibus:  
 „numquam, inquit, non felicem me dicam, quae Gracchos  
 peperit.“ Cornelia Livii Drusi clarissimum iuvenem illu- 4  
 stris ingenii, vadentem per Gracchana vestigia, imperfectis

tot rogationibus intra penates interemptum suos, amiserat incerto caedis auctore. tamen et acerbam mortem filii et inultam tam magno animo tulit, quam ipse leges tulerat. Iam cum fortuna in gratiam, Marcia, reverteris, si tela quae in Scipiones Scipionumque matres ac filios exegit, quibus Caesares petiit, ne a te quidem continuit? Plena et infesta variis casibus vita est, a quibus nulli longa pax, vix induciae sunt. Quatuor liberos sustuleras, Marcia. nullum aiunt frustra cadere telum, quod in confertum agmen inmissum est: mirum est tantam turbam non potuisse sine invidia damnove praetervehi? „At hoc iniquior fortuna fuit, quod non tantum eripuit filios, sed elegit.“ Numquam tamen iniuriam dixeris ex aequo cum potentiore dividere, duas tibi reliquit filias et harum nepotes. et ipsum, quem maxime luges prioris oblita, non ex toto abstulit: habes ex illo duas filias, si male fers, magna onera, si bene, magna solatia. in hoc te perduxit, ut illas cum videris, admonearis filii, non doloris. Agricola eversis arboribus, quas aut ventus radicitus evulsit aut contortus repentino inpetu turbo praefregit, sobolem ex illis residuam fovet et amissarum semina statim plantasque disponit. et momento, nam ut ad damna, ita ad incrementa rapidum veloxque tempus est, adulescunt amissis laetiora. Has nunc Metilii tui filias in eius vicem substitue et vacantem locum exple. unum dolorem geminato solatio leva. Est quidem haec natura mortalium ut nihil magis placeat quam quod amissum est. iniquiores sumus adversus relicta ereptorum desiderio. sed si aestimare volueris, quam valde tibi fortuna, etiam cum saevierit, pepercerit, scies te habere plus quam solatia: respice tot nepotes, duas filias. dic illud quoque, Marcia: „moverer, si esset cuique fortuna pro moribus et nunquam mala bonos sequerentur: nunc video exempto discrimine eodem modo malos bonosque iactari.“

1 XVII. „Grave est tamen, quem educaveris iuvenem, iam matri, iam patri praesidium ac decus, amittere.“ Quis negat grave esse? sed humanum est. ad hoc genita es, ut perderes, ut perires, ut sperares, metueres, alios

teque inquietares, mortem et timeres et optares et quod est pessimum, numquam scires, cuius esses status. Si 2 quis Syracusas petenti diceret: „omnia incommoda, omnes voluptates futurae peregrinationis tuae ante cognosce, deinde ita naviga. haec sunt, quae mirari possis: videbis primum ipsam insulam ab Italia angusto interseissam freto, quam continenti quondam cohaesisse constat. subitum illo mare inrupit et

*Hesperium Siculo latus abscedit.*

deinde videbis, licebit enim tibi avidissimum maris verticem restringere, stratam illam fabulosam Charybdim, quamdiu ab austro vacat, at si quid inde vehementius spiravit, magno hiatu profundoque navigia sorbentem. vide- 3 bis celebratissimum carminibus fontem Arethusam, nitidissimi ac perlucidi ad imum stagni, gelidissimas aquas profundentem, sive illas ibi primum nascentis invenit, sive ipsum *in* terris flumen integrum subter tot maria et a confusione peioris undae servatum reddidit. videbis por- 4 tum quietissimum omnium, quos aut natura posuit in tutelam classium aut adjuvit manus, sic tutum, ut ne maximarum quidem tempestatum locus furori sit. videbis ubi Athenarum potentia fracta, ubi tot milia captivorum ille excisis in infinitam altitudinem saxis natus carcer incluserat, ipsam ingentem civitatem et laxius territorium quam multarum urbium fines sunt, lepidissima hiberna et nullum diem sine interventu solis. Sed cum omnia ista 5 cognoveris, gravis et insalubris aestas hiberni coeli beneficia corrumpit. erit Dionysius illic tyrannus, libertatis, iustitiae, legum exitium, dominationis cupidus etiam post Platonem, vitae etiam post exilium: alios uret, alios verberabit, alios ob levem offensam detruncari iubebit, accerset ad libidinem mares feminasque et inter foedos regiae intemperantiae greges parum erit simul binis coire. Audisti quid te invitare possit, quid abster- 6 rere: proinde aut naviga aut resiste.“ Post hanc denuntiationem si quis dixisset intrare se Syracusas velle, satisne iustam querelam de ullo nisi de se habere possit, qui non incidisset in illa, sed prudens sciensque venisset?

Dicit omnibus nobis natura: „Neminem decipio. tu si filios sustuleris, poteris habere formosos, et deformes poteris. fortasse [*pauci, fortasse*] multi nascentur. esse aliquis ex  
 7 illis tam servator patriae quam proditor poterit. non est quod desperes tantae dignationis futuros, ut nemo tibi propter illos maledicere audeat: propone tamen et tantae futuros turpitudinis, ut ipsi maledicta sint. nihil vetat illos tibi suprema praestare et laudari te a liberis tuis: sed sic te para tamquam in igne inpositura vel puerum vel iuvenem vel senem. nihil enim ad rem pertinent anni, quoniam nullum non acerbum funus est, quod parens sequitur. Post has leges propositas, si liberos tollis, omni deos invidia liberas, qui tibi nihil certi sponderunt.

- 1 XVIII. Ad hanc imaginem agedum totius vitae introitum referamus. Syracusas viseres deliberanti tibi quicquid delectare poterat, quicquid offendere, exposui. puta nascenti me tibi venire in consilium: intraturus es urbem dis hominibusque communem, omnia complexam certis legibus aeternisque devinctam, indefatigata coelestium  
 2 ficia volventem. videbis illic innumerabilis stellas, [videre] miraberis uno sidere omnia impleri, solem cotidiano cursu die noctisque spatia signantem, annuo aestates hiemesque aequali[*ter*] usque dividentem. videbis nocturnam lunae-successionem, a fraternis occursibus lene remissumque lumen mutantem et modo occultam, modo toto ore terris imminentem, accessionibus damnisque mutabilem,  
 3 semper proximae dissimilem. videbis quinque sidera diversas agentia vias et in contrarium praecipiti mundo nitentia. ex horum levissimis motibus fortunae populorum dependent et maxima ac minima proinde formantur, prout aequum iniquumve sidus incessit. miraberis coiecta nubila et cadentes aquas et obliqua fulmina et coeli frago-  
 4 rem. Cum satiatus spectaculo superiorum in terram oculos deieceris, excipiet te alia fortuna rerum aliterque mirabilis: hinc camporum in infinitum patentium fusa planities, hinc montium magnis et nivalibus surgentium iugis erecti in sublime vertices. deiectus fluminum et ex uno fonte in occidentem orientemque defusi amnes et summis

cacuminibus nemora nutantia et tantum silvarum cum suis animalibus aviumque concentu dissono. varii urbium situs et seclusae nationes locorum difficultate, quarum aliae se in erectos subtrahunt montes, aliae ripis, lacu, vallibus pavidae circumfunduntur. adiuta fructu seges, et arbusta sine cultore fer[til]itatis. et rivorum lenis inter prata discursus et amoeni sinus et litora in portum recedentia. sparsae tot per vastum insulae, quae interventu suo maria distinguunt. Quid? lapidum gemmarumque fulgor [et] 6 in ter[ra] rapidorum torrentium aurum arenis interfluens et in mediis terris medioque rursus mari terrentes ignium faces et vinculum terrarum oceanus, continentis gentium triplici sinu scindens et ingenti licentia exaestuans? Vide- 7 bis hic inquietis et sine vento fluctuantibus aquis innare [et] excedenti terrentia magnitudine animalia, quaedam gravia et alieno se magisterio moventia, quaedam velocia et concitatis perniciosiora remigiis, quaedam haurientia undas et magno praenavigantium periculo efflantia. videbis hic navigia quas non novere terras quaerentia. videbis nihil humanae audaciae intemptatum erisque et spectator et ipse pars magna conantium. disces docebisque artes, alias quae vitam instruant, alias quae ornent, alias quae regant. Sed istic erunt mille corporum, [mille] animorum 8 pestes, et bella et latrocinia et venena et naufragia et intemperies coeli corporisque et carissimorum acerba desideria et mors, incertum facilis an per poenam cruciatumque: delibera tecum et perpende, quid velis. ut ad illa venias, per illa exeundum est. respondebis velle te vivere? quidni? immo, puto, ad id non accedes, ex quo tibi aliquid decuti doles: vive ergo ut convenit. „Nemo, inquis, nos consuluit.“ Consulti sunt de nobis parentes nostri, qui cum condicionem vitae nossent, in hanc nos sustulerunt.

XIX. Sed ut ad solatia veniam, videbis primum quid curandum sit, deinde quemadmodum. Movet lugentem desiderium eius quem dilexit. id per se tolerabile esse adpareat. absentis enim abfuturosque dum vivent, non flemus, quamvis om-

nis usus nobis illorum et conspectus ereptus sit: opinio  
 est ergo, quae nos cruciat et tanti quodque malum est,  
 quanti illud taxavimus. In nostra potestate remedium ha-  
 bebimus: iudicemus illos abesse et nosmet ipsi fallamus.  
 2 dimisimus illos, immo consecuturi praemisimus. Movet  
 et illud lugentem: „non erit qui me defendat, qui a con-  
 temptu vindicet.“ Ut minime probabili, sed vero solatio  
 utar, in civitate nostra plus gratiae orbitas confert quam  
 eripit, adeoque senectutem solitudo, quae solebat destrue-  
 re, ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum simulent  
 3 et liberos *eiurent* et orbitatem manu faciant. Scio quid  
 dicas: „non movent me detrimenta mea.“ etenim non est  
 dignus solatio, qui filium sibi decessisse sicut mancipium  
 moleste fert, cui quicquam in filio respicere praeter ipsum  
 vacat: quid igitur te, Marcia, movet? utrum quod filius  
 tuus decessit, an quod non diu vixit? si quod decessit,  
 4 semper debuisti dolere. semper enim scisti mori. Cogita  
 nullis defunctum malis adfici, illa quae nobis in-  
 feros faciunt terribiles, fabulam esse, nullas imminere mor-  
 tuis tenebras nec carcerem nec flumina igne flagrantia  
 nec oblivionis amnem nec tribunalia et reos et in illa li-  
 bertate tam laxa ullos iterum tyrannos. Iuserunt ista poe-  
 5 tae et vanis nos agitavere terroribus. Mors dolorum om-  
 nium exsolutio est et finis, ultra quem mala nostra non  
 exeunt, quae nos in illam tranquillitatem, in qua antequam  
 nasceremur iacuimus, reponit. Si mortuorum aliquis mi-  
 seretur, et non natorum misereatur. Mors nec bonum nec  
 malum est. id enim potest aut bonum aut malum esse,  
 quod aliquid est. quod vero ipsum nihil est et omnia in  
 nihilum redigit, nulli nos fortunae tradit. mala enim bo-  
 naque circa aliquam versantur materiam. non potest id  
 fortuna tenere, quod natura dimisit, nec potest miser esse  
 6 qui nullus est. Excessit filius tuus terminos, intra quos  
 servitur. exceperit illum magna et aeterna pax. non pau-  
 pertatis metu, non divitiarum cura, non libidinis per vo-  
 luptatem animos carpentis stimulis incessitur, non invi-  
 dia felicitatis alienae tangitur, non suae premitur, ne con-  
 viciis quidem ullis verecundae aures verberantur. nulla



publica clades prospicitur, nulla privata. non sollicitus futuri pendet et ex eventu semper in incertiora dependenti. tandem ibi constitit, unde nil eum pellat, ubi nihil terreat.

XX. O ignaros malorum suorum, quibus non mors ut 1  
 optimum inventum naturae laudatur exspectaturque, sive  
 felicitatem includit, sive calamitatem repellit, sive satietatem ac lassitudinem senis terminat, sive iuvenile aevum dum meliora sperantur, in flore deducit, sive pueritiam ante duriores gradus revocat, omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita quam de iis, ad quos venit antequam invocaretur. Haec servitutum invito domino remittit. haec captivorum catenas levat. haec e carcere educit quos exire imperium inpotens vetuerat. haec exulibus in patriam semper animum oculosque tendentibus ostendit nihil interesse, infra quod quis iaceat. haec ubi, res communis fortuna male divisit et aequo iure genitos alium alii donavit, exaequat omnia. haec est, post quam nihil quisquam alieno fecit arbitrio. haec est, in qua nemo humilitatem suam sensit. haec est, quae nulli non patuit. haec est, Marcia, quam pater tuus concupiit. haec est, inquam, quae efficit, ut nasci non sit supplicium, quae efficit, ut non concidam adversus minas casuum, ut servare animum salvum ac potentem sui possim: habeo quod adpellem. Video istic cruces non 3  
 unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas: capite quidam conversos in terram suspendere, alii per obscoena stipitem egerunt, alii brachia patibulo explicuerunt. video fidiculas, video verbera. et membris singulis et articulis singula docuerunt machinamenta: at video et mortem. sunt istic hostes cruenti, cives superbi: sed video istic et mortem. Non est molestum servire, ubi si domini pertaesum est, licet uno gradu ad libertatem transire. caram te, vita, beneficio mortis habeo. Cogita quantum 4  
 boni opportuna mors habeat, quam multis diutius vixisse nocuerit. Si Cn. Pompeium, decus istud firmamentumque imperii, Neapoli validudo abstulisset, indubitatus populi Romani princeps excesserat: at nunc exigui temporis adiectio fastigio illum suo depulit. vidit.

legiones in conspectu suo caesas. et ex illo proelio, in quo prima acies senatus fuit, quae infelicis reliquiae sunt, ipsum imperatorem superfuisse! vidit Aegyptium carnificem et sacrosanctum victoribus corpus satelliti praestitit, etiamsi incolumis fuisset, poenitentiam salutis acturus. quid enim erat turpius quam Pompeium vivere beneficio regis? M. Cicero si illo tempore, quo Catilinae siccas devitavit, quibus pariter cum patria petitus est, concidisset liberata republica servator eius. si denique filiae suae funus secutus esset, etiam tunc felix mori potuit. non vidisset strictos in civilia capita mucrones nec divisa percussoribus occisorum bona, ut etiam de suo perirent, non hastam consularia spolia vendentem nec caedes nec locata publice latrocinia, bella, rapinas, tantum Catilinarum. Marcum Catonem si a Cypro et hereditatis regiae dispensatione redeuntem mare devorasset vel cum illa ipsa pecunia, quam adferebat civili bello stipendium, nonne illi bene actum foret? hoc certe secum tulisset, neminem ausurum coram Catone peccare: nunc annorum adiectio paucissimorum virum libertati non suae tantum, sed publicae natum coegit Caesarem fugere, Pompeium sequi. nihil ergo mali illi in matura mors adtulit: omnium etiam malorum remisit patientiam.

- 1 XXI. „Nimis tamen cito periit et immaturus.“ Primum puta [*multum*] illi superfuisse. comprehendere quantum plurimum procedere homini licet: quantum est? Ad brevissimum tempus editi, cito cessuri loco\* venienti in pactum\* hoc prospicimus hospitium. De nostris aetatibus loquor, quas incredibili celeritate convolvi *constat*? computa urbium secula. videbis quam non diu steterint, etiam quae vetustate gloriantur. Omnia humana breviter et caduca sunt et infiniti temporis nullam partem
- 2 occupantia. Terram hanc cum urbibus populisque et fluminibus et ambitu maris puncti loco ponimus ad universa referentes: minorem portionem aetas nostra quam puncti habet, si omni tempori conparetur, cuius maior est mensura quam mundi, utpote cum ille se intra huius spatium totiens remetiatur: quid ergo interest [in] id extendere,

cuius quantumcumque fuerit incrementum, non multum aberit a nihilo? uno modo multum est quod vivimus, si satis est. Licet mihi *vivaces* et in memoriam traditae se- 3  
nectutis viros nomines, centenos denosque percenseas annos: cum ad omne tempus dimiseris animum, nulla erit illa brevissimi longissimique aevi differentia, si inspecto quanto quis vixerit spatio, comparaveris quanto non vixerit. Deinde si immaturus [*decessit tibi, certe fato non im- 4*  
*maturus*] decessit. vixit enim quantum debuit vivere. nihil illi iam ultra supererat. Non una hominibus senectus est, ut ne animalibus quidem: intra quatuordecim quaedam annos defatigavit, et haec illis longissima aetas est quae homini prima. dispar cuique vivendi facultas data est. nemo nimis cito moritur, quia victurus diutius quam vixit non fuit. Fixus est cuique terminus: manebit sem- 5  
per ubi positus est. nec illum ulterius diligentia aut gratia promovebit. sic habe, *nil* illum ex consilio perdidisse: tulit suum

*metasque dati pervenit ad aevi.*

Non est itaque quod sic te oneres: „potuit diutius vi- 6  
vere.“ Non est interrupta eius vita nec umquam se annis casus interiecit. solvitur quod cuique promissum est. eunt *via* sua fata nec adiciunt quicquam nec ex promisso semel demunt. frustra vota ac studia sunt: habebit quisque quantum illi dies primus adscripsit. ex illo quo primum lucem vidit, iter mortis ingressus est accessitque fato propior et illi ipsi qui adiciebantur adolescentiae anni, vitae detrahebantur. In hoc omnes errore versamur, ut non pu- 7  
temus ad mortem nisi senes inclinatosque iam vergere, cum illo infantia statim et iuventa, omnis aetas ferat. Agunt opus suum fata: nobis sensum nostrae necis auferunt, quoque facilius obrepant, mors sub ipso vitae nomine latet: infantem in se pueritia convertit, pueritiam pubertas, iuvenem senex abstulit. incrementa ipsa, si bene computes, damna sunt.

XXII. Quereris, Marcia, non tam diu filium tuum vi- 1  
xisse quam potuisse? unde enim scis an diutius illi expedierit vivere? an illi hac morte consultum sit? Quem in-

- venire hodie potes, cuius res tam bene positae fundataeque [sint], ut nihil illi procedenti tempore timendum sit? Labant humana ac fluunt neque ulla pars vitae nostrae tam obnoxia aut tenera est quam quae maxime placet, ideoque felicissimis optanda mors est, quia in tanta inconstantia turbaque rerum nihil nisi quod praeterit certum est.
- 2 Quis tibi recipit illud filii tui pulcherrimum corpus et summa pudoris custodia inter luxuriosae urbis oculos conservatum potuisse et morbos ita evadere, ut ad senectutem inlaesum perferret formae decus? Cogita animi mille labes. neque enim recta ingenia qualem in adulescentiam spem sui fecerant, usque in senectutem pertulerunt, sed interspersa plerumque sunt: aut sera eoque foedior luxuria invasit coegitque dehonestare speciosa principia. aut in popinam ventremque *proiecti* [sunt] summaque illis curarum fuit, quid essent, quid biberent.
- 3 Adice incendia, ruinas, naufragia lacerationesque medicorum ossa vivis legentium et totas in viscera manus demittentium et non *per* simplicem dolorem pudenda curantium. post haec exilium — non fuit innocentior filius tuus quam Rutilius, carcerem — non fuit sapientior quam Socrates, voluntario vulnere transfixum pectus — non fuit sanctior quam Cato: cum ista perspexeris, scies optime cum his agi, quos natura, quia illos hoc manebat vitae stipendium, cito in tutum recepit. Nihil est tam fallax quam vita humana, nihil tam insidiosum: non mehercules quisquam illam accepisset, nisi daretur inscientibus. itaque si felicissimum est non nasci, proximum puto
- 4 brevi *aetate* defunctos cito in integrum restitui. Propone illud acerbissimum tibi tempus, quo Seianus patrem tuum clienti suo Satrio Secundo congiarium dedit. irascebatur illi ob unum aut alterum liberius dictum, quod tacitus ferre non potuerat Seianum in cervices nostras ne inponi quidem, sed escendere. decernebatur illi statua in Pompeii theatro ponenda, quod exustum Caesar reficiebat. exclamavit Cordus tunc vere theatrum perire.
- 5 Quid ergo? non rumperetur supra cineres Cn. Pompeii constitui Seianum et in monumentis maximi imperatoris consecrari

perfidum militem? consecratur subscriptio. et acerrimi canes, quos ille ut sibi uni mansuetos, omnibus feros haberet, sanguine humano pascebat, circumlatrare hominem et iam illum impe<sup>tr</sup>atum incipiunt. Quid faceret? si vivere vellet, Seianus rogandus erat, si mori, filia, uterque inexorabilis: constituit filiam fallere. usus itaque balineo, [et] quo plus virium poneret, in cubiculum se quasi gustaturus contulit et dimissis pueris quaedam per fenestram, ut videretur edisse, proieci<sup>t</sup>. a coena deinde, quasi iam satis in cubiculo edisset, abstinuit. altero quoque die et tertio idem fecit. quartus ipsa infirmitate corporis faciebat indicium. complexus itaque te: „carissima, inquit, filia et hoc unum tota celata vita, iter mortis ingressus sum et iam medium fere teneo. revocare me nec debes nec potes.“ atque ita iussit lumen omne praecludi et se in tenebras condidit. Cognito consilio eius publica 7 voluptas erat, quod e faucibus avidissimorum luporum educeretur praeda. accusatores Seiano auctore adeunt consulum tribunalia, queruntur mori Cordum, ut interpellantes quod coegerant: adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat, [in] quaestione an morte rei 8 perderentur. dum deliberatur, dum accusatores iterum adeunt, ille se absolverat. Videsne, Marcia, quantae iniquorum temporum vices ex inopinato ingruant? fles, quod alicui tuorum mori necesse fuit? paene non licuit.

XXIII. Praeter hoc quod omne futurum incertum est 1 et ad deteriora certius, facillimum ad superiores iter est animis cito ab humana conversatione dimissis. minimum enim faecis [ponderis] traxerunt. antequam obducerent et altius terrena conciperent, liberati, leviores ad originem suam revolant et facilius quicquid est illud obsoleti inliti<sup>que</sup> eluunt. nec umquam 2 magnis ingeniis cara in corpore mora est. exire atque erumpere gestiunt, aegre has angustias ferunt, vagi per omne, sublimes et ex alto adsueti humana despiciere: inde est quod Platon clamat: sapientis animum totum in mortem prominere, hoc velle, hoc meditari, hac semper cupidine ferri in exteriora tendentem. Quid tu, Marcia, 3

cum videres senilem in iuvene prudentiam, victorem omnium voluptatum animum, emendatum, carentem vitio, divitias sine avaritia, honores sine ambitione, voluptates sine luxuria adpetentem, diu tibi putabas illum sospitem posse contingere? Quicquid ad summum pervenit, ad exitum prope est. eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus, nec ultimum tempus exspectant quae in primo  
 4 maturuerunt. Ignis quo clarior fulsit, citius exstinguitur. vivacior est, qui cum lenta ac difficili materia commissus fumoque demersus ex sordido lucet. eadem enim detinet causa quae, maligne alit: sic ingenia quo inlustriora, breviora sunt. nam ubi incremento locus non est, vicinus  
 5 occasus est. Fabianus ait, id quod nostri quoque parentes videre, puerum Romae fuisse statura ingentis viri. sed hic cito decessit, et non moriturum brevi nemo prudens dixit. non poterat enim ad illam aetatem pervenire, quam praeceperat. Ita est: indicium est imminentis exitii maturitas et adpetit finis ubi incrementa consumpta sunt.

1 XXIV. Incipe virtutibus illum, non annis aestimare: satis diu vixit. pupillus relictus sub tutorum cura usque ad quartum decimum annum fuit, sub matris tutela semper. cum haberet suos penates, relinquere tuos noluit et in materno contubernio, cum vix paternum liberi ferant, perseveravit. adulescens statura, pulchritudine, cetero corporis robore castris natus militiam recusavit, ne a te discederet. Conputa, Marcia, quam  
 2 raro liberos videant quae in diversis domibus habitant. cogita tot illos perire annos matribus et per sollicitudinem exigi, quibus filios in exercitu habent: scies multum patuisse hoc tempus, ex quo nil perdidisti. numquam a conspectu tuo recessit. sub oculis tuis studia formavit excellentis ingenii et aequaturi avum, nisi obstitisset verecundia, quae multorum profectus silentio  
 3 pressit. Adulescens rarissimae formae in tam magna feminarum turba viros corrumpentium nullius se spei praebuit, et cum quarundam usque ad temptandum pervenisset improbitas, erubuit quasi peccasset, quod placuerat. hac sanctitate morum effecit, ut puer admodum

dignus sacerdotio videretur, materna sine dubio suffragatione, sed ne mater quidem nisi pro bono candidato valuisset. Harum contemplatione virtutum filium \* geri † quam si \*\* nunc ille tibi magis vacat. nunc nihil habet, quo vocetur. numquam tibi sollicitudini, numquam moerori erit. quod unum ex tam bono filio poteras dolere, doluisti: cetera exempta casibus, plena voluptatis sunt, si modo uti filio scis, si modo quid in illo pretiosissimum fuerit, intellegis. Imago dumtaxat filii tui periit et effigies 5 non simillima, ipse quidem aeternus meliorisque nunc status est, despoliatus oneribus alienis et sibi relictus. Haec quae vides ossa circum[iecta] nobis, nervos et obductam cutem voltumque et ministras manus et cetera quibus involuti sumus, vincula animorum tenebraeque sunt. obruitur his animus, effocatur, inficitur, arcetur a veris et suis in falsa coniectus. omne illi cum hac carne grave certamen est, ne abstrahatur et sidat. nititur illo, unde dimissus est. ibi illum aeterna requies manet e confusis crassisque pura et liquida visentem.

XXV. Proinde non est quod ad sepulcrum filii tui 1 curras: pessima eius et ipsi molestissima istic iacent, ossa cineresque, non magis illius partes quam vestes aliaque tegumenta corporum. Integer ille nihilque in terris relinquens *sui* fugit et totus excessit paulumque supra nos commoratus, dum expurgatur et inhaerentia vilia situmque omnem mortalis aevi excutit, deinde ad excelsa sublatus inter felices currit animas [exceptit illum coetus sacer], Scipiones Catonesque, interque contemptores vitae et mortis beneficio liberos. Parens tuus, 2 Marcia, illic nepotem suum, quamquam illic omnibus omne cognatum est, adplicat sibi nova luce gaudentem et vicinorum siderum meatus docet, nec ex coniectura sed omnium ex vero peritus in arcana naturae libens ducit. utque ignotarum urbium monstrator hospiti gratus est, ita sciscitanti coelestium causas domesticus interpret. iuvat enim ex alto relictia respicere et in profunda terrarum permittere aciem. Sic itaque te, Marcia, gere, 3 tamquam sub oculis patris filique posita, non illorum

quos noveras, sed tanto excelsiorum et in summo loca-  
torum. erubescere quicquam humile aut volgare [*facere*]  
et mutatos in melius tuos flere. In aeterna rerum per  
libera et vasta spatia dimissos non illos interfusa maria  
discludunt nec altitudo montium aut inviae valles aut  
incertarum vada Syrtium: tramites omnium plani et ex  
facili mobiles et expediti et invicem pervii sunt intermix-  
tique sideribus.

- 1 XXVI. Puta itaque ex illa arce coelesti patrem tuum,  
Marcia, [et] cui tantum apud te auctoritatis erat, quan-  
tum tibi apud filium tuum, non illo ingenio, quo civilia  
bella deflevit, quo proscribentis in aeternum ipse pro-  
scripsit, sed tanto elatiore, quanto est ipse sublimior,  
2 dicere: „Cur te, filia, tam longa tenet aegritudo? cur in  
tanta veri ignoratione versaris, ut inique actum cum filio  
tuo iudices, quod integro domus statu, integer ipse *se*  
ad maiores recepit suos? nescis quantis fortuna procel-  
lis disturbet omnia? quam nullis benignam facilemque  
se praestiterit, nisi qui minimum cum illa contraxerant?  
regesne tibi nominem felicissimos futuros, si maturius  
illos mors instantibus subtraxisset malis? an Romanos  
duces, quorum nihil magnitudini deerit, si aliquid aetati  
detraxeris? an nobilissimos viros clarissimosque ad ictum  
3 militaris gladii composita cervice formatos? Respice pa-  
trem atque avum tuum: ille in alieni percussoris venit  
arbitrium. ego nihil in me cuiquam permisi et cibo pro-  
hibitum ostendi tam magno me quam *videbar* animo scri-  
psisse. Cur in domo nostra diutissime lugetur qui felici-  
cissime moritur? coimus omnes in unum videmusque  
non alta nocte circumdati, nil apud vos, ut putatis, opta-  
bile, nil excelsum, nil splendidum, sed humilia cuncta  
et gravia et anxia et quotam partem luminis nostri cer-  
4 nentia? Quid dicam nulla hic arma mutuis furere con-  
cursibus nec classes classibus frangi nec parricidia aut  
fingi aut cogitari nec fora litibus strepere dies perpetuos,  
nihil in obscuro, detectas mentes et aperta praecordia et  
in publico medioque vitam et omnis aevi prospectum  
5 venientiumque? Iuvabat unius me seculi facta componere



in parte ultima mundi et inter paucissimos gesta: tot secula, tot aetatum contextum, seriem, quicquid annorum est, licet visere. licet surrectura, licet ruitura regna prospicere et magnarum urbium lapsus et maris novos cursus. Nam si tibi potest solatio esse desiderii tui commune <sup>6</sup> fatum, nihil quo stat loco stabit, omnia sternet abducetque [secum] vetustas. nec hominibus solum, (quota enim ista fortuitae potentiae portio est?) sed locis, sed regionibus, sed mundi partibus ludet. tot supprimet montes et alibi rupes in altum novas exprimet. maria sorbebit, flumina avertet et commercio gentium rupto societatem generis humani coetumque dissolvit. alibi hiatibus vastis subducet urbes, tremoribus quatiet et ex infimo pestilentes halitus mittet et inundationibus quicquid habitatur obducet necabitque omne animal orbe submerso et ignibus vastis torrebit incendetque mortalia. et cum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus exstinguat, viribus ista se suis caedent et sidera sideribus incurrent et omni flagrante materia uno igne quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit. Nos quoque felices animae et aeterna <sup>7</sup> sortitae, cum deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis et ipsae parva ruinae ingentis accessio in antiqua elementa vertemur.“ Felicem filium tuum, Marcia, qui ista iam novit!

---

**L. ANNAEI SENECAE**  
**DIALOGORUM LIBER VII.**

AD GALLIONEM

**DE VITA BEATA.**

---

I. Vivere, Gallio frater, omnes beate volunt, sed ad 1 pervidendum, quid sit quod beatam vitam efficiat, caligant. adeoque non est facile consequi beatam vitam, ut

eo quisque ab ea longius recedat, quo ad illam concitatus fertur, si via lapsus est: quae ubi in contrarium ducit, ipsa velocitas maioris intervalli causa fit. Proponendum est itaque primum, quid sit quod adpetamus. tunc circumspiciendum, quae contendere illo celerrime possimus, intellecturi in ipso itinere, si modo rectum erit, quantum cotidie profligetur quantoque propius ab eo simus, ad quod nos  
2 cupiditas naturalis impellit. Quamdiu quidem passim vagamur non ducem secuti, sed fremitum et clamorem dissonum in diversa vocantium, conteretur vita inter errores brevis, etiamsi dies noctesque bonae menti laboremus: decernatur itaque, et quo tendamus et qua, non sine perito aliquo, cui explorata sint ea, in quae procedimus, quoniam quidem non eadem hic quae in ceteris peregrinationibus condicio est: in illis comprehensus aliquis limes et interrogati incolae non patiuntur errare. at hic tritissima quaeque via et celeberrima  
3 maxime decipit. Nihil ergo magis praestandum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quo eundum est, sed quo itur. atqui nulla res nos maioribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur, optima rati ea, quae magno adsensu recepta sunt quodque exempla [*pro*] bonis multa sunt, nec ad rationem sed ad similitudinem vivimus. inde ista tanta coa-  
4 cervatio aliorum super alios ruentium. Quod in strage hominum magna evenit, cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non et alium in se adtrahat, primique exitio sequentibus sunt, hoc in omni vita accidere videas licet: nemo sibi tantummodo errat, sed alieni erroris et causa et auctor est. nocet enim adplicari antecedentibus et dum unusquisque mavult credere quam iudicare, nunquam de vita iudicatur, semper creditur versatque nos et praecipitat traditus per manus error alienisque peri-  
5 mus exemplis: sanabimur, si modo separemur a coetu. nunc vero stat contra rationem defensor mali sui populus. itaque id evenit quod in comitiis, in quibus eos factos esse praetores iidem qui fecere mirantur, cum se

mobilis favor circumegit. Eadem probamus, eadem reprehendimus: hic exitus est omnis iudicii, in quo secundum plures datur.

II. Cum de beata vita agetur, non est quod mihi illud 1  
 discessionum more respondeas: „haec pars maior esse videtur.“ ideo enim peior est. Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant: argumentum pessimi turba est. Quaeramus ergo, quid optimum 2  
 factu sit, non quid usitatissimum, et quid nos in possessione felicitatis aeternae constituat, non quid volgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit. volgum autem tam chlamydatos quam coronatos voco. non enim colorem vestium, quibus praetexta sunt corpora, adspicio. oculis de homine non credo. habeo melius et certius lumen, quo a falsis vera diiudicem: animi bonum animus inveniat. hic, si umquam respirare illi et recedere in se vacaverit, o quam sibi ipse verum tortus a se fatebitur ac dicet: „Quicquid feci adhuc, infectum esse malle. quic- 3  
 quid dixi cum recogito, *mutis invideo*. quicquid optavi, inimicorum exsecrationem puto. quicquid timui, di boni, quanto levius fuit quam quod concupivi? cum multis inimicitias gessi et in gratiam ex odio, si modo ulla inter malos gratia est, redii: mihi ipsi nondum amicus sum. omnem operam dedi, ut me multitudini educerem et aliqua dote notabilem facerem: quid aliud quam telis me opposui et malivolentiae quod morderet ostendi? vides istos 4  
 qui eloquentiam laudant, qui opes sequuntur, qui gratiae adulantur, qui potentiam extollunt? omnes aut sunt hostes aut, quod in aequo est, esse possunt. quam magnus mirantium tam magnus invidentium populus est: quin potius quaero aliquod usu bonum, quod sentiam, non quod ostendam: ista quae spectantur, ad quae consistitur, quae alter alteri stupens monstrat, foris nitent, introrsus misera sunt.“

III. Quaeramus aliquid non in speciem bonum, sed 1  
 solidum et aequale et a secretiore parte formosius. hoc eruamus. nec longe positum est. invenietur. scire tantum opus est quo manum porrigas: nunc velut in tene-

bris vicina transimus offensantes ea ipsa quae desideramus. Sed ne te per circumitus traham, aliorum quidem opiniones praeteribo. nam et enumerare illas longum est et coarguere: nostram accipe. nostram autem cum dico, non adligo me ad unum aliquem ex Stoicis proceribus. est et mihi censendi ius. itaque aliquem sequar, aliquem iubebo sententiam dividere. fortasse et post omnes citatus nihil inprobabo ex iis, quae priores decreverint, et dicam: „hoc amplius censeo.“ Interim quod inter omnis Stoicos convenit, rerum naturae adsentior. ab illa non deerrare et ad illius legem exemplumque formari sapientia est: beata est ergo vita conveniens naturae suae, quae non aliter contingere potest, quam si primum sana mens est et in perpetua possessione sanitatis suae, deinde fortis ac vehemens, \* tunc pulcherrima et patiens, apta temporibus, corporis sui pertinentiumque ad id curiosa non anxie. tum aliarum rerum quae vitam instruunt, diligens sine admiratione cuiusquam, usura fortunae muneribus, non servitura. intelligis, etiamsi non adiciam, sequi perpetuam tranquillitatem, libertatem depulsis iis quae aut iritant nos aut teritant. nam [*pro*] voluptatibus et pro illis quae parva ac fragilia sunt et in ipsis flagitiis noxia, ingens gaudium subit, inconcussum et aequale. tum pax et concordia animi et magnitudo cum mansuetudine. omnis enim ex infirmitate feritas est.

1 IV. Potest aliter quoque definiri bonum nostrum, id est eadem sententia non iisdem comprehendendi verbis. Quemadmodum idem exercitus modo latius panditur, modo in angustum coartatur et aut in cornua sinuata media parte curvatur aut recta fronte explicatur, vis illi, utcumque ordinatus est, eadem est et voluntas pro iisdem partibus standi: ita finitio summi boni alias diffundi potest et exporrigi, alias colligi et in 2 se cogi. Idem itaque erit, si dixerō: summum bonum est animus fortuita despiciens, virtute laetus, aut: invicta vis animi, perita rerum, placida in actu cum humanitate multa et conversantium cura. libet et ita finire, ut beatum

dicamus hominem eum, cui nullum bonum malumque sit nisi bonus malusque animus: honesti cultor, virtute contentus, quem nec extollant fortuita nec frangant, qui nullum maius bonum eo quod sibi ipse dare potest noverit, cui vera voluptas erit voluptatum contemptio. Licet, si evagari velis, idem in aliam atque aliam faciem salva et integra potestate transferre. quid enim prohibet nos beatam vitam dicere liberum animum et erectum et interitum ac stabilem, extra metum, extra cupiditatem positum, cui unum bonum sit honestas, unum malum turpitudine, cetera vilis turba rerum nec detrahens quicquam beatæ vitæ nec adiciens, sine auctu ac detrimento summi boni veniens ac recedens. Hoc ita fundatum necesse est, velit nolit, sequatur hilaritas continua et lætitia alta atque ex alto veniens, ut quæ suis gaudeat nec maiora domesticis cupiat. Quidni ista bene penset cum minutis et frivolis et non perseverantibus corpusculi motibus? quo die infra voluptatem fuerit, et infra dolorem erit. vides autem, quam malam et noxiosam servitutem serviturus sit, quem voluptates doloresque, incertissima dominia inpotentissimæque, alternis possidebunt: ergo exeundum ad libertatem est. hanc non alia res tribuit quam fortunæ negligentia: tum illud orietur inaestimabile bonum, quies mentis in tuto conlocata et sublimitas expulsisque terroribus ex cognitione veri gaudium grande et innotum comitasque et diffusio animi, quibus delectabitur non ut bonis, sed ut ex bono suo ortis.

V. Quoniam liberaliter agere coepi, potest beatus dici, qui nec cupit nec timet beneficio rationis. quoniam et saxa timore et tristitia carent nec minus pecudes, non ideo tamen quisquam felicia dixerit, quibus non est felicitatis intellectus. eodem loco pone homines, quos in numerum pecorum et animalium redegit hebes natura et ignorantio sui. nihil interest inter hos et illa, quoniam illis nulla ratio est, his prava et malo suo atque in perversum sollers. beatus enim nemo dici potest extra veritatem proiectus. Beata ergo vita est in recto certoque stabilita et inmutabilis. tunc enim pura mens est et soluta

omnibus malis, cum non tantum lacerationes, sed etiam vellicationes effugerit, statura semper ubi constitit ac sedem suam etiam irata et infestante fortuna vindicatura.

4 Nam quod ad voluptatem pertinet, licet circumfundatur undique et per omnes vias influat animumque blandimentis suis leniat aliaque ex aliis admoveat, quibus totos partesque nostri sollicitet: quis mortalium, cui ullum superest hominis vestigium, per diem noctemque titillari velit, deserto animo corpori operam dare?

1 VI. „Sed animus quoque, inquit, voluptates habebit suas.“ Habeat sane sedeatque luxuriae et voluptatum arbiter, inpleat se eis omnibus, quae oblectare sensus solent. deinde praeterita respiciat et exoletarum voluptatum memor exsultet prioribus futurisque iam immineat ac spes suas ordinet, et dum corpus in praesenti sagina iacet, cogitationes ad futura praemittat: hoc mihi videbitur miserior, quoniam mala pro bonis legere dementia est. nec sine sanitate quisquam beatus est nec sanus,

2 cui futura pro optimis adpetuntur. Beatus ergo est iudicii rectus. beatus est praesentibus, qualiacumque sunt, contentus amicusque rebus suis. beatus est is, cui omnem habitum rerum suarum ratio commendat.

3 \*\* [*voluptates*] \*\* videt et in illis qui summum bonum dixerint, quam turpi illud loco posuerint. itaque negant posse voluptatem a virtute deduci et aiunt nec honeste quemquam vivere, ut non iucunde vivat, nec iucunde, ut non honeste quoque.

1 VII. Non video quomodo ista tam diversa in eandem copulam coniciantur. quid est, oro vos, cur separari voluptas a virtute non possit? videlicet quia omne bonis ex virtute principium est, ex huius radicibus etiam ea, quae vos et amatis et expelitis, oriuntur? Sed si ista indiscreta essent, non videremus quaedam iucunda, sed [*non*] honesta, quaedam vero honestissima, sed aspera,

2 per dolores exigenda. Adice nunc, quod voluptas etiam ad vitam turpissimam venit, at virtus malam vitam non admittit. et infelices quidam non sine voluptate, immo ob ipsam voluptatem sunt, quod non eveniret, si virtuti se

voluptas inmiscuisset, qua virtus saepe caret, numquam indiget. Quid dissimilia, immo diversa componitis? altum 3 quiddam est virtus, excelsum et regale, invictum, infatigabile: voluptas humile, servile, inbecillum, caducum, cuius statio ac domicilium fornices et popinae sunt. virtutem in templo convenies, in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus: voluptatem latitantem saepius ac tenebras captantem circa balinea ac sudatoria ac loca aedilem metuentia, mollem, enervem, mero atque unguento madentem, pallidam aut fucatam et medicamentis pollinctam. Sum- 4 mum bonum immortale est, nescit exire. nec satietatem habet nec poenitentiam. numquam enim recta mens vertitur nec sibi odio est nec quicquam mutavit [quia semper semper secuta est] optima: at voluptas tunc, cum maxime delectat, exstinguitur. non multum loci habet, itaque cito inplet et taedio est et post primum inpetum marcet: nec id umquam certum est, cuius in motu natura est. ita ne potest quidem ulla eius esse substantia, quod venit transitve celerrime in ipso usu sui periturum. eo enim pervenit ubi desinat, et dum incipit, spectat ad finem.

VIII. Quid, quod tam bonis quam malis voluptas inest? 1 nec minus turpes dedecus suum quam honestos egregia delectant. ideoque praeceperunt veteres optimam sequi vitam, non iucundissimam, ut rectae ac bonae voluntatis non dux, sed comes sit voluptas. natura enim duce utendum est. hanc ratio observat, hanc consulit. Idem est 2 ergo beate vivere et secundum naturam. hoc quid sit, iam aperiam: si corporis dotes et apta naturae conservabimus diligenter et inpavide tamquam in diem data et fugacia, si non subierimus eorum servitutem nec nos aliena possederint, si corpori grata et adventicia eo nobis loco fuerint, quo sunt in castris auxilia et armaturae leves: serviant ista, non imperent, ita demum utilia sunt menti. Incorruptus vir sit externis et insuperabilis 3 miratorque tantum sui, fidens animo atque in utrumque paratus artifex vitae. fiducia eius non sine scientia sit, scientia non sine constantia: maneant illi semel placita

nec ulla in decretis eius litura sit. intellegitur, etiamsi non adiecero, compositum ordinatumque fore talem virum et in iis quae aget, cum comitate magnificum. Erit vera ratio sensibus insita et capiens inde principia: nec enim habet aliud, unde conetur aut unde ad verum inpetum capiat: in se revertatur. nam mundus quoque cuncta complectens rectorque universi deus in exteriora quidem tendit, sed tamen in totum undique in se redit: idem nostra mens faciat: cum secuta sensus suos per illos se ad externa porrexerit, et illorum et sui potens sit. Hoc modo una efficietur vis ac potestas concors sibi et ratio illa certa nascetur non dissidens nec haesitans in opinionibus comprehensionibusque nec in persuasionem, quae cum se disposuit et partibus suis consensit et, ut ita dicam, concinuit, summum bonum tetigit. nihil enim pravi, nihil lubrici superest, nihil in quo arietet aut labet. omnia faciet ex imperio suo nihilque inopinatum accidet, sed quicquid agetur, in bonum exhibit facile et parate et sine tergiversatione agentis. nam pigritia et haesitatio pugnam et inconstantiam ostendit. Quare audaciter licet profitearis summum bonum esse animi concordiam. virtutes enim ibi esse debent, ubi consensus atque unitas erit: dissident vitia.

1 IX. „Sed tu quoque, inquit, virtutem non ob aliud colis, quam quia aliquam ex illa speras voluptatem.“ Primum non, si voluptatem praestatura virtus est, ideo propter hanc petitur. non enim hanc praestat, sed et hanc, nec huic laborat, sed labor eius, quamvis 2 aliud petat, hoc quoque adsequetur. Sicut in arvo, quod segeti proscissum est, aliqui flores internascuntur, non tamen huic herbulae, quamvis delectet oculos, tantum operis insumptum est. aliud fuit serenti propositum, hoc supervenit: sic et voluptas non est merces nec causa virtutis, sed accessio, nec quia delectat, placet, sed si placet, 3 et delectat. Summum bonum in ipso iudicio est et habitu optimae mentis, quae cum suum inplevit et finibus se suis cinxit, consummatum est summum bonum nec quicquam amplius desiderat. nihil enim extra totum est, non magis



quam ultra finem. Itaque erras, cum interrogas, quid sit <sup>4</sup> illud, propter quod virtutem petam: quaeris enim aliquid supra summum. interrogas, quid petam ex virtute? ipsam. nihil enim habet melius, ipsa pretium sui. An hoc parum magnum est, cum tibi dicam: summum bonum est infragilis animi rigor et providentia et subtilitas et sanitas et libertas et concordia et decor? aliquid etiamnunc exigis maius, ad quod ista referantur? Quid mihi voluptatem nominas? hominis bonum quaero, non ventris, qui pecudibus ac beluis laxior est.

X. „Dissimulas, inquit, quid a me dicatur. ego enim <sup>1</sup> nego quemquam posse iucunde vivere, nisi simul et honeste vivit. quod non potest mutis contingere animalibus nec bonum suum cibo metientibus. clare, inquit, ac palam testor hanc vitam, quam ego iucundam voco, non sine adiecta virtute contingere.“ Atqui quis ignorat plenissimos esse voluptatibus vestris stultissimos quosque? <sup>2</sup> et nequitiam abundare iucundis animumque ipsum [non tantum] genera voluptatis prava *sibi* multa suggerere? in primis insolentiam et nimiam aestimationem sui tumoremque elatum super ceteros et amorem rerum suarum caecum et improvidum, delicias fluentis et ex minimis ac puerilibus causis exsultationem, iam dicacitatem ac superbiam contumeliis gaudentem, desidiam dissolutionemque segnis animi indormientis sibi: haec omnia virtus <sup>3</sup> discutit et aurem pervellit et voluptates aestimat, antequam admittat, nec [qua] si probavit, magni pendit, utique enim admittit, nec usu earum, sed temperantia laeta est. temperantia autem cum voluptates minuat, summi boni iniuria est. Tu voluptatem complecteris, ego conpescio. tu voluptate frueris, ego utor. tu illam summum bonum putas, ego nec bonum. tu omnia voluptatis causa facis, ego nihil.

XI. Cum dico me nihil voluptatis causa facere, de illo <sup>1</sup> loquor sapiente, cui soli concedis voluptatem. non voco autem sapientem, supra quem quicquam est, nedum voluptas: atqui ab hac occupatus quomodo resistet labori et periculo, egestati et tot humanam vitam circumstrepent-

tibus minis? quomodo conspectum mortis, quomodo doloris feret? quomodo mundi fragores et tantum acerrimorum hostium *a tam* molli adversario victus? quicquid voluptas suaserit faciet. age, non vides quam multa suasura 2 sit? „Nihil, inquit, poterit turpiter suadere, quia adiuncta virtuti est.“ Non vides iterum, quale sit summum bonum, cui custode opus est, ut bonum sit? virtus autem quomodo voluptatem reget, quam sequitur, cum sequi parentis sit, regere imperantis? a tergo ponis quod imperat? egregium autem habet virtus apud vos officium vo- 3 luptates praegustare. Sed videbimus, an apud quos tam contumeliose tractata virtus est, adhuc virtus sit, quae habere nomen suum non potest, si loco cessit: interim, de quo agitur, multos ostendam voluptatibus obsessos, in quos fortuna omnia munera sua effudit, quos fatearis 4 necesse est malos: adspice Nomentanum et Apicium, terrarum ac maris, ut isti vocant, bona conquirentis et super mensam recognoscentis omnium gentium animalia. vide hos eosdem e successuro \* exspectantis popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes. mollibus lenibusque fomentis totum lacessitur eorum corpus et ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse, in quo luxuriae parentatur: hoc esse in voluptatibus dices. nec tamen illis bene erit, quia non bono gaudent.

i XII. „Male, inquit, illis erit, quia multa interveniunt, quae perturbent animum, et opiniones inter se contrariae mentem inquietabunt.“ quod ita esse concedo. sed nihilominus illi ipsi stulti et inaequales et sub ictu poenitentiae positi magnas percipient voluptates, ut fatendum sit tam longe tum illos ab omni molestia abesse quam a bona mente, et quod plerisque contingit, hilarem insaniam insanire ac per risum furere. At contra sapientium remissae voluptates et modestae ac paene languidae sunt compressaeque et vix notabiles, ut quae neque accersitae veniant nec, quamvis per se accesserint, in honore sint neque ullo gaudio percipientium exceptae. miscent enim illas et interponunt vitae ut ludum iocumque inter seria.

Desinant ergo inconvenientia iungere et virtuti voluptatem 3  
 implicare, per quod vitium pessimis quibusque adulantur.  
 Ille effusus in voluptates, ructabundus semper atque ebrius,  
 quia scit se cum voluptate vivere, credit et cum virtute.  
 audit enim voluptatem separari a virtute non posse. deinde  
 vitiis suis sapientiam inscribit et abscondenda profitetur.  
 Itaque non ab Epicuro impulsus luxuriatur, sed vitiis de- 4  
 diti luxuriam suam in philosophiae sinu abscondunt et eo  
 concurrunt, ubi audiant laudari voluptatem. nec aestimant,  
 voluptas illa Epicuri, ita enim mehercules sentio, quam  
 sobria ac sicca sit, sed ad nomen ipsum advolant quae-  
 rentes libidinibus suis patrociniū aliquod ac velamentum.  
 Itaque quod unum habebant in malis bonum perdunt, pec- 5  
 candi verecundiam. laudant enim ea, quibus erubescer-  
 e et vitio gloriantur. ideoque ne resurgere quidem adu-  
 lescentiae licet, cum honestus turpi desidiaē titulus acces-  
 sit: hoc est cur ista voluptatis laudatio perniciosa sit, quia  
 honesta praecepta intra latent, quod corrumpit, adparet.

XIII. In ea quidem ipsa sententia sum, invitis hoc no- 1  
 stris popularibus dicam, sancta Epicurum et recta prae-  
 cipere et, si propius accesseris, tristia: voluptas enim illa  
 ad parvum et exile revocatur et quam nos virtuti legem  
 dicimus, eam ille dicit voluptati: iubet illam parere na-  
 turae. parum est autem luxuriae quod naturae satis est.  
 Quid ergo est? [ille] quisquis desidiosum otium et gulae 2  
 ac libidinis vices felicitatem vocat, bonum malae rei quae-  
 rit auctorem et, dum illo venit blando nomine inducitur,  
 sequitur voluptatem non quam audit, sed quam adtulit,  
 et vitia sua cum coepit putare similia praeceptis, indulget  
 illis non timide nec obscure. luxuriatur, et iam *nude*, aperto  
 capite. Itaque non dicam, quod plerique nostrorum, se-  
 ctam Epicuri flagitiorum magistrā esse, sed illud dico:  
 male audit, infamis est, et inmerito. „Hoc scire qui potes 3  
 nisi interius admissus?“ Frons eius ipsa dat locum fabu-  
 lae et ad malam spem inritat. hoc tale est, quale vir for-  
 tis stolam indutus. constanti tibi pudicitia *virilitas* salva  
 est, nulli corpus tuum turpi patientiae vacat, sed in manu  
 tympanum est: titulus itaque honestus eligatur et inscri-

ptio ipsa excitans animum, quae statim [*paratos ostendat*  
 4 *ad abicienda cum quibus*] venerunt vitia. Quisquis ad vir-  
 tutem accessit, dedit generosae indolis specimen. qui  
 voluptatem sequitur, videtur enervis, fractus, degenerans  
 [vir], perventurus in turpia, nisi aliquis distinxerit illi vo-  
 luptates, ut sciat, quae ex eis intra naturale desiderium  
 desistant, quae praecepta ferantur infinitaeque sint et, quo  
 5 magis implentur, eo magis inexplebiles. Agedum, virtus  
 antecedit: tutum erit omne vestigium. Et voluptas nocet  
 nimia: in virtute non est verendum, ne quid nimium sit,  
 quia in ipsa est modus. non est bonum, quod magnitudine  
 laborat sua. Rationabilem porro sortitis naturam quae  
 melius res quam ratio proponitur? et [si placet ista iun-  
 ctura,] si hoc placet ad beatam vitam ire comitatu, virtus  
 antecedit, comitetur voluptas et circa corpus ut umbra  
 versetur: virtutem quidem, excelsissimam omnium, vo-  
 luptati tradere ancillam nihil magnum animo capientis est.

1 XIV. Prima virtus *sit*, haec ferat signa: habebimus ni-  
 hilominus voluptatem, sed domini eius et temperatores  
 erimus. aliquid nos exorabit, nihil coget. at ei, qui voluptati  
 tradidere principia, utroque caruere: virtutem enim amit-  
 tunt. ceterum non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas ha-  
 bet, cuius aut inopia torquentur aut copia strangulantur,  
 miseri, si deseruntur ab illa, miseriore, si obruuntur, sic-  
 ut deprenti mari Syrtico modo in sicco relinquuntur,  
 2 modo torrente unda fluctuantur. Evenit autem hoc nimia  
 intemperantia et amore caecae rei. nam mala pro bonis  
 petenti periculosum est adsequi. Ut feras cum labore pe-  
 riculoque venamur et captarum quoque illarum sollicita  
 possessio est, saepe enim laniant dominos: ita habentes  
 magnas voluptates in magnum malum evasere captaeque  
 cepere. quae quo plures maioresque sunt, eo ille minor  
 ac plurium servus est, quem felicem vulgus adpellat.  
 3 Permanere libet in hac etiam nunc huius rei imagine. quem-

*laqueo captare feras*

magno aestimat et

*latos canibus circumdare saltus,*

ut illarum vestigia premat, potiora deserit multisque officiis renuntiat: ita qui sectatur voluptatem, omnia postponit et primam libertatem negligit ac pro ventre dependit, nec voluptates sibi emit, sed se voluptatibus vendit.

XV. „Quid tamen, inquit, prohibet in unum virtutem 1 voluptatemque confundi et effici summum bonum, ut idem et honestum et iucundum sit?“ Quia pars honesti non potest esse nisi honestum, nec summum bonum habebit sinceritatem suam, si aliquid in se viderit dissimile meliori. Ne gaudium quidem quod ex virtute oritur, quamvis bonum sit, absoluti tamen boni pars est, non magis quam laetitia et tranquillitas, quamvis ex pulcherrimis causis nascantur. sunt enim ista bona, sed consequentia summum bonum, non consummantia. Qui vero virtutis volu- 3 ptatisque societatem facit et ne ex aequo quidem, fragilitate alterius boni quicquid in altero vigoris est hebetat libertatemque illam, ita demum, si nihil se pretiosius novit, invictam, sub iugum mittit. nam, quae maxima servitus est, incipit illi opus esse fortuna. sequitur vita anxia, suspiciosa, trepida, casum pavens: temporum suspensa momenta sunt: Non das virtuti fundamentum grave, in- 4 mobile, sed iubes illam in loco volubili stare. quid autem tam volubile est, quam fortuitorum expectatio et corporis rerumque corpus adficientium varietas? Quomodo hic potest deo parere et quicquid evenit, bono animo excipere nec de fato queri casuum suorum benignus interpret, si ad voluptatum dolorumque punctiunculas concutitur? sed ne patriae quidem bonus tutor aut vindex est nec amicorum propugnator, si ad voluptates vergit. Illo 5 ergo summum bonum adscendat, unde nulla vi detrahitur, quo neque dolori neque spei nec timori sit aditus nec ulli rei, quae deterius summi boni ius faciat. ascendere autem illo sola virtus potest. illius gradu clivus iste frangendus est. illa fortiter stabit et quicquid evenerit, feret non patiens tantum, sed etiam volens, omnemque temporum difficultatem sciet legem esse naturae, et, ut bonus miles feret volnera, enumerabit cicatrices et transverberatus telis moriens amabit eum, pro quo cadet, imperato-

rem, habebit illud in animo vetus praeceptum: deum  
 6 sequere. Quisquis autem queritur et plorat et gemit,  
 imperata facere vi cogitur et invitus rapitur ad iussa nihilo-  
 minus. quae autem dementia est potius trahi quam sequi?  
 tam mehercules quam stultitia et ignoratio condicionis est  
 suae dolere, quod est aliquid aut incidit durius, aequae [ac]  
 mirari aut indigne ferre ea, quae tam bonis accidunt quam  
 malis, morbos dico, funera, debilitates et cetera ex trans-  
 7 verso in vitam humanam incurrentia. Quicquid ex universi  
 constitutione patiendum est, magno *suscipiatur* animo. ad  
 hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia nec per-  
 turbari iis, quae vitare non est nostrae potestatis. In re-  
 gno nati sumus. deo parere libertas est.

1 XVI. Ergo in virtute posita est vera felici-  
 tas: quid haec [virtus] tibi suadebit? ne quid aut bonum  
 aut malum existimes, quod nec virtute nec malitia con-  
 tinget. deinde, ut sis immobilis et contra malum ex bono,  
 2 ut qua fas est, deum effingas. Quid tibi pro hac expedi-  
 tione promittit? ingentia et aequa divinis: nihil cogēris,  
 nullo indigebis, liber eris, tutus, indemnis. nihil frustra  
 temptabis, nihil prohibeberis, omnia tibi ex sententia ce-  
 dent. nihil adversum accidet, nihil contra opinionem ac  
 3 voluntatem. Quid ergo? virtus ad beate vivendum suffi-  
 cit. perfecta illa et divina quidni sufficiat, immo super-  
 fluat? quid enim deesse potest extra desiderium omnium  
 posito? quid extrinsecus opus est ei, qui omnia sua in  
 se collegit? Sed ei, qui ad virtutem tendit, etiamsi mul-  
 tum processit, opus est aliqua fortunae indulgentia adhuc  
 inter humana luctanti, dum nodum illum exsolvit et omne  
 vinculum mortale. quid ergo interest? quod alii adligati  
 sunt, alii adstricti, alii dstricti quoque: hic, qui ad su-  
 periora progressus est et se altius extulit, laxam catenam  
 trahit nondum liber, iam tamen pro libero.

1 XVII. Si quis itaque ex istis, qui philosophiam con-  
 latrant, quod solent, dixerit: „quare ergo tu fortius  
 loqueris quam vivis? quare et superiori verba sub-  
 mittis et pecuniam necessarium tibi instrumentum existi-  
 mas et damno moveris et lacrimas audita coniugis aut  
 amici morte demittis et respicis famam et malignis sermo-

nibus tangeris? quare cultius rus tibi est quam naturalis 2  
 usus desiderat? cur non ad praescriptum tuum coenas?  
 cur tibi nitidior supellex est? cur apud te vinum aetate  
 tua vetustius bibitur? cur arvum disponitur? cur arbores  
 nihil praeter umbram daturae conservantur? quare uxor  
 tua locupletis domus censum auribus gerit? quare pae-  
 dagogium pretiosa veste subcingitur? quare ars est apud  
 te ministrare nec temere et ut libet collocatur argentum,  
 sed perite servitur et est aliquis scindendi obsonii magi-  
 ster? adice, si vis, cur trans mare possides? cur plura  
 quam nosti? turpiter aut tam negligens es, ut non nove-  
 ris pauculos servos, aut tam luxuriosus, ut plures habeas  
 quam quorum notitiae memoria sufficiat.“ Adiuvo post 3  
 modo, convicia et plura mihi quam putas obiciam, nunc  
 hoc respondeo tibi: non sum sapiens et, ut malivolentiam  
 tuam pascam, nec ero. exige itaque a me, ut non  
 optimis par sim, sed ut malis melior: hoc mihi satis est,  
 cotidie aliquid ex vitiis meis demere et errores meos  
 obiurgare. Non perveni ad sanitatem, ne perveniam qui 4  
 dem. delenimenta magis quam remedia podagrae meae  
 conpono, contentus, si rarius accedit et si minus vermi-  
 natur: vestris quidem pedibus comparatus debilis cursor  
 sum. Haec non pro me loquor, ego enim in alto vitiorum  
 omnium sum, sed pro illo, cui aliquid acti est.

XVIII. „Aliter, inquit, loqueris, aliter vivis.“ Hoc, 1  
 malignissima capita et optimo cuique inimicissima, Pla-  
 toni obiectum est, obiectum Epicuro, obiectum Zenoni.  
 omnes enim isti dicebant non quemadmodum ipsi viverent,  
 sed quemadmodum esset ipsis vivendum. De virtute, non  
 de me loquor, et cum vitiis convicium facio, in primis  
 meis facio: cum potuero, vivam quomodo oportet. Nec 2  
 malignitas me ista multo veneno tincta deterrebit ab op-  
 timis. ne virus quidem istud, quo alios spargitis, quo vos  
 necatis, me inpediet, quo minus perseverem laudare vi-  
 tam, non quam ago, sed quam agendam scio, quo minus  
 virtutem et ex intervallo ingenti reptabundus sequar. Ex 3  
 spectabo scilicet, ut quicquam malivolentiae inviolatum  
 sit, cui sacer nec Rutilius fuit nec Cato? Curet aliquis, an

istis nimis dives videatur, quibus Demetrius Cynicus parum pauper est? virum acerrimum et contra omnia naturae desideria pugnantiem, hoc pauperiorem quam ceteros Cynicos, quod, cum sibi interdixerit habere, interdixit et poscere, negant satis egere. vides enim? non virtutis scientiam, sed egestatis professus est.

- 1 XIX. Diodorum, Epicureum philosophum, qui intra paucos dies finem vitae suae manu sua inposuit, negant ex decreto Epicuri fecisse, quod sibi gulam praesequit. alii dementia videri volunt factum hoc eius, alii temeritatem: ille interim beatus ac plenus bona conscientia reddidit sibi testimonium vita excedens laudavitque aetatis in portu et ad ancoram actae quietem et dixit, quod vos inviti audistis, quasi vobis quoque faciendum sit:

*Vixi et quem dederat cursum fortuna peregi.*

- 2 De alterius vita, de alterius morte disputatis et ad nomen magnorum ob aliquam eximiam laudem virorum, sicut ad occursum ignotorum hominum minuti canes, latratis. expedit enim vobis neminem videri bonum, quasi aliena virtus exprobratio delictorum omnium sit. Invidi splendida cum sordibus vestris confertis nec intellegitis, quanto id vestro detrimento audeatis. nam si illi, qui virtutem sequuntur, avari, libidinosi, ambitiosique sunt, quid vos
- 3 estis, quibus ipsum nomen virtutis odio est? Negatis quemquam praestare, quae eloquitur, nec ad exemplar orationis suae vivere: quid mirum, cum loquantur fortia, ingentia, omnis humanas tempestates evadentia? cum refigere se crucibus conentur, in quas unusquisque vestrum clavos suos ipse adicit. ad supplicium tamen acti stipitibus singulis pendent: hi, qui in se ipsi animum advertunt, quot cupiditalibus tot crucibus distrahuntur, aut maledici in alienam contumeliam venusti sunt. crederem illis hoc vacare, nisi quidam ex patibulo suos spectatores conspuerent.
- 1 XX. „Non praestant philosophi quae loquuntur.“ Multum tamen praestant quod loquuntur, quod honesta mente concipiunt: *utinam* quidem [si] et paria dictis agerent! quid esset illis beatius? interim non est quod con-



temnas bona verba et bonis cogitationibus plena praecordia. studiorum salutarium etiam citra effectum laudanda tractatio est. Quid mirum, si non escendunt in altum 2 ardua adgressi? sed si vir es, suspice, etiamsi decidunt, magna conantis. Generosa res est respicientem non ad suas, sed ad naturae suae vires conari alta, temptare et mente maiora concipere, quam quae etiam ingenti animo adornatis effici possunt. Qui sibi hoc proposuit: „ego 3 mortem eodem voltu, cum *quo* audiam, videbo. ego laboribus, quancumque illi erunt, parebo animo fulciens corpus. ego divitias et praesentes et absentes aequae contemnam, nec si alicubi iacebunt, tristior, nec si circa me fulgebunt, animosior. ego fortunam nec venientem sentiam nec recedentem. ego terras omnes tamquam meas videbo, meas tamquam omnium. ego sic vivam quasi sciam aliis me natum et naturae rerum hoc nomine gratias agam: quo enim melius genere negotium meum agere potuit? unum me donavit omnibus, uni mihi omnis. quicquid habebō, nec sordide custodiam nec prodige 4 spargam. nihil magis possidere me credam quam bene donata. non numero nec pondere beneficia nec ulla nisi accipientis aestimatione perpendam. numquam id mihi multum erit, quod dignus accipiet. nihil opinionis causa, omnia conscientiae faciam. populo spectante fieri credam quicquid me conscio faciam. edendi mihi erit bibendi 5 que finis desideria naturae restinguere, non implere alvum et exinanire. ero amicis iucundus, inimicis mitis et facilis. exorabor antequam roger, honestis precibus occurram. patriam meam esse mundum sciam et praesides deos. hos supra me circaque me stare factorum dictorumque censores. quandoque aut natura spiritum repetet aut ratio dimittet, testatus exhibo bonam me conscientiam amasse, bona studia, nullius per me libertatem deminutam, minime meam.“ qui haec facere proponet, volet, temptabit, ad deos iter faciet: nae ille, etiamsi non tenuerit,

*magnis tamen excidit ausis.*

Vos quidem, quod virtutem eultoremque eius odistis, 6

nihil novi facitis. nam et solem lumina aegra formidant et aversantur diem splendidum nocturna animalia, quae ad primum eius ortum stupent et latibula sua passim petunt, abduntur in aliquas rimas timida lucis. gemite et infelicem linguam bonorum exercete convicio, hiscite, conmordete: citius multo frangetis dentes quam inprimetis.

- 1 XXI. „Quare ille philosophiae studiosus est et tamen dives vitam agit? quare opes contemnendas dicit et habet? vitam contemnendam putat et tamen vivit? valitudinem contemnendam et tamen illam diligentissime tuetur atque optimam mavult? et exilium vanum nomen putat et ait: quid enim est mali mutare regiones? et tamen, si licet, senescit in patria? et inter longius tempus et brevius nihil interesse iudicat, tamen, si nihil prohibet, extendit aetatem et in multa  
2 senectute placidus viret?“ Ait ista debere contemni, non, ne habeat, sed ne sollicitus habeat. non abigit illa a se, sed abeuntia securus prosequitur. Divitias quidem ubi tutius fortuna deponet quam ibi, unde sine querela reddentis receptura est? M. Cato cum laudaret Curium et Coruncanium et illud seculum, in quo censorium crimen erat paucae argenti lamellae, possidebat ipse quadragies sestertium, minus sine dubio quam Crassus, plus quam Censorius Cato. maiore spatio, si comparentur, proavum vicerat, quam a Crasso vinceretur, et, si maiores illi ob-  
4 venissent opes, non sprevisset. nec enim se sapiens indignum ullis muneribus fortuitis putat. non amat divitias, sed mavult. non in animum illas, sed in domum recipit. nec respuit possessas, sed continet et maiorem virtuti suae materiam subministrari vult.
- 1 XXII. Quid autem dubii est, quin haec maior materia sapienti viro sit animum explicandi suum in divitiis quam in paupertate, cum in hac unum genus virtutis sit non inclinari nec deprimi, in divitiis et temperantia et liberalitas et diligentia et dispositio et magnificentia campum  
2 habeat patentem. Non contemnet se sapiens, etiamsi fuerit minimae staturae, esse tamen se procerum volet.

et exilis corpore [ac amisso oculo] valebit, malet tamen sibi esse corporis robur, et hoc ita, ut sciat esse aliud in se valentius. malam valitudinem tolerabit, bonam optabit. quaedam enim, etiamsi in summam rei parva sunt, <sup>3</sup> [ait,] et subduci sine ruina principalis boni possunt, adiciunt tamen aliquid ad perpetuam laetitiam et ex virtute nascentem: sic illum adficiunt divitiae et exhilarant, ut navigantem secundus et ferens ventus, ut dies bonus et in bruma ac frigore apricus locus. Quis porro sapientum, <sup>4</sup> nostrorum dico, quibus unum est bonum virtus, negat etiam haec, quae indifferentia vocamus, habere in se aliquid prelii et alia aliis esse potiora? quibusdam ex iis tribuitur aliquid honoris, quibusdam multum. Ne erres itaque, inter potiora divitiae sunt. „Quid ergo, inquis, <sup>5</sup> me derides, cum eundem apud te locum habeant, quem apud me?“ Vis scire, quam non habeant eundem locum? mihi divitiae si effluerint, nihil auferent nisi semetipsas: tu stupebis et videberis tibi sine te relictus, si illae a te recesserint. apud me divitiae aliquem locum habent, apud te summum ac postremum. divitiae meae sunt, tu divitiarum es.

XXIII. Desine ergo philosophis pecunia interdicere: nemo sapientiam paupertate damnavit. Habebit philosophus amplas opes, sed nulli detractas nec alieno sanguine cruentas, sine cuiusquam iniuria partas, sine sordidis quaestibus, quarum tam honestus sit exitus quam introitus, quibus nemo ingemiscat nisi malignus. in quantum vis exaggera illas: honestae sunt, in quibus cum multa sint, quae sua quisque dici velit, nihil est, quod quisquam suum possit dicere. Ille vero fortunae benignitatem <sup>2</sup> a se non submovebit et patrimonio per honesta quaesito nec gloriabitur nec erubescet. habebit tamen etiam quo glorietur, si aperta domo et admissa in res suas civitate poterit dicere: „quod quisque agnoverit, tollat.“ O magnum virum, optime divitem, si post hanc vocem tantumdem habuerit! ita dico, si tuto et securus scrutationem populo praeberit, si nihil quisquam apud illum invenerit, quo manus iniciat, audacter et propalam erit dives.

3 Sapiens nullum denarium intra limen suum admittet male intrantem. idem magnas opes, munus fortunae fructumque virtutis, non repudiabit nec excludet. Quid enim est quare illis bono loco invideat? veniant, hospitentur. nec iactabit illas nec abscondet: alterum infruniti animi est, alterum timidi et pusilli velut magnum bonum intra sinum  
4 continentis. nec, ut dixi. eiciet illas e domo. quid enim dicet? utrumne „inutiles estis“ an „ego uti divitiis nescio?“ Quemadmodum etiam pedibus suis poterit iter conficere, escendere tamen vehiculum malet: sic pauper, si potuerit esse dives, volet, et habebit itaque opes, sed tamquam leves et avolaturas. nec ulli alii nec sibi graves esse patietur. Quid? donabit? [*credo,*] erexistis aures.  
5 quid expeditis sinum? donabit aut bonis aut eis, quos facere poterit bonos. donabit cum summo consilio dignissimos eligens, ut qui meminerit tam expensorum quam acceptorum rationem esse reddendam. donabit ex recta et probabili causa. nam inter turpes iacturas malum munus est: habebit sinum facilem, non perforatum, ex quo multa exeant et nihil excidat.

1 XXIV. Errat, si quis existimat facilem rem esse donare: plurimum ista res habet difficultatis, si modo consilio tribuitur, non casu et inpetu spargitur. Hunc promereor, illi reddo. huic succurro, huius misereor. illum instruo dignum quem non deducat paupertas nec occupatum teneat. quibusdam non dabo, quamvis desit, quia, etiamsi dedero, erit defuturum. quibusdam offeram, quibusdam etiam inculcabo. non possum in hac re esse negligens. numquam magis nomina facio, quam  
2 cum dono. „Quid? tu, inquis, recepturus donas?“ immo non perditurus: eo loco sit donatio, unde repeti non debeat, reddi possit. beneficium conlocetur, quemadmodum thesaurus alte obrutus, quem non eruas, nisi fuerit  
3 necesse. Quid? domus ipsa divitis viri quantam habet benefaciendi materiam? Quis enim liberalitatem tantum ad togatos vocat? hominibus prodesse natura *me* iubet, et servi liberine sint hi, ingenui an libertini, iustae libertatis an inter amicos datae, quid refert? ubicumque homo est,

ibi beneficii locus est. Potest itaque pecuniam etiam intra limen suum diffundere et liberalitatem exercere, quae non quia liberis debetur, sed quia a libero animo proficiscitur, ita nominata est. Haec apud sapientem nec umquam in turpes indignosque inpingitur nec umquam ita defatigata errat, ut non, quotiens dignum invenerit, quasi ex pleno fluat. Non est ergo, quod perperam exaudiatis, quae honeste, fortiter, animose a studiosis sapientiae dicuntur. et hoc primum attendite: aliud est studiosus sapientiae, aliud iam adeptus sapientiam. Ille tibi dicet: „optime loquor, sed adhuc inter mala volutor plurima. non est, quod me ad formulam meam exigas. cum maxime facio me et formo et ad exemplar ingens adtollo. si processero quantum [cumque] proposui, exige ut dictis facta respondeant.“ Adsecutus vero humani boni summa aliter tecum aget et dicet: „Primum non est, quod tibi permittas de melioribus ferre sententiam: mihi iam, quod argumentum est recti, contingit malis displicere. sed, ut tibi rationem reddam, qua nulli mortalium invideo, audi quid promittam et quanti quaeque aestimem: divitias nego bonum esse. nam si essent, bonos facerent. nunc quoniam, quod apud malos deprehenditur, dici bonum non potest, hoc illis nomen nego. ceterum et habendas esse et utiles et magna commoda vitae adferentis fateor.

XXV. Quid ergo est? quare illas non in bonis numerem et quid praestem in illis aliud quam vos, quoniam inter utrosque convenit habendas, audite. Pone in opulentissima me domo, pone [ubi] aurum argentumque in promiscuo usu sit: non suspiciam me ob ista, quae etiam si apud me, extra me tamen sunt. In sublicium pontem me transfer et inter egentes abige: non ideo tamen me despiciam, quod in illorum numero consedero, qui manum ad stipem porrigunt. quid enim ad rem, an frustum panis desit, cui non deest mori posse? Quid ergo est? domum illam splendidam malo quam pontem. Pone in stramentis splendentibus et delicato apparatu: nihilo me feliciorem credam, quod mihi molle erit amiculum, quod purpura convivis meis substernetur. Mutas magn[ificent]-

am meam: nihilo miserius ero, si lassa cervix mea in manipulo foeni adquiescet, si super Circense tomentum per sarturas veteris lintei effluens incubabo. Quid ergo est? malo, quid mihi animi sit, ostendere praetextatus et  
 3 gausapatus quam nudis scapulis aut *semitectis*. Omnes mihi ex voto dies cedant. novae gratulationes prioribus subtexantur: non ob hoc mihi placebo. Muta in contrarium hanc indulgentiam temporis, hinc illinc percutiatur animus damno, luctu, incursionibus variis, nulla hora sine aliqua querela sit: non ideo me dicam inter miserrima miserum, non ideo aliquem exsecrabor diem. provisum est enim a me, ne quis mihi ater dies esset. Quid ergo est? malo gaudia temperare, quam dolores conpescere.  
 4 Hoc tibi ille Socrates dicit: fac me victorem universarum gentium. delicatus ille Liberi currus triumphantem usque ad Thebas a solis ortu vehat. iura reges penatium petant: me hominem esse maxime cogitabo, cum deus undique consalutabor. Huic tam sublimi fastigio coniunge protinus praecipitem mutationem. in alienum inponar fericulum exornaturus victoris superbi ac feri pompan: non humilior sub alieno curru agar quam in meo steteram. Quid ergo est? vincere tamen quam capi  
 5 malo. Totum fortunae regnum despiciam, sed ex illo, si dabitur electio, meliora sumam. Quicquid ad me venerit, bonum fiet, sed malo faciliora ac iucundiora veniant et minus vexatura tractantem. non est enim, quod existimes ullam esse sine labore virtutem, sed quaedam vir-  
 6 tutes stimulis, quaedam frenis egent. Quemadmodum corpus in proclivi retineri debet, adversus ardua inpelli, ita quaedam virtutes in proclivi sunt, quaedam clivum subeunt. an dubium sit, quin escendat, nitatur, obluetur patientia, fortitudo, perseverantia et quaecumque alia  
 7 duris opposita virtus est et fortunam subigit? Quid ergo? non aequè manifestum est per devexum ire liberalitatem, temperantiam, mansuetudinem? In his continemus animum, ne prolabatur, in illis exhortamur incitamusque: acerrimas ergo paupertati adhibebimus, illas quae pugnare sciunt, fortiores. divitiis illas diligentiores, quae

suspensum gradum ponunt et pondus suum sustinent. Cum hoc ita divisum sit, malo has in usu mihi esse, quae 8  
 exercendae tranquillius sunt, quam eas, quarum experimen-  
 tum sanguis et sudor est. Ergo non ego aliter, inquit  
 sapiens, vivo quam loquor, sed vos aliter auditis. sonus  
 tantummodo verborum ad aures vestras pervenit: quid  
 significet non quaeritis.“ 1

XXVI. „„Quid ergo inter me stultum et te sapientem  
 interest, si uterque habere volumus?““ „Plurimum. di-  
 vitiae enim apud sapientem virum in servitute sunt, apud  
 stultum in imperio. sapiens divitiis nihil permittit, vobis  
 divitiae omnia. vos, tamquam aliquis vobis aeternam pos-  
 sessionem earum promiserit, adsuescitis illis et cohaeretis,  
 sapiens tunc maxime paupertatem meditatur, cum in  
 mediis divitiis constitit. Numquam imperator ita paci cre- 2  
 dit, ut non se praeparet bello, quod etiamsi non geritur,  
 indictum est: vos domus formosa, tamquam nec ardere  
 nec ruere possit, insolentes, vos opes, tamquam pericu-  
 lum omne transcenderint maioresque sint vobis quam  
 quibus consumendis satis virium habeat fortuna, obstu-  
 pefaciunt. otiosi divitiis luditis nec providetis illarum pe- 3  
 riculum, sicut barbari plerumque, inclusi et ignari machi-  
 narum, segnes laborem obsidentium spectant nec quo illa  
 pertineant, quae ex longinquo struuntur, intellegunt: idem  
 vobis evenit. marceatis in vestris rebus nec cogitatis, quot  
 casus undique imineant iam iamque pretiosa spolia la-  
 turi. Sapienti quisquis abstulerit divitias, omnia illi sua 4  
 relinquet. vivit enim praesentibus laetus, futuris securus.  
 nihil magis, inquit ille Socrates aut aliquis alius, cui idem  
*ius* adversus humana atque eadem potestas est, persuasi  
 mihi, quam ne ad opiniones vestras actum vitae meae  
 flecterem. solita conferte undique verba: non conviciari  
 vos putabo, sed vagire velut infantes misserrimos.“ Haec 5  
 dicet ille, cui sapientia contigit, quem animus vitiorum  
 immunis increpare alios, non quia odit, sed in remedium  
 iubet. adiciet his illa: „Existimatio me vestra non meo  
 nomine sed vestro movet, quia calamitatis [*est*] odisse, et  
 lacessere virtutem bonae spei eiuratio est. nullam mihi

iniuriam facitis: sed ne dis quidem hi qui aras evertunt. sed malum propositum adparet malumque consilium etiam  
 6 ibi, ubi nocere non potuit. Sic vestras hallucinationes fero quemadmodum Iupiter optimus maximus ineptias poetarum, quorum alius illi alas inposuit, alius cornua, alius adulterum illum induxit et abnoctantem, alius saevum in deos, alius iniquum in homines, alius raptorum ingenuorum corruptorem et cognatorum quidem, alius parcidam et regni alieni paternique expugnatorem. quibus nihil aliud actum est, quam ut pudor hominibus peccandi  
 7 demeretur, si tales deos credidissent. Sed quamquam ista me nihil laedant, vestra vos moneo causa: suspicite virtutem. credite iis, qui illam diu secuti magnum quiddam ipsos et quod in dies maius adpareat, sequi clamant, et ipsam ut deos, et professores eius ut antistites colite. et quotiens mentio sacra [literarum] intervenerit, favete linguis. hoc verbum non, ut plerique existimant, a favore trahitur, sed imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum nulla voce mala obstrepente. quod multo magis necessarium est imperari vobis, ut quotiens aliquid ex illo proferetur oraculo, intenti et compressa voce audiatis.  
 8 Cum sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur, cum aliquis secandi lacertos suos artifex brachia atque humeros suspensa manu cruentat, cum aliquis genibus per viam repens ululat laurumque linteatus senex et medio lucernam die praeferens conclamat iratum aliquem deorum, concurritis et auditis et divinum esse eum, invicem mutuum alentes stuporem, adfirmatis.

- 1 XXVII. Ecce Socrates ex illo carcere, quem intrando purgavit omnique honestiorem curia reddidit, proclamat: „„Quis iste furor? quae ista inimica dis hominibusque natura est infamare virtutes et malignis sermonibus sancta violare? si potestis, bonos laudate: si minus, transite. quod si vobis exercere tetram istam licentiam placet, alter in alterum incursitate. nam cum in coelum insanitis,  
 2 non dico sacrilegium facitis, sed operam perditis. Praebui ego aliquando Aristophani materiam iocorum. tota illa comicorum poetarum manus in me venenatos sales



suos effudit: inlustrata est virtus mea per ea ipsa, per quae petebatur. produci enim illi et temptari expedit, nec ulli magis intellegunt, quanta sit, quam qui vires eius lacessendo senserunt. duritia silicis nullis magis quam ferientibus nota est. Praebeo me non aliter quam rupes <sup>3</sup> aliqua in vadoso mari destituta, quam fluctus non desinunt, undecumque moti sunt, verberare nec ideo aut loco eam movent aut per tot aetates crebro incursu suo consumunt. adsilite, facite inpetum. ferendo vos vincam. in ea, quae firma et inexsuperabilia sunt, quicquid incurrit, malo suo vim suam exercet. Proinde quaerite aliquam mollem cedentemque materiam, in qua tela vestra figantur. Vobis autem vacat aliena scrutari mala et sententias <sup>4</sup> ferre de quoquam? quare hic philosophus laxius habitat, quare hic lautius coenat? papulas observatis alienas, obsiti plurimis ulceribus? Hoc tale est quale si quis pulcherrimorum corporum naevos aut verrucas derideat, quem fera scabies depascitur. Obicite Platoni, quod pe- <sup>5</sup> tierit pecuniam, Aristoteli, quod acceperit, Democrito, quod neglexerit, Epicuro, quod consumpserit. mihi ipsi Alcibiadem et Phaedrum obiectate. O vos [usu] maxime felices, cum primum vobis imitari vitia nostra contigerit! Quin potius mala vestra circumspicitis, quae vos ab omni <sup>6</sup> parte confodiunt, alia grassantia extrinsecus, alia in visceribus ipsis ardentia? Non eo loco res humanae sunt, etiamsi statum vestrum parum nostis, ut vobis tantum otii supersit, ut in probra meliorum agitare linguam vacet?

XXVIII. Hoc vos non intellegitis et alienum fortunae vestrae voltum geritis, sicut plurimi, quibus in circo aut theatro desidentibus iam funesta domus est nec adnuntiatum malum. At ego ex alto prospiciens video, quae tempestates aut imineant vobis paulo tardius rupturae nimbum suum, aut iam vicinae vos ac vestra rupturae propius accesserint. Quid porro? non nunc quoque, etiamsi parum sentitis, turbo quidam animos vestros rotat et involvit, fugientes petentesque eadem et nunc in sublime adlevatos nunc in infima adlisos? \*\*\*\*\*

L. ANNAEI SENECAE  
DIALOGORUM LIBER VIII.

AD SERENUM

DE OTIO.

---

1 I. [28.] \*\*\*\*\* cur nobis magno consensu vitia com-  
mendant? licet nihil aliud, quod sit salutare, temptemus,  
proderit tamen per se ipsum secedere: meliores erimus  
singuli. quid, quod secedere ad optimos viros et aliquod  
exemplum eligere, ad quod vitam dirigamus, licet? quod  
nisi otio non fit. tunc potest obtinere quod semel pla-  
cuit, ubi nemo intervenit, qui iudicium adhuc inbecillum  
populo adiutore detorqueat. tunc potest vita aequali et  
uno tenore procedere, quam propositis diversissimis  
2 scindimus. Nam inter cetera mala illud pessimum est,  
quod vitia ipsa mutamus. sic ne hoc quidem nobis con-  
tingit permanere in malo iam familiari. aliud ex alio pla-  
cet vexatque nos hoc quoque, quod iudicia nostra non  
tantum prava, sed etiam levia sunt. fluctuamus aliudque  
ex alio comprehendimus. petita relinquimus, relicta repe-  
3 timus. Alternae inter cupiditatem nostram et poeniten-  
tiam vices sunt. pendemus enim toti ex alienis iudiciis  
et id optimum nobis videtur, quod petitores laudatores-  
que multos habet, non id quod laudandum petendumque  
est. nec viam bonam ac malam per se aestimamus, sed  
4 turba vestigiorum, in quibus nulla sunt redeuntium. Dices  
mihi: „quid agis Seneca? deseris partes? certe Stoici  
nostri dicunt: usque ad ultimum vitae finem in actu eri-  
mus, non desinemus communi bono operam dare, adiu-  
vare singulos, opem ferre etiam inimicis *senili* manu. nos  
sumus, qui nullis annis vacationem damus et quod ait  
ille vir disertissimus,

*canitiem galea premimus.*

nos sumus, apud quos usque eo nihil ante mortem otio-

sum est, ut, si res patitur, non sit ipsa mors otiosa. Quid nobis Epicuri praecepta in ipsis Zenonis principiis loqueris? quin tu bene gnaviter, si partium piget, transfugis potius quam prodis? “Hoc tibi in praesentia re- spondebo: numquid vis amplius, quam ut me similem ducibus meis praestem? Quid ergo est? non quo miserint me illi, sed quo duxerint, ibo.

II. [29.] Nunc probabo tibi non desciscere me a praeceptis Stoicorum; nam ne ipsi quidem a suis desciverunt, et tamen excusatissimus essem, etiam si non praecepta illorum sequerer, sed exempla. Hoc quod dico in duas dividam partes: primum, ut possit aliquis vel a prima aetate contemplationi veritatis totum se tradere, rationem vivendi quaerere atque exercere secreto. deinde, ut possit hoc aliquis emeritis iam stipendiis, profligatae aetatis iure optimo facere et ad alios actus animos referre virginum Vestalium more, quae annis inter officia divisis discunt facere sacra et cum didicerunt docent.

III. [30.] Hoc Stoicis quoque placere ostendam, non quia mihi legem dixerim nihil contra dictum Zenonis Chrysippive committere, sed quia res ipsa patitur me ire in illorum sententiam, quam si quis semper unius sequitur, non in curia [est,] sed in factiosis. Utinam quidem iam tenerentur omnia et inoperta ac confessa veritas esset nihilque ex decretis mutaremus! nunc veritatem cum eis ipsis qui docent quaerimus. Duae maxime et in hac re dissident sectae, Epicureorum et Stoicorum, sed utraque ad otium diversa via mittit. Epicurus ait: „Non accedet ad rempublicam sapiens, nisi si quid intervenerit.“ Zenon ait: „Accedet ad rempublicam, nisi si quid impedit.“ Alter otium ex proposito petit, alter ex causa. causa autem illa late patet: si respublica corruptior est quam ut adiuvari possit, si occupata est malis, non nitetur sapiens in supervacuum nec se nihil profuturus inpendet, si parum habebit auctoritatis aut virium nec illum erit admissura respublica, si validudo illum inpediet.

4 Quomodo navem quassam non deduceret in mare, quomodo nomen in militiam non daret debilis, sic ad iter, quod inhabile sciet, non accedet. Potest ergo et ille, cui omnia adhuc in integro sunt, antequam ulla experiatur tempestates, in tuto subsistere et protinus commendare se *bonis* artibus et in illis beatum otium exigere, virtutum  
5 cultor, quae exerceri etiam quietissimis possunt. Hoc nempe ab homine exigitur, ut prosit hominibus, si fieri potest, multis, si minus, paucis, si minus, proximis, si minus, sibi. nam cum se utilem ceteris efficit, commune agit negotium. quomodo qui se deteriolem facit, non sibi tantummodo nocet, sed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodesse potuisset, sic quisquis bene de se meretur, hoc ipso aliis prodest, quod illis profuturum parat.

1 IV. [31.] Duas republicas animo complectamur, alteram magnam et vere publicam, qua di atque homines continentur, in qua non ad hunc angulum respicimus aut ad illum, sed terminos civitatis nostrae cum sole metimur: alteram, cui nos adscripsit condicio nascendi. haec aut Atheniensium erit aut Carthaginensium, aut alterius alicuius urbis, quae non ad omnes pertineat homines, sed ad certos. Quidam eodem tempore utrique reipublicae dant operam, maiori minorque, quidam tantum minori, quidam tantum maiori. Huic maiori reipublicae et in otio deservire possumus, immo vero nescio an in otio melius, ut quaeramus, quid sit virtus, una pluresne sint. natura an ars bonos viros faciat. unum sit hoc, quod maria terrasque et mari ac terris inserta complectitur, an multa eiusmodi corpora deus sparserit. continua sit omnis et plena materia, ex qua cuncta gignuntur, an diducta et solidis inane permixtum sit. deus *desidens* opus suum spectet, an tractet. utrumne extrinsecus illi circumfusus sit, an toti inditus. immortalis sit mundus, an inter caduca et ad tempus nata numerandus. Haec qui contemplatur, quid deo praestat? ne tanta eius opera sine teste sint.

1 V. Solemus dicere summum bonum esse secundum

naturam vivere: natura nos ad utrumque genuit, et contemplationi rerum et actioni. [32.] Nunc *primum* probemus, quod prius praediximus. Quid porro? hoc non erit probatum, si se unusquisque consuluerit, quantam cupidinem habeat ignota noscendi, quam ad omnis fabulas excitetur? Navigant quidam et 2 labores peregrinationis longissimae una mercede perpetuantur cognoscendi aliquid abditum remotumque. haec res ad spectacula populos contrahit, haec cogit praeclusa rimari, secretiora exquirere, antiquitates evolvere, mores barbararum audire gentium. Curiosum nobis natura inge- 3 nium dedit et artis sibi ac pulchritudinis suae conscia spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida et non uno genere formosa solitudini ostenderet. Ut scias illam spectari voluisse, non tantum 4 adspici, vide quem nobis locum dederit: in media nos sui parte constituit et circumspectum omnium nobis dedit. nec erexit tantummodo hominem, sed etiam habilem contemplationem factura, ut ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset et voltum suum circumferre cum toto, sublime fecit illi caput et collo flexili inposuit. deinde sena per diem, sena per noctem signa perducens nullam non partem sui explicuit, ut per haec, quae obtulerat, oculis eius cupiditatem faceret etiam ceterorum. Nec 5 enim omnia nec tanta visimus quanta sunt, sed acies nostra aperit sibi investigandi viam et fundamenta vero iacit, ut inquisitio transeat ex apertis in obscura et aliquid ipso mundo inveniat antiquius, unde ista [sidera] exierint. quis fuerit universi status, antequam singula in partes discederent. quae ratio mersa et confusa diduxerit. quis loca rebus adsignaverit. suapte natura gravia descenderint, evolaverint levia, an praeter nisum [pondus] corporum altior aliqua vis legem singulis dixerit. an illud verum sit, quo maxime probatur homines divini esse spiritus, partem ac veluti scintillas quasdam sacrorum in terram resiluisse atque alieno loco haesisse. Cogitatio 6 nostra coeli munimenta perrumpit nec contenta est id,

quod ostenditur, scire: illud, inquit, scrutor, quod *ultra* mundum iacet, utrumne profunda vastitas sit an et hoc ipsum terminis suis cludatur. qualis sit habitus exclusis, informia et confusa sint an in omnem partem tantundem loci obtinentia, an et illa in aliquem cultum descripta sint. huic cohaereant mundo, an longe ab hoc secesserint et in vacuo volutentur. individua sint, per quae struitur omne quod natum futurumque est, an continua eorum materia sit et per totum mutabilis. utrum contraria inter se elementa sint, an non pugnent, sed per diversa conspirent. Ad haec quaerenda natus, aestima, quam non multum acceperit temporis, etiamsi illud totum sibi vindicat, cui licet nihil facilitate eripi, nihil negligentia patiatur excidere, licet horas suas avarissime servet et usque in ultimum aetatis humanae terminum procedat nec quicquam illi ex eo, quod natura constituit, fortuna concutiat: tamen homo ad immortalium cognitionem nimis mortalis est. Ergo secundum naturam vivo, si totum me illi dedi, si illius admirator cultorque sum. natura autem utrumque facere me voluit, et agere et contemplationi vacare. utrumque facio, quoniam ne contemplatio quidem sine actione est.

- 1 VI. „Sed refert, inquis, an ad illam voluptatis causa accesserit nihil aliud ex illa petens quam adsiduam contemplationem sine exitu. est enim dulcis et habet inlecebras suas.“ Adversus hoc tibi respondeo: Aequè refert, quo animo civilem agas vitam, an semper inquietus sis nec unquam sumas ullum tempus, quo ab humanis ad  
2 divina respicias. Quomodo res adpetere sine ullo virtutum amore et sine cultu ingenii ac nudas edere operas minime probabile est, misceri enim ista inter se et conseri debent: sic imperfectum ac languidum bonum est in otium sine actu proiecta virtus, numquam id, quod didi-  
3 cit, ostendens. Quis negat illam debere profectus suos in opere temptare? nec tantum quid faciendum sit, cogitare, sed etiam aliquando manum exercere et ea, quae meditata sunt, ad verum perducere? Quid si per ipsum sapientem non est mora, si non actor deest, sed agenda

desunt: ecquid illi secum esse permittes? Quo animo ad 4  
otium sapiens secedit? ut sciat se tum quoque ea actu-  
rum, per quae posteris prosit. Nos certe sumus qui dici-  
mus et Zenonem et Chrysippum maiora egisse, quam si  
duxissent exercitus, gessissent honores, leges tulissent:  
quas non uni civitati, sed toti humano generi tulerunt.  
quid est ergo, quare tale otium non conveniat bono viro,  
per quod futura secula ordinet nec apud paucos concio-  
netur, sed apud omnes omnium gentium homines, quique  
sunt quique erunt? Ad summam quaero, an ex praece- 5  
ptis suis vixerint Cleanthes et Chrysippus et Zenon. non  
dubie respondebis sic illos vixisse, quemadmodum dixe-  
rant esse vivendum: atqui nemo illorum rempublicam  
administravit. „Non fuit, inquis, illis aut ea fortuna aut  
dignitas ea, quae admitti ad publicarum rerum tractatio-  
nem solet.“ Sed iidem nihilominus non segnem egere  
vitam: invenerunt, quemadmodum plus quies illorum ho-  
minibus prodesset quam aliorum discursus et sudor. ergo  
nihilominus hi multum egisse visi sunt, quamvis nihil  
publice agerent.

VII. Praeterea tria genera sunt vitae, inter quae quod 1  
sit optimum, quaeri solet: unum voluptati vacat, alterum  
contemplationi, tertium actioni. Primum deposita con-  
tentione depositoque odio, quod inplacabile diversa se-  
quentibus indiximus, videamus, an haec omnia ad idem  
sub alio atque alio titulo perveniant. nec ille, qui volu-  
ptatem probat, sine contemplatione est. nec ille, qui  
contemplationi inservit, sine voluptate est. nec ille, cuius  
vita actionibus destinata est, sine contemplatione est.  
„Plurimum, inquis, discriminis est, utrum aliqua res pro- 2  
positum sit, an propositi alterius accessio sit.“ Sane  
grande discrimen, tamen alterum sine altero non est: nec  
ille sine actione contemplatur, nec hic sine contemplatione  
agit, nec ille tertius, de quo male existimare consensimus,  
voluptatem inertem probat, sed eam, quam ratione efficit  
firmam sibi. Ita et haec ipsa voluptaria secta in actu 3  
est. quidni [in actu est]? cum ipse dicat Epicurus ali-  
quando se recessurum a voluptate, dolorem etiam adpe-

titurum, si aut voluptati iminebit poenitentia aut dolor  
 4 minor pro graviore sumetur? Quo pertinet haec dicere?  
 ut adpareat contemplationem placere omnibus. Alii petunt  
 illam: nobis haec statio, non portus est. Adice nunc  
 [huc], quod e lege Chryssippi vivere otioso licet: non  
 dico, ut otium patiat, sed ut eligat.

- 1 VIII. Negant nostri sapientem ad quamlibet rempu-  
 blicam accessurum; quid autem interest, quomodo sapiens  
 ad otium veniat, utrum quia respublica illi deest, an quia  
 ipse reipublicae? si omnibus defutura respublica est  
 (semper autem deerit fastidiose quaerentibus): interrogo,  
 ad quam rempublicam sapiens sit accessurus. ad Athe-  
 niensium, in qua Socrates damnatur, Aristoteles, ne dam-  
 naretur, fugit? in qua opprimit invidia virtutes? negabis  
 2 mihi accessurum ad hanc rempublicam sapientem. ad  
 Carthaginensium ergo rempublicam sapiens accedet, in  
 qua adsidua seditio et optimo cuique infesta libertas est,  
 summa aequi ac boni vilitas, adversus hostes inhumana  
 crudelitas, etiam adversus suos hostilis? et hanc fugiet.  
 3 Si percensere singulas voluero, nullam inveniam, quae  
 sapientem aut quam sapiens pati possit. Quodsi non  
 invenitur illa respublica, quam nobis fingimus, incipit  
 omnibus esse otium necessarium, quia quod unum prae-  
 4 ferri poterat otio, nusquam est. Si quis dicit optimum  
 esse navigare, deinde negat navigandum in eo mari, in  
 quo naufragia fieri soleant et frequenter subitae tempe-  
 states sint, quae rectorem in contrarium rapiant: puto  
 hic me vetat navem solvere, cum laudet navigationem. \*\*\*



L. ANNAEI SENECAE  
DIALOGORUM LIBER IX.

AD SERENUM

DE TRANQUILLITATE ANIMI.

---

I. [SERENUS.] Inquirenti mihi in me quaedam vitia 1  
adparebant resecta, in aperto posita, quae manu pren-  
derem, quaedam obscuriora et in recessu, quaedam non  
continua, sed ex intervallis redeuntia, quae vel molestis-  
sima dixerim, ut hostes vagos et ex occasionibus adsil-  
ientes, per quos neutrum licet, nec tamquam in bello  
paratum esse nec tamquam in pace securum. illum tamen 2  
habitum in me maxime deprendo (quare enim non verum  
ut medico fatear?) nec bona fide liberatum eis, quae  
timebam et oderam, nec rursus obnoxium. In statu ut  
non pessimo, ita maxime querulo et moroso positus sum:  
nec aegroto nec valeo. Non est, quod dicas omnium vir- 3  
tutum tenera esse principia, tempore illis duramentum  
et robur accedere. non ignoro etiam quae in speciem  
laborant, dignitatem dico et eloquentiae famam et quic-  
quid ad alienum suffragium venit, mora convalescere. et  
quae veras vires parant et quae ad placendum fuco quod-  
dam subornantur, exspectant annos, donec paulatim  
colorem diuturnitas ducat. sed ego vereor, ne consue-  
tudo, quae rebus adfert constantiam, hoc vitium mihi  
altius figat. tam malorum quam bonorum longa conver-  
satio amorem induit. Haec animi inter utrumque dubii 4  
nec ad recta fortiter nec ad prava vergentis infirmitas  
qualis sit, non tam semel tibi possum quam per partes  
ostendere. dicam quae accidant mihi: tu morbo nomen  
invenies. Tenet me summus amor parsimoniae, fateor. 5  
placet non in ambitionem cubile compositum, non ex  
arcula prolata vestis, non ponderibus ac mille tormentis

splendere cogentibus expressa, sed domestica et vilis,  
 6 nec servata nec sumenda sollicite. Placet cibus, quem  
 nec parent familiae nec spectent, non ante multos impe-  
 ratus dies nec multorum manibus ministratus, sed para-  
 bilis facilisque, nihil habens arcessiti pretiosive, ubilibet  
 non defuturus, nec patrimonio nec corpori gravis, non  
 7 rediturus qua intraverit. Placet minister incultus et rudis  
 vernula, argentum grave rustici patris sine ullo nomine  
 artificis, et mensa non varietate macularum conspicua  
 nec per multas dominorum elegantium successiones civi-  
 tati nota, sed in usum posita, quae nullius convivae ocu-  
 8 los nec voluptate moretur nec accendat invidia. Cum  
 bene ista placuerunt, praestringit animum adparatus ali-  
 cuius paedagogii, diligentius quam in tralatu vestita et  
 auro culta mancipia et agmen servorum nitentium. iam  
 domus etiam qua calcatur pretiosa et divitiis per omnes  
 angulos dissipatis, tecta ipsa fulgentia et adsector  
 comesque patrimoniorum pereuntium populus. Quid per-  
 lucentis ad imum aquas et circumfluentes ipsa convivia,  
 9 quid epulas loquar scena sua dignas? Circumfudit me  
 ex longo frugalitatis situ venientem multo splendore luxu-  
 ria et undique circumsonuit. paulum titubat acies. faci-  
 lius adversus illam animum quam oculos adtollo. recedo  
 itaque non peior, sed tristior, nec inter illa frivola mea  
 tam altus incedo tacitusque morsus subit et dubitatio,  
 numquid illa meliora sint: nihil horum me mutat, nihil  
 10 non tamen concutit. Placet in[de viam] praeceptorum  
 sequi et in mediam ire rempublicam. placet honores  
 fascesque non scilicet purpura aut virgis abductum ca-  
 pessere, sed ut amicis propinquisque et omnibus civibus,  
 omnibus deinde mortalibus paratior utiliorque sim. prom-  
 ptus, conpositus sequor Zenona, Cleanthen, Chrysippum,  
 quorum tamen nemo ad rempublicam accessit et nemo  
 11 non misit: ubi aliquid animam insolitam arietari percus-  
 sit, ubi aliquid occurrit aut indignum, ut in omni vita  
 humana multa sunt, aut parum ex facili fluens, aut mul-  
 tum temporis res non magno aestimandae poposcerunt,  
 ad otium convertor et quemadmodum pecoribus fatigatis

quoque velocior domum gradus est, placet intra parietes suos vitam coercere. „nemo ullum auferat diem nihil dignum tanto impendio redditurus. sibi ipse animus haereat, se colat, nihil alieni agat, nihil quod ad iudicem spectet. ametur expers publicae privataeque curae tranquillitas.“ Sed ubi lectio fortior erexit animum<sup>12</sup> et aculeos subdiderunt exempla nobilia, prosilire libet in forum, commodare alteri vocem, alteri operam, etiamsi nihil profuturam, tamen conaturam prodesse, alicuius coercere in foro superbiam male secundis rebus elati. In<sup>13</sup> studiis puto mehercules melius esse res ipsas intueri et harum causa loqui, ceterum verba rebus permittere, ut qua duxerint, hac inelaborata sequatur oratio. „quid opus est seculis duratura componere? vis tu non id agere, ne te posteri taceant? morti natus es. minus molestiarum habet funus tacitum. itaque occupandi temporis causa, in usum tuum, non in praeconium aliquid simplici stilo scribe. minore labore opus est studentibus in diem.“ Rursus ubi se animus cogitationum magnitudine levavit,<sup>14</sup> ambitiosus in verba est altiusque ut spirare ita eloqui gestit et ad dignitatem rerum exit oratio. oblitus tum legis pressiorisque iudicii sublimius feror et ore iam non meo. Ne singula diutius persequar, in omnibus rebus<sup>15</sup> haec me sequitur bonae mentis infirmitas. cui ne paulatim defluam vereor, aut quod est sollicitius, ne semper casuro similis pendeam et plus fortasse sit quam quod ipse pervideo. familiariter enim domestica adspicimus et semper iudicio favor officit. Puto multos potuisse ad sa-<sup>16</sup> pientiam pervenire, nisi putassent se pervenisse, nisi quaedam in se dissimulassent, quedam opertis oculis transsiluissent. non est enim, quod magis aliena iudices adulatione nos perire quam nostra. quis sibi verum dicere ausus est? quis non inter laudantium blandientiumque positus greges plurimum tamen sibi ipse adsentatus est? Rogo<sup>17</sup> itaque, si quod habes remedium quo hanc fluctuationem meam sistas, dignum me putes, qui tibi tranquillitatem debeam. Non esse periculosos motus animi nec quicquam tumultuosi adferentis scio. ut vera tibi similitudine id,

de quo queror, exprimam, non tempestate vexor, sed nausia: detrahe ergo, quicquid hoc est mali, et succurre in conspectu terrarum laboranti.

- 1 II. [SENECA.] Quaero mehercules iam dudum, Serene, ipse tacitus, cui talem adfectum animi similem putem, nec ulli propius admoverim exemplo quam eorum, qui ex longa et gravi valitudine expliciti motiunculis levibusque interim offensis perstringuntur et cum reliquias effugerunt, suspicionibus tamen inquietantur medicisque iam sani manum porrigunt et omnem calorem corporis sui calumniantur. horum, Serene, non parum sanum est corpus, sed sanitati parum adsuevit: sicut est quidam tremor etiam tranquilli maris, utique [lacus,] cum ex tempestate
- 2 requievit. Opus est itaque non illis durioribus, quae etiam transcucrimus, ut alicubi obstes tibi, alicubi irascaris, alicubi instes gravis: sed illud, quod ultimum venit, ut fidem tibi habeas et recta ire te via credas, nihil avocatus transversis multorum vestigiis passim discurrentium, quo-
- 3 rundam circa ipsam errantium viam. Quod desideras autem, magnum et summum est deoque vicinum, non conculi. hanc stabilem animi sedem Graeci *εὐθυμίαν* vocant, de qua Democriti volumen egregium est. ego tranquillitatem voco. nec enim imitari et transferre verba ad illorum formam necesse est: res ipsa, de qua agitur, aliquo signanda nomine est, quod adpellationis Graecae vim
- 4 debet habere, non faciem. Ergo quaerimus, quomodo animus semper aequalis secundoque cursu eat propitiusque sibi sit et sua laetus adspiciat et hoc gaudium non interrumpat, sed placido statu maneat nec adtollens se umquam nec deprimens: id tranquillitas erit. quomodo ad hanc perveniri possit, in universum quaeramus: sumes tu ex publico remedio quantum
- 5 voles. Totum interim vitium in medium protrahendum est, ex quo agnoscet quisque partem suam. simul tu intelleges, quanto minus negotii habeas cum fastidio tui quam hi, quos ad professionem speciosam adligatos et sub ingenti titulo laborantis in sua simulatione
- 6 pudor magis quam voluntas tenet. Omnes in eadem cau-

sa sunt, et hi qui levitate vexantur ac taedio adsiduaque mutatione propositi, quibus semper magis placet quod reliquerunt, et illi, qui marcent et oscitantur. adice eos, qui non aliter quam quibus difficilis somnus est, versant se et hoc atque illo modo componunt, donec quietem lassitudine inveniant: statum vitae suae formando subinde in eo novissime manent, in quo illos non mutandi odium, sed senectus ad novandum pigra deprendit. adice et illos, qui non inconstantiae vitio parum leves sunt, sed inertiae, et vivunt non quomodo volunt, sed quomodo coeperunt. Innumerabiles deinceps proprietates sunt, sed unus effectus vitii, sibi displicere. Hoc oritur ab intemperie animi et cupiditatibus timidis aut parum prosperis: ubi aut non audent, quantum concupiscunt, aut non consequuntur et in spem toti prominent, semper instabiles mobilesque sunt, quod necesse est accidere pendentibus ad vota sua. omni via *pergunt* et inhonesta se ac difficilia docent coguntque, et ubi sine praemio labor est, torquet illos inritum dedecus, nec dolent prava se, [*sed*] frustra voluisse. Tunc illos et poenitentia coepti tenet et incipiendi timor 8 subreplitque illa animi iactatio non inventientis exitum, quia nec imperare cupiditatibus suis nec obsequi possunt, et cunctatio vitae parum se explicantis et inter destituta vota torpentis animi situs. quae omnia graviora sunt, ubi odio 9 infelicitatis operosae ad otium perfugerunt et ad secreta studia, quae pati non potest animus ad civilia erectus agendique cupidus et natura inquietus, parum scilicet in se solationum habens: ideo detractis oblectationibus, quas ipsae occupationes discurrentibus praebent, domum, solitudinem, parietes non fert, invitus adspicit se sibi relictum. Hinc illud est taedium et displicentia sui et nus- 10 quam residentis animi volutatio et otii sui tristis atque aegra patientia, utique ubi causas fateri pudet et tormenta introrsus egit verecundia, in angusto[*que*] inclusae cupiditates sine exitu se ipsae strangulant: inde moeror marcorque et mille fluctus mentis incertae, quam spes inchoatae habent suspensam, deploratam, tristem. inde ille adfectus otium suum detestantium quarentiumque nihil

ipsos habere quod agant, et alienis incrementis inimicis-  
 sima invidia. alit enim livorem infelix inertia et omnes  
 11 destrui cupiunt, quia se non potuere provehere. ex hac  
 deinde aversatione alienorum processuum et suorum de-  
 speratione obirascens fortunae animus et de seculo que-  
 rens et in angulos se retrahens et poenae incubans suae,  
 dum illum taedet sui pigetque. natura enim humanus ani-  
 mus agilis est et pronus ad motus. grata omnis illi exci-  
 tandi se abstrahendique materia est, gratior pessimis qui-  
 busque ingeniis, quae occupationibus libenter deteruntur,  
 ut ulcera quaedam nocituras manus adpetunt et tactu gau-  
 dent et foedam corporum scabiem delectat, quicquid ex-  
 12 sperat: non aliter dixerim his mentibus, in quas cupidi-  
 tates velut mala ulcera eruperunt, voluptati esse laborem  
 vexationemque. sunt enim quaedam, quae corpus quo-  
 que nostrum cum quodam dolore delectent, ut versare se  
 et mutare nondum fessum latus, et alio atque alio positu  
 ventilari. qualis ille Homericus Achilles est, modo pro-  
 nus, modo supinus, in varios habitus se ipse componens,  
 quod proprium aegri est, nihil diu pati et mutationibus  
 13 ut remediis uti. Inde peregrinationes suscipiuntur vagae  
 et litora pererrantur et modo mari se, modo terra experi-  
 tur semper praesentibus infesta levitas. Nunc Campaniam  
 petamus. iam delicata fastidio sunt. inculta videantur:  
 Bruttios et Lucaniae saltus persequamur. aliquid tamen  
 inter deserta amoeni requiratur, in quo luxuriosi oculi  
 longo locorum horrentium squalore releventur: Taren-  
 tum petatur laudatusque portus et hiberna coeli mitioris\*  
 regio vel antiquae satis opulenta turbae.\* iam flecta-  
 mus cursum ad urbem. nimis diu a plausu et fragore  
 aures vacaverunt. iuvat iam et humano sanguine frui.  
 14 Aliud ex alio iter suscipitur et spectacula spectaculis  
 mutantur. ut ait Lucretius:

*Hoc se quisque modo semper fugit.*

sed quid prodest, si non effugit? sequitur se ipse et ur-  
 15 get gravissimus comes. Itaque scire debemus non loco-  
 rum vitium esse quo laboramus, sed nostrum: infirmi su-  
 mus ad omne tolerandum, nec laboris patientes nec vo-

luptatis, nec nostrae nec ullius rei diutius. hoc quosdam egit ad mortem, quod proposita saepe mutando in eadem revolvebantur et non reliquerant novitati locum. fastidio esse illis coepit vita et ipse mundus, et subit illud ravidarum deliciarum: quousque eadem?

III. Adversus hoc taedium quo auxilio pu-<sup>1</sup>tem utendum quaeris. „Optimum erat, ut ait Athenodorus, actione rerum et reipublicae tractatione et officiis civilibus se detinere. nam ut quidam sole atque exercitatione et cura corporis diem ducunt athleticque longe utilissimum est lacertos suos roburque, cui se uni dicaverunt, maiore temporis parte nutrire: ita vobis animum ad rerum civilium certamen parantibus in opere esse [non] longe pulcherrimum est. nam cum utilem se efficere civibus mortalibusque propositum habeat, simul et exercetur et proficit, qui in mediis se officiis posuit communia privataque pro facultate administrans. Sed<sup>2</sup> quia in hac, inquit, tam insana hominum ambitione tot calumniatoribus in deterius recta torquentibus parum tuta simplicitas est et plus futurum semper est, quod obstet quam quod succedat, a foro quidem et publico recedendum est, sed habet, ubi se etiam in privato laxè explicet magnus animus. nec ut leonum animaliumque inpetus caveis coercetur, sic hominum, quorum maximae in seducto actiones sunt. Ita tamen delituerit, ut ubicum-<sup>3</sup>que otium suum absconderit, prodesse velit singulis universisque ingenio, voce, consilio. nec enim is solus reipublicae prodest, qui candidatos extrahit et tuetur reos et de pace belloque censet, sed qui iuventutem exhortatur, qui in tanta bonorum praeceptorum inopia virtutem insti//at animis, qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentis prensat ac retrahit et, si nihil aliud, certe moratur, in privato publicum negotium agit. An ille plus prae-<sup>4</sup>stat, qui inter peregrinos et cives aut urbanus praetor adeuntibus adessoris verba pronuntiat, quam qui quid sit iustitia, quid pietas, quid patientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid deorum intellectus, quantumque adiutorium hominum sit bona conscientia? Ergo<sup>5</sup>

si tempus in studia conferas, quod subduxeris officii, non deserueris nec munus detrectaveris. neque enim ille solus militat, qui in acie stat et cornu dextrum laevumque defendit, sed qui portas tuetur et statione minus periculosa, non otiosa tamen fungitur vigiliisque servat et armamentario praeest: quae ministeria quamvis incruenta sint, 6 in numerum stipendiorum veniunt. Si te ad studia revocaveris, omne vitae fastidium effugeris nec noctem fieri optabis taedio lucis, nec tibi gravis eris nec aliis supervacuum. multos in amicitiam adtrahes adfluetque ad te optimus quisque. numquam enim quamvis obscura virtus latet, sed mittit sui signa: quisquis dignus fuerit, vestigiis 7 illam colliget. Nam si omnem conversationem tollimus et generi humano renuntiamus vivimusque in nos tantum conversi, sequetur hanc solitudinem omni studio carentem inopia rerum agendarum: incipiemus aedificia alia ponere, alia subvertere et mare submovere et aquas contra difficultatem locorum educere et male dispensare 8 tempus, quod nobis natura consumendum dedit: alii parce illo utimur, alii prodige. alii sic inpendimus, ut possimus rationem reddere, alii, ut nullas habeamus reliquias, qua re nihil turpius est. saepe grandis natu senex nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, praeter aetatem. “

1 IV. Mihi, carissime Serene, nimis videtur submisisse temporibus se Athenodorus, nimis cito refugisse. Ne ego negaverim aliquando cedendum, sed sensim relato gradu et salvis signis, salva militari dignitate: sanctiores tutioresque sunt hostibus suis, qui in fidem cum armis veniunt. hoc puto virtuti faciendum studiosoque virtu- 2 tis. Si praevalebit fortuna et praecidet agendi facultatem, non statim aversus inermisque fugiat latebras quaerens, quasi ullus locus sit, [in] quo non possit fortuna persequi, sed parcius se inferat 3 officii et cum delectu inveniat aliquid, in quo utilis civitati sit. militare non licet: honores petat. privato vivendum est: sit orator. silentium indictum est: tacita advocacy cives iuvet. periculosum etiam ingressu forum



est: in domibus, in spectaculis, in conviviis bonum contubernalem, fidelem amicum, temperantem convivam agat. officia civis amiserit: hominis exerceat. ideo magno 4 animo nos non unius urbis moenibus clusimus, sed in totius orbis commercium emisimus patriamque nobis mundum professi sumus, ut liceret latiorem virtuti campum dare. praecusum tibi tribunal est et rostris prohiberis aut comitiis: respice post te quantum latissimarum regionum pateat, quantum populorum. numquam ita tibi magna pars obstruetur, ut non maior relinquatur. Sed vide, ne totum istud tuum vitium sit. non vis enim 5 nisi consul aut prytanis aut ceryx aut sufes administrare rempublicam. Quid si militare nolis nisi imperator aut tribunus? etiamsi alii primam frontem tenebunt, te sors inter triarios posuerit, inde voce, adhortatione, exemplo, animo milita: praecisus quoque manibus ille in proelio invenit, quod partibus conferat, qui stat tamen et clamore iuvat. Tale quiddam facias: si a prima te reipublicae 6 parte fortuna submoverit, stes tamen et clamore iuves et, si quis fauces oppresserit, stes tamen et silentio iuves. Numquam inutilis est opera civis boni. auditus est visusque: voltu, nutu, obstinatione tacita incessuque ipso prodest. Ut salutaria, quae citra gustum tactumque odore proficiunt, ita virtus utilitatem etiam ex longinquo et latens fundit, sive spatiatur et se utitur suo iure, sive precarios habet excessus cogiturque vela contrahere, sive otiosa mutaue est et angusto circumsepta, sive adaperata: in quocumque habitu est, prosit. quid? 7 tu parum utile putas exemplum bene quiescentis? Longe 8 itaque optimum est miscere otium rebus, quotiens actiosa vita impedimentis fortuitis aut civitatis condicione prohibebitur. numquam enim usque eo interclusa sunt omnia, ut nulli actioni locus honestae sit.

V. Numquid potes invenire urbem miserioerem quam 1 Atheniensium fuit, cum illam triginta tyranni divellerent? mille trecentos cives, optimum quemque occiderant nec finem ideo faciebant, sed inritabat se ipsa saevitia. in qua civitate erat Areos pagos, religiosissimum iudicium,

- in qua senatus populusque senatu similis, coibat cotidie  
carnificum triste collegium et infelix curia tyrannis an-  
gusta: poteratne illa civitas conquiescere, in qua tot ty-  
ranni erant quot satellites essent? ne spes quidem ulla  
recipiendae libertatis animis poterat offerri, nec ulli re-  
medio locus adparebat contra tantam vim malorum: unde
- 2 enim miserae civitati tot Harmodios? Socrates tamen in  
medio erat et lugentes patres consolabatur et desperan-  
tes de republica exhortabatur et divitibus opes suas me-  
tuentibus exprobrabat seram periculosae avaritiae poe-  
nitentiam et imitari volentibus magnum circumferebat  
exemplar, cum inter triginta dominos liber incederet.
- 3 Hunc tamen Athenae ipsae in carcere occiderunt, et qui  
tuto insultaverat agmini tyrannorum civis, *eius* liberta-  
tem libertas non tulit: ut scias et in adflicta republica  
esse occasionem sapienti viro ad se proferendum et in  
florenti ac beata pecuniam, invidiam, mille alia inermia
- 4 vitia regnare. Utcumque ergo se respública dabit, ut-  
cumque fortuna permittet, ita aut explicabimus nos aut  
contrahemus: utique movebimus nec adligati metu tor-  
pebimus. immo ille vir fuerit, qui periculis undique in-  
minentibus, armis circa et catenis frementibus non adli-  
serit virtutem nec absconderit. non est enim servare se
- 5 obruere, ut opinor. Curius Dentatus aiebat, malle esse  
se mortuum quam vivere. Ultimum malorum est e  
vivorum numero exire, antequam moriaris. sed facien-  
dum erit, si in reipublicae tempus minus tractabile inci-  
deris, ut plus otio ac literis vindices. nec aliter quam in  
periculosa navigatione subinde portum petas nec ex-  
spectes, donec res te dimittant, sed ab illis te ipse  
diiungas.
- 1 VI. Inspicere autem debemus primum  
nosmetipsos, deinde ea, quae adgrediemur  
negotia, deinde eos, quorum causa aut cum  
quibus.
- 2 Ante omnia † considerandum est, utrum  
natura tua agendis rebus an otioso studio  
contemplationique aptior sit, et eo inclinan-

dum, quo te vis ingenii feret. Isocrates Ephorum iniecta manu a foro subduxit utiliore conponendis monumentis historiarum ratus. male enim respondent coacta ingenia: reluctante natura inritus labor est. † Ne-<sup>3</sup>cesse est se ipsum aestimare, quia fere plus nobis videmur posse quam possumus: alius eloquentiae fiducia prolabitur, alius patrimonio suo plus imperavit quam ferre posset, alius infirmum corpus laborioso pressit officio. quorundam parum idonea est verecundia rebus civilibus, quae primam frontem desiderant. quorundam contumacia non facit ad aulam. quidam non habent iram in potestate et illos ad temeraria verba quaelibet indignatio offert. quidam urbanitatem nesciunt continere nec periculosis abstinent salibus. Omnibus his utilior negotio quies est: ferox inpatiensque natura inritamenta nociturae libertatis evitet. Aestimanda sunt deinde<sup>4</sup> ipsa, quae adgredimur, et vires nostrae cum rebus, quas temptaturi sumus, comparandae. Debet enim semper plus esse virium in actore quam in onere. necesse est opprimant onera, quae ferente maiora sunt. Quaedam praeterea non tam magna sunt negotia<sup>5</sup> quam fecunda multumque negotiorum ferunt. et haec refugienda sunt, ex quibus nova occupatio multiplexque nascetur. nec accedendum eo, unde liber regressus non sit: iis admovenda manus est, quorum finem aut facere aut certe sperare possis. relinquenda, quae latius actu procedunt nec ubi proposueris desinunt.

VII. Hominum utique delectus habendus<sup>1</sup> est: an digni sint quibus partem vitae nostrae inpendamus, an ad illos temporis nostri iactura perveniat. quidam enim ultro officia nobis nostra inputant. Athe-<sup>2</sup>nodoros ait „ne ad coenam quidem se iturum ad eum, qui sibi nil pro hoc debiturus sit“: puto intellegis multo minus ad eos iturum, qui cum amicorum officiis paria mensa faciunt, qui fericula pro congiariis numerant, quasi in alienum honorem intemperantes sint. deme illis testes spectatoresque: non delectabit popina secreta. † Nihil tamen aequae oblectaverit animum, quam<sup>3</sup>

amicitia fidelis et dulcis. quantum bonum est, ubi sunt praeparata pectora, in quae tuto secretum omne descendat, quorum conscientiam minus quam tuam timeas, quorum sermo sollicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet! quos scilicet vacuos, quantum fieri poterit, a cupiditatibus eligemus. serpunt enim vitia et in proximum  
 4 quemque transsiliunt et contactu nocent. Itaque quod in pestilentia curandum est, ne correptis iam corporibus et morbo flagrantibus adsideamus, quia pericula trahemus adflatuque ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, ut quam minime inquinatos adsumamus: initium morbi est aegris sana miscere. Nec hoc praeceperim tibi, ut neminem nisi sapientem sequaris aut adtrahas. ubi enim istum invenies, quem tot se-  
 5 culis quaerimus? pro optimo est minime malus. Vix tibi esset facultas delectus felicioris, si inter Platonas et Xenophontas et illum Socratici fetus proventum bonos quaereres, aut si tibi potestas Catonianae fieret aetatis, quae plerosque dignos tulit, qui Catonis seculo nascerentur (sicut multos peiores quam umquam alias maximorumque molitores scelerum. utraque enim turba opus erat, ut Cato posset intellegi. habere debuit et bonos, quibus se adprobaret, et malos, in quibus vim suam experiretur): nunc vero in tanta bonorum egestate minus fastidiosa fiat electio. praecipue tamen vitentur tristes et omnia deplorantes, quibus nulla non causa in querelas placet. constet illi licet fides et benevolentia: tranquillitati tamen inimicus est comes perturbatus et omnia gemens.

1 VIII. Transeamus ad patrimonia, maximam humanarum aerumnarum materiam. Nam si omnia alia, quibus angimur, compares, mortes, aegrotationes, metus, desideria, dolorum laborumque patientiam, cum iis quae nobis mala pecunia nostra exhibet,  
 2 haec pars multum praegravabit. Itaque cogitandum est, quanto levior dolor sit non habere quam perdere: et intellegemus paupertati eo minorem tormentorum quo mi-

norem damnorum esse materiam. erras enim, si putas animosius detrimenta divites ferre: maximis minimisque corporibus par est dolor volneris. Bion eleganter ait 3 „non minus molestum esse calvis quam comatis pilos velli.“ Idem scias licet de pauperibus locupletibusque, par illis esse tormentum: utriusque enim pecunia sua obhaesit nec sine sensu revelli potest. Tolerabilius autem est, ut dixi, faciliusque non acquirere quam amittere, ideoque laetiores videbis quos numquam fortuna respexit, quam quos deseruit. Vidit hoc Diogenes, 4 vir ingentis animi, et effecit, ne quid sibi eripi posset. tu istud paupertatem, inopiam, egestatem voca, quod voles ignominiosum securitati nomen impone: putabo hunc non esse felicem, si quem mihi alium inveneris, cui nihil pereat. aut ego fallor, aut regnum est inter avaros, circumscriptores, latrones, plagiaros unum esse, cui noceri non possit. Si quis de felicitate Diogenis dubitat, 5 potest idem dubitare et de deorum immortalium statu, an parum beate degant, quod illis nec praedia nec horti sint nec alieno colono rura pretiosa nec grande in foro fenus. non te pudet, quisquis divitiis adstupes? respice agedum mundum: nudos videbis deos, omnia dantes nihil habentes. Hunc tu pauperem putas an dis immortalibus similem, qui se fortuitis omnibus exuit? Feliciorum 6 tu Demetrium Pompeianum vocas, quem non puduit locupletiore esse Pompeio? numerus illi cotidie servorum velut imperatori exercitus referebatur, cui iam dudum divitiae esse debuerant duo vicarii et cella laxior. At Diogeni servus unicus fugit nec eum reducere, cum 7 monstraretur, tanti putavit. „Turpe est, inquit, Manen sine Diogene posse vivere, Diogenem sine Mane non posse.“ Videtur mihi dixisse: „age tuum negotium, fortuna. nihil apud Diogenem iam tui est. Fugit mihi servus? immo liber abiit.“ Familia petit vestiarium victum- 8 que. tot ventres avidissimorum animalium tuendi sunt. emenda vestis et custodiendae rapacissimae manus et flentium detestantiumque ministeriis utendum. quanto ille felicior, qui nihil ulli debet, nisi quod facillime negat

- 9 sibi! Sed quoniam non est nobis tantum roboris, angustanda certe sunt patrimonia, ut minus ad iniurias fortunae simus expositi. Habiliora sunt corpora in bella, quae in arma sua contrahi possunt, quam quae superfunduntur et undique magnitudo sua volneribus obiecit: optimus pecuniae modus est, qui nec in paupertatem cadit, nec procul a paupertate discedit.
- 1 IX. Placebit autem haec nobis mensura, si prius parsimonia placuerit, sine qua nec ullae opes sufficiunt, nec [cum illa] ullae non satis patent, praesertim cum in vicino remedium sit et possit ipsa paupertas in divitias se
- 2 advocata frugalitate convertere. Adsuescamus a nobis remove pomam, et usus rerum, non ornamenta metiri. Cibus famem domet, potio sitim, libido qua necesse est fluat. discamus membris nostris inniti, cultum victumque non ad nova exempla componere, sed ut maiorum mores suadent. discamus continentiam augere, luxuriam coercere, *gloriam* temperare, iracundiam lenire, paupertatem aequis oculis adspicere, frugalitatem colere, etiamsi multos pudebit, *ut populus* desideriiis naturalibus parvo parata remedia adhibere, spes effrenatas et animum in futura eminentem velut sub vinculis habere, id agere, ut divitias a nobis potius quam a fortuna petamus.
- 3 Non potest unquam tanta varietas et iniquitas casuum ita depelli, ut non multum procellarum inruat magna armamenta pendentibus. cogendae in artum res sunt, ut tela in vanum cadant, ideoque exilia interdum calamitatesque in remedium cessere et levioribus incommodis graviora sanata sunt, ubi parum audit praecepta animus nec curari mollius potest. quidni? consulitur *ei*, si paupertas *ei*, ignominia, rerum eversio adhibetur. malo malum opponitur. adsuescamus ergo coenare posse sine populo et servis paucioribus servire et vestes parare in quod inventae sunt, habitare contractius. Non in cursu tantum circique certamine, sed in his spatiis vitae interi-
- 4 us flectendum est. Studiorum quoque quae liberalissima inpensa est, tamdiu rationem habet, quamdiu modum. Quo innumerabiles libros et bibliothecas, quarum dominus

vix tota vita indices perlegit? onerat discentem turba, non instruit, multoque satius est paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos. Quadraginta milia librorum Alexandriae arserunt: pulcherrimum regiae opulentiae monumentum alius laudaverit, sicut et Livius, qui *elegantiae regum curaeque egregium id opus ait fuisse*: non fuit elegantia illud aut cura, sed studiosa luxuria, immo ne studiosa quidem, quoniam non in studium, sed in spectaculum comparaverant, sicut plerisque ignaris etiam servilium literarum libri non studiorum instrumenta, sed coenationum ornamenta sunt. Paretur itaque librorum quantum satis sit, nihil in adparatum. „Honestius, 6 inquis, hoc te \* inpensae quam in Corinthia pictasque tabulas effuderint.“ Vitiosum est ubique, quod nimium est. quid habes, cur ignoscas homini armaria citro atque ebore captanti, corpora conquirenti aut ignotorum auctorum aut improbatorum et inter tot milia librorum oscitanti, cui voluminum suorum frontes maxime placent titulique? Apud desidiosissimos ergo videbis quicquid 7 orationum historiarumque est, tecto tenus exstructa loculamenta. iam enim inter balnearia et thermas bibliotheca quoque ut necessarium domus ornamentum expolitur. ignoscerem plane, si studiorum nimia cupidine oriretur: nunc ista conquisita, cum imaginibus suis descripta [et] sacrorum opera ingeniorum in speciem et cultum parietum comparantur.

X. At [ad] aliquod genus vitae difficile incidisti 1 et tibi ignoranti vel publica fortuna vel privata laqueum inpegit, quem nec solvere posses nec erumpere: cogita conpeditos primo aegre ferre onera et impedimenta crurum. deinde ubi non indignari illa, sed pati proposuerunt, necessitas fortiter ferre docet, consuetudo facile. Invenies in quolibet genere vitae oblectamenta et remissiones et voluptates: si *nolueris*, malam puta te *vitam* potius quam *invidiosam* facere. Nullo melius nomine de nobis natura meruit, quam [*quod*], cum sciret quibus aerumnis nasceremur, calamitatum molli- 2 mentum consuetudinem invenit, cito in familiaritatem

gravissima adducens. Nemo duraret, si rerum adversarum eandem vim adsiduitas haberet quam primus ictus.

3 Omnes cum fortuna copulati sumus: aliorum aurea catena est, aliorum laxa, aliorum arta et sordida. sed quid refert? eadem custodia universos circumdedit adligatique sunt etiam qui adligaverunt, nisi forte tu levior in sinistra catenam putas: alium honores, alium opes vinciunt. quosdam nobilitas, quosdam humilitas premit. quibusdam aliena supra caput imperia sunt, quibusdam sua. quosdam exilia uno loco tenent, quosdam sacer-

4 dotia. Omnis vita servitium est. Adsuescendum est itaque condicioni suae et quam minimum de illa querendum et quicquid habet circa se commodi, adprendendum. nihil tam acerbum est, in quo non aequus animus solatium inveniat. Exiguae saepe areae in multos usus describentis arte patuerunt et quamvis angustum pedem dispositio fecit habitabilem. adhibe rationem difficultatibus: possunt et dura molliri et angusta laxari et gravia

5 scite ferentis minus premere. Non sunt praeterea cupiditates in longinquum mittendae, sed in vicinum illis egredi permittamus, quoniam includi ex toto non patiuntur. relictis his, quae aut non possunt fieri aut difficulter possunt, prope posita speique nostrae adludentia sequamur, sed sciamus omnia aequae leviae esse, extrinsecus diversas facies habentia, introrsus pariter vana. nec invidemus altius stantibus: quae excelsa videban-

6 tur, praerupta sunt. Illi rursus, quos sors iniqua in ancipiti posuit, tutiores erunt superbiam detrahendo rebus per se superbis et fortunam suam, quam maxime poterunt, in planum deferendo. multi quidem sunt, quibus necessario haerendum sit in fastigio suo, ex quo non possunt nisi cadendo descendere: sed hoc ipsum testentur maximum onus suum esse, quod aliis graves esse cogantur, nec sublevatos se, sed suffixos. iustitia, mansuetudine humana, larga et benigna manu praeparent multa ad fecundos casus praesidia, quorum spe securius pendeant. nihil tamen aequae hos ab his animi fluctibus vindicaverit, quam semper aliquem incrementis ter-



minum figere, nec fortunae arbitrium desinendi dare, sed ipsos multo quidem citra [*quam*] exempla hortentur, consistere: sic et aliquae cupiditates animum acuent, et finitae non in immensum incertumque producent.

XI. Ad imperfectos et mediocres et male sanos hic meus sermo pertinet, non ad sapientem. Huic non timide nec pedetentim ambulandum est. tanta enim fiducia sui est, ut obviam fortunae ire non dubitet nec umquam loco illi cessurus sit. nec habet, ubi illam timeat, quia non mancipia tantum possessionesque et dignitatem, sed corpus quoque suum et oculos et manum et quicquid cariorem vitam facturum [*est*], seque ipsum inter precaria numerat vivitque ut commodatus sibi et repositentibus sine tristitia redditurus. Nec ideo vilis est sibi, quia scit se suum non esse, sed omnia tam diligenter faciet, tam circumspecte, quam religiosus homo sanctusque solet tueri fidei commissa. Quandocumque autem reddere iubebitur, non queretur cum fortuna, sed dicit: „gratias ago pro eo, quod possedi habuique. magna quidem res tuas mercede colui, sed quia illa imperas, do, cedo gratus libensque. si quid habere me tui volueris, etiam nunc servabo: si aliud placet, ego vero factum signatumque argentum, domum familiamque meam reddo, restituo.“ Adpellaverit natura quae prior nobis credidit, et huic dicemus: „recipe animum meliorem quam dedisti. non tergiversor nec refugio. paratum habes a volente, quod non sentienti dedisti: aufer.“ Reverti unde veneris quid grave est? male vivet, quisquis nesciet bene mori. huic itaque primum rei pretium detrahendum est et spiritus inter vilia numerandus. *Gladiatores*, ut ait Cicero, *invisos habemus, si omni modo vitam inpetrare cupiunt; favemus, si contemptum eius praese ferunt.* Idem evenire nobis scias. saepe enim causa moriendi est timide mori. Fortuna illa, quae ludos sibi facit: „quo, inquit, te reservem, malum et trepidum animal? eo magis convolneraberis et confodieris, quia nescis praebere iugulum: at tu et vives diutius et morieris expeditius, qui ferrum non subducta cervice nec manibus

6 oppositis, sed animose recipis.“ Qui mortem timebit, nihil unquam pro homine [et] viro faciet: at qui sciat hoc sibi cum conciperetur statim condictum, vivet ad formulam et simul illud quoque eodem animi robore praestabit, ne quid ex iis, quae eveniunt, subitum sit. quicquid enim fieri potest, quasi futurum sit, prospiciendo malorum omnium inpetus molliet, qui ad praeparatos expectantesque nihil adferunt novi: securis et beata tantum spectantibus graves veniunt. morbus enim, captivitas, ruina, ignis, nihil horum repentinum est. „Sciebam,

7 in quam tumultuosum me contubernium natura clusisset. totiens in vicinia mea conclamatum est. totiens praeter limen in maturas exsequias fax cereusque praecessit. saepe a latere ruentis aedificii fragor sonuit. multos ex iis, quos forum, curia, sermo mecum contraxerat, nox abstulit et iunctis ad sodalitium manus copulatas interscidit: mirer ad me aliquando pericula accessisse, quae circa me semper erraverint? Magna pars hominum est, quae naviga-

8 tura de tempestate non cogitat. Numquam me in bona [re] mali pudebit auctoris. Publius, tragicis comicisque vehementior ingeniis, quotiens mimicas ineptias et verba ad summam caveam spectantia reliquit, inter multa alia cothurno, non tantum sipario fortiora, et hoc ait:

*civis potest accidere quod cuiquam potest.*

Hoc si quis in medullas demiserit et omnia aliena mala, quorum ingens cotidie copia est, sic adspexerit, tamquam liberum illis et ad se iter sit, multo ante se armabit quam

9 petatur. Sero animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur. „Non putavi hoc futurum.“ et „umquam tu hoc eventurum credidisses?“ Quare autem non? quae sunt divitiae, quas non egestas et fames et mendicitas a tergo sequatur? quae dignitas, cuius non praetextam et augurale et lora patricia sordes comitentur et exportatio, notae et mille maculae et extrema contemptio? quod regnum est, cui non parata sit ruina et proculcatio et dominus et carnifex? nec magnis ista intervallis divisa, sed horae momentum interest inter solium et aliena genua.

10 Scito ergo omnem condicionem versabilem esse et quic-

quid in ullum incurrit, posse in te quoque incurrere. Locuples es: numquid divitior *Ptolemaeo*? cui cum Caius, vetus cognatus, hospes novus, aperisset Caesaris domum, ut suam cluderet, defuit panis, aqua. cum tot flumina possideret in suo orientia, in suo cadentia, mendicavit stillicidia. fame ac siti periit in palatio cognati, dum illi heres publicum funus esurienti locat. Honoribus sum- 11  
 mis functus es: numquid aut tam magnis aut tam insperatis aut tam universis quam Seianus? quo die illum senatus deduxerat, populus in frustra divisit. in quem, quicquid congeri poterat, di hominesque contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret. Rex es: non ad 12  
 Croesum te mittam, qui rogum suum et escendit iussus et extingui vidit, factus non regno tantum, sed etiam morti suae superstes. non ad Iugurtham, quem populus Romanus intra annum, quam timuerat, spectavit. Ptolemaeum Africae regem, Armeniae Mithridaten inter Caianus custodias vidimus: alter in exilium missus est, alter ut meliore fide mitteretur, optabat. In tanta rerum sursum ac deorsum euntium versatione si non quicquid fieri potest, pro futuro habes, das in te vires rebus adversis, quas infregit, quisquis prior vidit.

XII. Proximum ab his erit, ne aut in super- 1  
 vacuis aut ex supervacuo laboremus, id est, ne quae aut non possumus consequi, concupiscamus, aut adepti vanitatem cupiditatum nostrarum sero post multum pudorem intellegamus. id est, ne aut labor inritus sit sine effectu aut effectus labore indignus. Fere enim ex his tristitia sequitur, si aut non successit aut successus pudet. Circumcidenda concursatio, qualis est ma- 2  
 gnae parti hominum domos et theatra et fora pererrantium. alienis se negotiis offerunt, semper aliquid agentibus similes. Horum si aliquem exeuntem e domo interrogaveris: „quo tu? quid cogitas?“ respondebit tibi: „non mehercules scio: sed aliquos videbo, aliquid agam.“ Sine proposito vagantur quaerentes negotia nec quae de- 3  
 stinaverunt agunt, sed in quae incucurrerunt. inconsultus illis vanusque cursus est, qualis formicis per arbusta re-

pentibus, quae in summum cacumen, deinde in imum  
 inanes aguntur: his plerique similem vitam agunt, quo-  
 4 rum non inmerito quis inquietam inertiam dixerit. Quo-  
 rumdam quasi ad incendium currentium misereris: usque  
 eo impellunt obvios et se aliosque praecipitant, cum in-  
 terim cucurrerunt aut salutaturi aliquem non resalutatu-  
 rum aut funus ignoti hominis prosecuturi, aut *ad* iudicium  
 saepe litigantis aut ad sponsalia saepe nubentis, et lecti-  
 cam adsectati quibusdam locis etiam tulerunt. deinde  
 domum cum supervacua redeunt lassitudine iurant ne-  
 scisse [se] ipsos, quare exierint, ubi fuerint, postero die  
 5 erraturi per eadem illa vestigia. Omnis itaque labor ali-  
 quo referatur, aliquo respiciat. Non industria inquietos,  
*sed* insanos falsae rerum imagines agitant. nam ne illi  
 quidem sine aliqua spe moventur: proritat illos alicuius  
 rei species, cuius vanitatem capta mens non coarguit.  
 6 Eodem modo unumquemque ex his, qui ad augendam  
 turbam exeunt, inanes et leves causae per urbem circum-  
 ducunt nihilque habentem, in quod laboret, lux orta ex-  
 pellit, et cum multorum frustra liminibus illisus nomen-  
 culatores persalutavit, a multis exclusus neminem ex om-  
 7 nibus difficilius domi quam se convenit. Ex hoc malo  
 dependet illud teterrimum vitium, auscultatio et  
 publicorum secretorumque inquisitio et mul-  
 tarum rerum scientia, quae nec tuto narrantur  
 nec tuto audiuntur.

1 XIII. Hoc secutum puto Democritum ita coepisse:  
*Qui tranquille volet vivere, nec privatim agat multa nec pu-  
 blice*, ad supervacua scilicet referentem. nam si neces-  
 saria sunt, et privatim et publice non tantum multa, sed  
 innumerabilia agenda sunt: ubi vero nullum officium  
 2 sollemne nos citat, inhibendae actiones. Nam  
 qui multa agit, saepe fortunae potestatem sui facit, quam  
 tutissimum est raro experiri, ceterum semper de illa co-  
 gitare et nihil sibi de fide eius promittere. „Navigabo,  
 nisi si quid inciderit.“ et „praetor fiam, nisi si quid ob-  
 stiterit.“ et „negotiatio mihi respondebit, nisi si quid  
 3 intervenerit.“ Hoc est quare sapienti nihil contra opinio-

nem dicamus accidere. non illum casibus hominum exce[r]pimus, sed erroribus, nec illi omnia ut voluit cedunt, sed ut cogitavit. inprimis autem cogitavit aliud posse propositis suis resistere. necesse est autem levius ad animum pervenire destitutae cupiditatis dolorem, cui successum non utique promiseris.

XIV. Faciles etiam nos facere debemus, ne 1  
nimis destinatis rebus indulgeamus, transeamusque in ea, in quae nos casus deduxerit, nec mutatione aut consilii aut status pertimescamus, dummodo nos levitas, inimicissimum quieti vitium, non excipiat. nam et pertinacia necesse est anxia et misera sit, cui fortuna saepe aliquid extorquet, et levitas multo gravior nusquam se continens. Utrumque infestum est tranquillitati, et nihil mutare posse et nihil pati. Utique animus ab 2  
omnibus externis in se revocandus est: sibi confidat, se gaudeat, sua suspiciat, recedat, quantum potest, ab alienis et se sibi adplicet, damna non sentiat, etiam adversa benigne interpretetur. Nuntiato naufragio Zenon noster, 3  
cum omnia sua audiret submersa: „iubet, inquit, me fortuna expeditius philosophari.“ Minabatur Theodoro philosopho tyrannus mortem et quidem insepultam: „habes, inquit, cur tibi placeas. hemina sanguinis in tua potestate est: nam quod ad sepulturam pertinet, o te ineptum, si putas mea interesse, supra terram an infra putrescam.“  
Kanus Iulius, vir inprimis magnus, cuius admirationi ne 4  
hoc quidem obstat, quod nostro seculo natus est, cum Caio diu altercatus, postquam abeunti Phalaris ille dixit: *ne forte inepta spe tibi blandiaris, duci te iussi: Gratius*, inquit, *ago, optime princeps*. Quid senserit dubito. multa 5  
enim mihi occurrunt: contumeliosus esse voluit et ostendere, quanta crudelitas esset, in qua mors beneficium erat? an exprobravit illi cotidianam dementiam? agebant enim gratias et quorum liberi occisi et quorum bona ablata erant. an tamquam libertatem libenter accepit? quicquid est, magno animo respondit. Dicit aliquis: „potuit 6  
post hoc iubere illum Caius vivere.“ Non timuit hoc Kanus. nota erat Caii in talibus imperiis fides. credisne illum

decem medios usque ad supplicium dies sine ulla sollicitudine exegisse? verisimile non est, quae vir ille dixerit, 7 quae fecerit, quam in tranquillo fuerit. Ludebat latrunculis, cum centurio agmen periturorum trahens illum quoque excitari iuberet. vocatus numeravit calculos et sodali suo: *vide*, inquit, *ne post mortem meam mentiaris te vicisse*. tum adnuens centurioni: *testis*, inquit, *eris uno me antecedere*. Lusisse tu Kanum illa tabula putas? inlu- 8 sit. Tristes erant amici talem amissuri virum: *quid moesti*, inquit, *estis? vos quaeritis an immortales animae sint: ego iam sciam*. nec desiit veritatem in ipso fine scrutari et ex 9 morte sua quaestionem habere. Prosequebatur illum philosophus suus nec iam procul erat tumultus, in quo Caesari deo nostro fiebat cotidianum sacrum. Is *quid*, inquit, *Kane, nunc cogitas? aut quae tibi mens est? Observare*, inquit Kanus, *proposui illo velocissimo momento an sensurus sit animus exire se*. promisitque, si quid explorasset, circumiturum amicos et indicaturum, quis esset animarum 10 status. Ecce in media tempestate tranquillitas. ecce animus aeternitate dignus, qui fatum suum in argumentum veri vocat, qui in ultimo illo gradu positus exeuntem animam percunctatur nec usque ad mortem tantum, sed aliquid etiam ex ipsa morte discit: nemo diutius philosophatus. Sed non raptim relinquetur magnus vir et cum cura dicendus: dabimus te in omnem memoriam, clarissimum caput, Caianae cladis magna portio!

1 XV. Sed nihil prodest privatae tristitiae causas abie-  
cisse. occupat enim nonnumquam odium generis humani  
et occurrit tot scelerum felicium turba, cum cogitaveris,  
quam sit rara simplicitas et quam ignota innocentia et vix  
umquam, nisi cum expedit, fides, et libidinis lucra dama-  
naque pariter invisae et ambitio usque eo iam se suis non  
continens terminis, ut per turpitudinem splendeat: agitur  
animus in noctem et velut eversis virtutibus, quas nec  
sperare licet nec habere prodest, tenebrae oboriuntur.  
2 In hoc itaque flectendi sumus, ut omnia vulgi  
vitia non invisae nobis, sed ridicula videantur  
et Democritum potius imitemur quam Heraclitum. hic

enim, quotiens in publicum processerat, flebat, ille ridebat. huic omnia, quae agimus, miseriae, illi ineptiae videbantur: elevanda ergo omnia et facili animo ferenda. Humanius est deridere vitam quam deplorare. Adice quod 3 de humano quoque genere melius meretur qui ridet illud, quam qui luget: ille et spei bonae aliquid relinquit, hic autem stulte deflet, quae corrigi posse desperat. et universa contemplatus maioris animi est, qui risum non tenet quam qui lacrimas, quando levissimum adfectum animi movet et nihil magnum, nihil severum, ne miserum quidem ex tanto paratu putat. Singula propter quae laeti 4 ac tristes sumus, sibi quisque proponat et sciet verum esse quod Bion dixit: omnia hominum negotia similia initiis esse nec vitam illorum magis sanctam aut severam esse quam conceptum nihilo natum\*. Sed satius est publicos mores et humana vitia placide accipere nec in risum nec in lacrimas excidentem. nam alienis malis torqueri aeterna miseria est, alienis delectari malis voluptas inhumana: sicut illa inutilis humanitas flere, quia aliquis filiam efferat, et frontem suam fingere. In 6 suis quoque malis ita gerere se oportet, ut dolor tantum des, quantum poscit, non quantum consuetudo. plerique enim lacrimas fundunt, ut ostendant, et totiens siccos oculos habent, quotiens spectator defuit, turpe iudicantes non flere, cum omnes faciant. adeo penitus hoc se malum fixit, ex aliena opinione pendere, ut in simulationem etiam res simplicissima, dolor, veniat.

XVI. Sequetur pars, quae solet non inmerito 1 contristare et in sollicitudinem adducere, ubi bonorum exitus mali sunt: ut Socrates cogitur in carcere mori, Rutilius in exilio vivere, Pompeius et Cicero clientibus suis praebere cervicem, Cato ille, virtutum viva imago, incumbens gladio simul de se ac de republica palam facere. Necesse est torqueri tam iniqua praemia fortunam persolvere: et quid sibi quisque nunc speret, cum videat pessima optimos pati? Quid ergo est? 2 vide quomodo quisque illorum tulerit, et si fortes fuerunt, ipsorum illos animos desidera. si muliebriter et

ignave perierunt, nihil periit. aut digni sunt, quorum virtus tibi placeat, aut indigni, quorum desideretur ignavia. quid enim est turpius quam si maximi viri timidos fortiter moriendo faciunt? Laudemus totiens dignum laudibus et dicamus: tanto fortior, tanto felicior! homines effugisti, casus, livorem, morbum. existi ex custodia. non tu dignus mala fortuna dis visus es, sed indignus, in quem iam aliquid fortuna posset. Subducentibus vero se et in ipsa morte ad vitam respectantibus manus iniciendae sunt. Neminem flebo laetum, neminem flentem: ille lacrimas meas ipse abstersit, hic suis lacrimis effecit, ne ullis dignus sit. Ego Herculem fleam, quod vivus uritur, aut Regulum, quod tot clavis transfigitur, aut Catonem, quod volnera sua *iterat*? Omnes isti levi temporis impensa invenerunt, quomodo aeterni fierent, et ad immortalitatem moriendo venerunt.

1 XVII. Est et illa sollicitudinum non mediocris materia, si te anxie componas nec ullis simpliciter ostendas, qualis multorum vita est, ficta, ostentationi parata. torquet enim adsidua observatio sui et deprehendi aliter ac solet, metuit, nec unquam cura solvimur, ubi totiens nos aestimari putamus, quotiens adspici. Nam et multa incidunt, quae invitos denudent, et, ut bene cedat tanta sui diligentia, non tamen iucunda vita aut segura est semper sub persona viventium. At illa quantum habet voluptatis sincera et per se inornata simplicitas, nihil obtendens moribus suis? Subit tamen et haec vita contemptus periculum, si omnia omnibus patent. sunt enim qui fastidiant, quicquid propius adierunt. sed nec virtuti periculum est, ne admota oculis revilescat, et satius est simplicitate contemni quam perpetua simulatione torqueri. Modum tamen rei adhibeamus: multum interest, simpliciter vivas an neglegenter. Multum et in se recedendum est: conversatio enim dissimilium bene composita disturbat et renovat adfectus et quicquid inbecillum in animo nec percuratum est, exulcerat. Miscenda tamen ista et alternanda sint, solitudo et frequentia: illa nobis faciet hominum



desiderium, haec nostri, et erit altera alterius remedium. odium turbae sanabit solitudo, taedium solitudinis turba. Nec in eadem intentione aequaliter retinenda <sup>4</sup> mens est, sed ad iocos devocanda. Cum puerulis Socrates ludere non erubescerat, et Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum, et Scipio triumphale illud ac militare corpus movit ad numeros, non molliter se infringens, ut nunc mos est etiam incessu ipso ultra muliebrem mollitiam fluentibus, sed ut antiqui illi viri solebant inter lusum ac festa tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiamsi ab hostibus suis spectarentur. Danda est animis remissio: meliores <sup>5</sup> acrioresque requieti surgent. ut fertilibus agris non est imperandum, cito enim illos exhauriet numquam intermissa fecunditas, ita animorum inpetus adsiduus labor franget. vires recipient paulum resoluti et emissi. nascitur ex adsiduitate laborum animorum hebetatio quaedam et languor. Nec ad hoc tanta hominum cupiditas tenderet, <sup>6</sup> nisi naturalem quamdam voluptatem haberet lusus iocusque. quorum frequens usus omne animis pondus omnemque vim eripiet: nam et somnus refectioni necessarius est: hunc tamen semper si *per* diem noctemque continues, mors erit. multum interest, remittas aliquid, an solvas. Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad <sup>7</sup> hilaritatem homines publice cogerentur, tamquam necessarium laboribus interponentes temperamentum. et magni, ut dixi, viri quidam sibi menstruas certis diebus ferias dabant, quidam nullum non diem inter otium et curas dividebant. qualem Pollionem Asinium [oratore[m] magnum] meminimus, quem nulla res ultra decumam retinuit. ne epistulas quidem post eam horam legebat, ne quid novae curae nasceretur, sed totius diei lassitudinem duabus illis horis ponebat. quidam medio die interiunxerunt et in postmeridianas horas aliquid levioris operae distulerunt. maiores quoque nostri novam relationem post horam decimam in senatu fieri vetabant. miles vigiliis dividit et nox inmundis est ab expeditione redeuntium. Indulgendum est <sup>8</sup> animo dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium

- loco sit. et in ambulationibus apertis vagandum, ut coelo libero et multo spiritu augeat adtollatque se animus. aliquando vectatio iterque et mutata regio vigorem dabunt convictusque et liberalior potio. nonnumquam et usque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, sed ut deprimat. eluit enim curas et ab imo animum movet et ut morbis quibusdam ita tristitiae medetur. Liberque non ob licentiam linguae dictus est inventor vini, sed quia liberat servitio curarum animum et adserit vegetatque et
- 9 audacior in omnes conatus facit. Sed ut libertatis ita vini salubris moderatio est. Solonem Arcesilaumque indulsisse vino credunt. Catoni ebrietas obiecta est. facilius efficiet, quisquis obiecerit, hoc crimen honestum quam turpem Catonem. Sed nec saepe faciendum est, ne animus malam consuetudinem ducat, et aliquando tamen in exultationem libertatemque extrahendus tristisque so-
- 10 brietas removenda paulisper. Nam sive Graeco poetae credimus: „aliquando et insanire iucundum est,“ sive Platoni: „frustra poeticas fores compos sui pepulit,“ sive Aristoteli: „nullum magnum ingenium sine mixtura demetiae fuit.“ non potest grande aliquid et super ceteros
- 11 loqui nisi motamens. cum volgaria et solita contempsit instinctuque sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. non potest sublime quicquam et in arduo positum contingere, quamdiu apud se est: desciscat oportet a solito et efferatur et mordeat frenos et rectorem rapiat suum eoque ferat, quo per se timisset escendere.
- 12 Habes, Serene carissime, quae possint tranquillitatem tueri, quae restituere, quae subrepentibus vitiis resistent: illud tamen scito, nihil horum satis esse validum rem inbecillam servantibus, nisi intenta et adsidua cura circumit animum labentem.
-

L. ANNAEI SENECAE  
DIALOGORUM LIBER X.

AD PAULINUM  
DE BREVITATE VITAE.

---

I. Maior pars mortalium, Pauline, de naturae 1  
malignitate conqueritur, quod in exiguum  
aevi gignimur, quod haec tam velociter, tam rapide  
dati nobis temporis spatia decurrant, adeo ut exceptis  
admodum paucis ceteros in ipso vitae adparatu vita de-  
stituatur. nec huic publico, ut opinantur, malo turba tantum  
et impudens vulgus ingemuit. clarorum quoque viro-  
rum hic adfectus querelas evocavit: inde illa maximi me-  
dicorum exclamatio est: „vitam brevem esse, longam  
artem.“ inde Aristotelis cum rerum natura exigentis mi- 2  
nime conveniens sapienti viro lis est. ait: *iniustam* ani-  
malibus tantum indulsisse, ut quina aut dena secula edu-  
[ce]rent: homini in tam multa ac magna genito tanto cite-  
riorem terminum stare.“ Non exiguum temporis 3  
habemus, sed multum perdidimus. satis longa  
vita et in maximarum rerum consummationem large data  
est, si tota bene collocaretur. sed ubi per luxum ac ne-  
glegentiam diffluit, ubi nullae bonae rei inpenditur, ulti-  
ma demum necessitate cogente, quam ire non intellexi-  
mus, transisse sentimus. Ita est, non accepimus brevem 4  
vitam, sed fecimus, nec inopes eius, sed prodigi sumus.  
Sicut amplae et regiae opes ubi ad malum dominum per-  
venerunt, momento dissipantur, at quamvis modicae si  
bono custodi traditae sunt, usu crescunt: ita aetas nostra  
bene disponenti multum patet.

II. Quid de rerum natura querimus? illa se benigne 1  
gessit. vita, si uti scias, longa est. Alium insatiabilis te-  
net avaritia, alium in supervacuis laboribus operosa  
sedulitas. alius vino madet. alius inertia torpet. alium

defatigat ex alienis iudiciis suspensa semper ambitio. alium mercandi praeceptus cupiditas circa omnis terras, omnia maria spe lucri ducit. quosdam torquet cupido militiae numquam non aut alienis periculis intentos aut suis anxios. sunt quos ingratus superiorum cultus voluntaria  
 2 servitute consumat. multos aut adfectatio alienae fortunae aut suae [*cura*] detinuit. plerosque nihil certum sequentis vaga et inconstans et sibi displicens levitas per nova consilia iactavit. quibusdam nihil, quo cursum dirigant, placet, sed marcentis oscitantisque fata deprehendunt, adeo ut quod apud maximum poetarum more oraculi dictum est, verum esse non dubitem:

*exigua pars est vitae qua [nos] vivimus.*

ceterum quidem omne spatium non vita, sed tempus est.  
 3 Urgentia circumstant vitia undique nec resurgere aut in dispectum veri ad tollere oculos sinunt, *sed* mersos et in cupiditatem infixos premunt. numquam illis recurrere ad se licet. si quando aliqua fortuito quies contigit, veluti profundo mari, in quo post ventum quoque volutatio est, fluctuantur nec umquam illis a cupiditatibus suis otium  
 4 instat. De istis me putas disserere, quorum in confesso mala sunt? adspice illos, ad quorum felicitatem concurritur: bonis suis effocantur. Quam multis divitiae graves sunt? quam multorum eloquentia cotidiano ostentandi ingenii spatio sanguinem educit? quam multi continuis voluptatibus pallent? quam multis nihil liberi relinquit circumfusis clientium populus? omnis denique istos ab infimis usque ad summos pererrant: hic advocat, hic adest. ille periclitatur, ille defendit, ille iudicat. nemo se sibi vindicat. alius in alium consumimur. interroga de istis, quorum nomina ediscuntur: his illos dignosci videbis notis: „ille  
 5 illius cultor est, hic illius.“ suus nemo est. Deinde dementissima quorundam indignatio est. queruntur de superiorum fastidio, quod ipsis adire volentibus non vacaverint: audet quisquam de alterius superbia queri, qui sibi ipse numquam vacat? Ille tamen te, quisquis est, insolenti quidem voltu, sed aliquando respexit. ille aures suas ad tua verba demisit. ille te ad latus suum recepit: tu non

inspicere te umquam, non audire dignatus es. Non est itaque, quod ista officia cuiquam inpu-tes, quoniam quidem, cum illa faceres, non esse cum aliquo volebas, sed tecum esse non poteras.

III. Omnia licet, quae umquam ingenia fulserunt, in hoc unum consentiant, numquam satis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur: praedia sua occupari a nullo patiuntur et, si exigua contentio est de modo finium, ad lapides et arma discurrunt: in vitam suam incedere alios sinunt, immo vero ipsi etiam possessores eius futuros inducunt. nemo invenitur, qui pecuniam suam dividere velit: vitam unusquisque quam multis distribuit? adstricti sunt in continendo patrimonio: simul ad iacturam temporis ventum est, profusissimi in eo, cuius unius honesta avaritia est. Libet itaque ex seniorum turba comprehendere aliquem: „pervenisse te ad ultimum aetatis humanae videmus. centesimus tibi vel supra premitur annus: agedum, ad computationem aetatem tuam revoca. dic, quantum ex isto tempore creditor, quantum amica, quantum rex, quantum cliens abstulerit. quantum lis uxoria, quantum servorum coercitio, quantum officiosa per urbem discursatio. adice morbos, quos manu fecimus. adice quod et sine usu iacuit: videbis te pauciores annos habere quam numeras. Repete memoria tecum, quando certus consilii fueris, quotus quisque dies ut destinaveras recesserit, quando tibi usus tui fuerit, quando in statu suo voltus, quando animus intrepidus, quid tibi in tam longo aevo facti operis sit, quam multi vitam tuam diripuerint te non sentiente, quid perderes, quantum vanus dolor, stulta laetitia, avida cupiditas, blanda conversatio abstulerit, quam exiguum tibi de tuo relictum sit: intelleges te inmaturum mori.“ Quid ergo est in causa? tamquam semper victuri vivitis. numquam vobis fragilitas vestra succurrit. non observatis, quantum iam temporis transierit. velut ex pleno et abundanti perditis, cum interim fortasse ille ipse qui alicui vel homini vel rei donatur dies ultimus sit. Omnia tamquam mortales timetis, omnia tamquam immortales con-

5 cupiscitis. Audies plerosque dicentes: „a quinquagesimo anno in otium secedam. sexagesimus me annus ab officiis dimittet.“ et quem tandem longioris vitae praedem accipis? quis ista sicut disponis ire patietur? non pudet te reliquias vitae tibi reservare et id solum tempus bonae menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? quam serum est tunc vivere incipere, cum desinendum est? quae tam stulta mortalitatis oblivio in quinquagesimum et sexagesimum annum differre sana consilia et inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt?

- 1 IV. Potentissimis et in altum sublatis hominibus excidere voces videbis, quibus otium optent, laudent, omnibus bonis suis praeferant. cupiunt interim ex illo fastigio suo, si tuto liceat, descendere. nam ut nihil extra lacessat aut quatiat, in se ipsa fortuna ruit.
- 2 Divus Augustus, cui di plura quam ulli praestiterunt, non desiit quietem sibi precari et vacationem a republica petere. omnis eius sermo ad hoc semper revolutus est, ut speraret otium. hoc labores suos, etiamsi falso, dulci
- 3 tamen oblectabat solatio, aliquando se victurum sibi. In quadam ad senatum missa epistula, cum requiem suam non vacuum fore dignitatis nec a priore gloria discrepantem pollicitus esset, haec verba inveni: *Sed ista fieri speciosius quam promitti possunt. me tamen cupido temporis optatissimi mihi provexit, ut quoniam rerum laetitia moratur adhuc, perciperem aliquid voluptatis ex verborum dul-*
- 4 *cedine.* Tanta visa est res otium, ut illam, quia usu non poterat, cogitatione praesumeret. qui omnia videbat ex se uno pendentia, qui hominibus gentibusque fortunam dabat, illum diem laetissimus cogitabat, quo magnitudinem suam exueret. expertus erat, quantum illa bona per omnis terras fulgentia sudoris exprimerent, quantum oc-
- 5 cultarum sollicitudinum tegerent: cum civibus primum, deinde cum collegis, novissime cum adfinibus coactus armis decernere mari terraque sanguinem fudit: per Macedoniam, Siciliam, Aegyptum, Syriam Asiamque et omnis prope oras bello circumactus Romana caede lassos exercitus ad externa bella convertit. dum Alpes pla-

cat inmixtosque mediae paci et imperio hostes perdomat, dum ultra Rhenum et Euphraten et Danubium terminos movet, in ipsa urbe Murenæ, Caepionis, Lepidi, Egnatorum in eum mucrones acuebantur. Nondum horum 6 effugerat insidias: filia et tot nobiles iuvenes adulterio velut sacramento adacti iam infractam aetatem territabant. plusque et iterum timenda cum Antonio mulier. haec ulcera cum ipsis membris absciderat: alia subnascebantur. velut [intra] grave multo sanguine corpus partes semper aliquae rumpebantur. Itaque otium optabat. in huius spe et cogitatione labores eius residebant. hoc votum erat eius, qui voti conpotes facere poterat.

V. Marcus Cicero inter Catilinas, Clodios iactatus 1 Pompeiosque et Crassos, partim manifestos inimicos, partim dubios amicos, dum fluctuatur cum republica et illam pessum euntem tenet, novissime abductus, nec secundis rebus quietus nec adversarum patiens, quotiens illum ipsum consulatum suum non sine causa, sed sine fine laudatum detestatur? Quam flebiles voces exprimit 2 in quadam ad Atticum epistula iam victo patre Pompeio, adhuc filio in Hispania fracta arma refovente? *Quid agam*, inquit, *hic quaeris? moror in Tusculano meo semiliber*. alia deinceps adicit, quibus et priorem aetatem conplorat et de praesenti queritur et de futura desperat. Semiliberum se dixit Cicero: at mehercules numquam sapiens in tam humile nomen procedet, numquam semiliber erit, integrae semper libertatis et solidae, solutus, et sui iuris et altior ceteris. quid enim supra eum potest esse, qui supra fortunam est?

VI. Livius Drusus, vir acer et vehemens, cum leges 1 novas et mala Gracchana movisset, stipatus ingenti totius Italiae coetu, exitum rerum non pervidens, quas nec agere licebat nec iam liberum erat semel inchoatas relinquere, exsecratus inquietam a primordiis vitam dicitur dixisse: „uni sibi ne puero quidem umquam ferias contigisse.“ Ausus est enim et pupillus adhuc et praetextatus iudicibus reos commendare et gratiam suam foro interponere tam efficaciter quidem, ut quaedam iudicia

2 constet ab illo rapta. Quo non erumperet tam inmatura  
ambitio? scires in malum ingens et privatum et publicum  
evasuram praecoquem audaciam. sero itaque querebatur  
nullas sibi ferias contigisse a puero seditiosus et foro  
gravis. Disputatur, an ipse sibi manus adtulerit. subito  
enim vulnere per inguen accepto conlapsus est, aliquo  
3 pestiva. Supervacuum est commemorare plures, qui  
cum aliis felicissimi viderentur, ipsi in se verum testimo-  
nium dixerunt, perosi omnem actum annorum suorum.  
sed his querelis nec alios mutaverunt nec se ipsos. nam  
cum verba eruperunt, adfectus ad consuetudinem rela-  
4 buntur. Vestra mehercules vita, licet supra mille annos  
exeat, in artissimum contrahetur. ista vitia nullum non  
seculum devorabunt: hoc vero spatium quod, quamvis  
natura currit, ratio dilatat, cito vos effugiat necesse est.  
non enim adprehenditis nec [retinetis] velocissimae  
omnium rei moram facitis, sed abire ut rem supervacua  
ac reparabilem sinitis.

1 VII. In primis autem et illos numero, qui  
nulli rei nisi vino ac libidini vacant. nulli enim  
turpius occupati sunt. ceteri etiamsi vana gloriae imagine  
teneantur, speciose tamen errant. licet avaros mihi, licet  
iracundos enumeres vel odia exercentes iniusta vel bella:  
omnes isti virilius peccant: in Venerem ac libidinem pro-  
2 iectorum inhonesta tabes est. Omnia istorum tempora  
excute. adspice quamdiu computent, quamdiu insidien-  
tur, quamdiu timeant, quamdiu colant, quamdiu colantur,  
quantum vadimonia sua atque aliena occupent, quantum  
convivia, quae iam ipsa officia sunt: videbis, quemad-  
modum illos respirare non sinant vel mala sua vel bona.  
3 Denique inter omnes convenit nullam rem bene exerceri  
posse ab homine occupato, non eloquentiam, non liberales  
disciplinas, quando districtus animus nihil altius recipit,  
sed omnia velut inculcata respuit. Nihil minus est  
hominis occupati quam vivere. nullius rei  
difficilior scientia est. professores aliarum artium  
volgo multique sunt. quasdam vero ex his pueri admo-



dum ita percepisse visi sunt, ut etiam praecipere possent: vivere tota vita discendum est et, quod magis fortasse mirabere, tota vita discendum est mori. Tot maximi 4 viri relictis omnibus impedimentis, cum divitiis, officiis, voluptatibus renuntiassent, hoc unum in extremam usque aetatem egerunt, ut vivere scirent: plures tamen ex his nondum se scire confessi vita abierunt, nedum ut isti sciant. Magni, mihi crede, et supra humanos errores 5 eminentis viri est nihil ex suo tempore delibari sinere. et ideo eius vita longissima est, quia, quantumcumque patuit, totum ipsi vacavit. nihil inde incultum otiosumque [vacavit], nihil sub alio fuit. neque enim quicquam reperit dignum, quod cum tempore suo permutaret custos eius parcissimus. itaque satis illi fuit: iis vero necesse est defuisse, ex quorum vita multum populus tulit. Nec 6 est quod putes hinc illos aliquando intellegere damnum suum: plerosque certe audies ex his, quos magna felicitas gravat, inter clientium greges aut causarum actiones aut ceteras honestas miserias exclamare interdum: „vivere mihi non licet.“ Quidni non liceat? omnes illi, qui 7 te sibi advocant, tibi abducunt. Ille reus quot dies abstulit? quot ille candidatus? quot illa anus efferendis heredibus lassa? quot ille ad irritandam avaritiam captantium simulatus aeger? quot ille potentior amicus, qui vos non in amicitiam, sed in adparatum habet? Dispunge, inquam, et recense vitae tuae dies: videbis paucos admodum et reiculos apud te resedis. Adsecutus ille quos 8 optaverat fasces cupit ponere et subinde dicit: „quando hic annus praeteribit?“ Facit ille ludos, quorum sortem sibi obtingere magno aestimavit: „quando, inquit, istos effugiam?“ Diripitur ille toto foro patronus et magno concursu omnia ultra, quam audiri potest, conplet: „quando, inquit, res proferentur?“ Praecipitat quisque vitam suam et futuri desiderio laborat, praesentium taedio. At 9 ille qui nullum non tempus in usus suos confert, qui omnes dies tamquam vitam ordinat, nec optat crastinum nec timet. Quid enim est, quod iam ulla hora novae voluptatis possit adferre? omnia nota, omnia ad satietatem

percepta sunt. de cetero fors fortuna, ut volet, ordinet: vita iam in tuto est. huic adici potest, detrahi nihil, et adici sic, quemadmodum saturo iam ac pleno aliquid cibi: 10 quod nec desiderat, capit. Non est itaque quod quemquam propter canos aut rugas putes diu vixisse: [non ille diu vixit, sed] diu fuit. Quid enim, si illum multum putes navigasse, quem saeva tempestas a portu exceptum huc et illuc tulit ac vicibus ventorum ex diverso furentium per eadem spatia in orbem egit? non ille multum navigavit, sed multum iactatus est.

1 VIII. Mirari soleo, cum video aliquos tempus petentes et eos, qui rogantur, facillimos: illud uterque spectat, propter quod tempus petatum est, ipsum quidem neuter. quasi nihil petitur, quasi nihil datur res omnium pretiosissima: ludatur. Fallit autem illos, quia res incorporalis est, quia sub oculos non venit, ideoque vilissima aestimatur, immo paene nullum eius pretium est. Annua congiaria homines clarissimi accipiunt et [in] his aut operam aut diligentiam suam locant: nemo aestimat tempus. utuntur illo laxius quasi gratuito. at eosdem aegros vide, si mortis periculum propius est admotum, medicorum genua tangentes. si metuunt capitale supplicium, omnia sua, ut vivant paratos impendere: tanta in illis discordia 3 adfectuum est. Quodsi posset quemadmodum praeteritorum annorum cuiusque numerus proponi, sic futurorum: quomodo illi, qui paucos viderent superesse, trepidarent, quomodo illis parcerent? Atqui facile est quamvis exiguum dispensare, quod certum est: id debet servari 4 diligentius, quod nescias quando deficiat. Nec est tamen, quod putes illos ignorare, quam cara res sit: dicere solent eis, quos valdissime diligunt, paratos se partem annorum suorum dare. dant nec intellegunt: dant autem ita, ut sine illorum incremento sibi detrahant. sed hoc ipsum, an detrahant, nesciunt. ideo tolerabilis est illis 5 iactura detrimenti latentis. Nemo restituet annos, nemo iterum te tibi reddet. ibit, qua coepit, aetas nec cursum suum aut revocabit aut supprimet. nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis suae: tacita labetur. non illa

se regis imperio, non favore populi longius proferet: sicut missa est a primo die, curret. nusquam devertetur, nusquam remorabitur. Quid fiet? tu occupatus es, vita festinat: mors interim aderit, cui, velis nolis, vacandum est. Potestne quicquam —? \* \* \*

IX. Sensus hominum, eorum dico, qui prudentiam iactant, operosius occupati sunt: ut melius possint vivere, inpendio vitae vitam instruunt, cogitationes suas in longum ordinant. Maxima porro vitae iactura dilatio est: illa primum quemque extrahit diem, illa eripit praesentia, dum ulteriora promittit. maximum vivendi impedimentum est expectatio, quae pendet ex crastino, perdit hodiernum: quod in manu fortunae positum est, disponis, quod in tua, dimittis. Quo spectas, quo te extendis? omnia quae ventura sunt, in incerto iacent: protinus vive. Clamat ecce maximus vates et velut divino ore instinctus salutare carmen canit:

*optima quaeque dies miseris mortalibus aevi  
prima fugit.*

Quid cunctaris, inquit, quid cessas? nisi occupas, fugit. et cum occupaveris, tamen fugiet. itaque cum celeritate temporis utendi velocitate certandum est et velut ex torrenti rapido nec semper ituro cito hauriendum. Hoc quoque pulcherrime ad exprobrandam infinitam cogitationem, quod non optimam quamque aetatem, sed diem dicit. quid securus et in tanta temporum fuga lentus mentes tibi et annos et longam seriem, utcumque aviditati tuae visum est, exporrigis? de die tecum loquitur et de hoc ipso fugiente. Non dubium est ergo, quin prima quaeque optima dies fugiat mortalibus miseris, id est occupatis: quorum pueriles adhuc animos senectus opprimit, ad quam inparati inermesque perveniunt. nihil enim provisum est: subito in illam necopinantes inciderunt. accedere eam cotidie non sentiebant. Quemadmodum aut sermo aut lectio aut aliqua intentior cogitatio iter facientis decipit et pervenisse se ante sciunt quam adpropinquasse: sic hoc iter vitae adsiduum et ci-

tatissimum, quod vigilantes dormientesque eodem gradu facimus, occupatis non adparet nisi in fine.

- 1 X. Quod proposui si in partes velim et argumenta diducere, multa mihi occurrent, per quae probem brevissimam esse occupatorum vitam. Solebat dicere Fabianus, non ex his cathedra-riis philosophis, sed ex veris et antiquis: *Contra adfectus inpetu, non subtilitate pugnandum, nec minutis vulneribus, sed incursu avertendam aciem non probam: cavillationes enim contundi debere, non vellicari.* Tamen ut illis error exprobretur suus, docendi, non tantum deplorandi sunt.
- 2 In tria tempora vita dividitur: quod fuit, quod est, quod futurum est. ex his quod agimus, breve est, quod acturi sumus, dubium, quod egimus, certum. hoc est enim, in quod fortuna ius perdidit, quod in nullius arbitrium reduci potest. hoc amittunt occupati. nec enim illis vacat praeterita respicere, et si vacet, iniucunda est
- 3 poenitendae rei recordatio. inviti itaque ad tempora male exacta animum revocant nec audent ea retemptare, quorum vitia, etiam quae aliquo praesentis voluptatis lenocinio subripiiebantur, retractando patescunt. Nemo, nisi a quo omnia acta sunt sub censura sua, quae numquam
- 4 fallitur, libenter se in praeteritum retorquet. Ille qui multa ambitiose concupiit, superbe contempsit, inpotenter vicit, insidiose decepit, avare rapuit, prodige effudit, necesse est memoriam suam timeat: atqui haec est pars temporis nostri sacra ac dedicata, omnis humanos casus supergressa, extra regnum fortunae subducta, quam non inopia, non metus, non morborum incursus exagitet. haec nec turbari nec eripi potest: perpetua eius et intrepida possessio est. singuli tantum dies, et hi per momenta, praesentes sunt: at praeteriti temporis omnes, cum iusseritis, aderunt, ad arbitrium tuum inspici se ac
- 5 detineri patientur, quod facere occupatis non vacat. Securae et quietae mentis est in omnes vitae suae partes discurrere: occupatorum animi, velut sub iugo sint, flectere se ac respicere non possunt. abit igitur vita eorum in profundum et ut nihil prodest, licet quantum libet in-

geras, si non subest, quod excipiat ac servet, sic nihil refert quantum temporis detur, si non est, ubi subsidatur per quassos foratosque animos transmittitur. Praesens tempus brevissimum est, adeo quidem, ut quibusdam nullum videatur. in cursu enim semper est, fluit et praecipitatur. ante desinit esse quam venit, nec magis moram patitur quam mundus aut sidera, quorum inrequieta semper agitatio numquam in eodem vestigio manet. Solum igitur ad occupatos praesens pertinet tempus, quod tam breve est, ut adripi non possit, et id ipsum illis districtis in multa subducitur.

XI. Denique vis scire quam non diu vivant? vide quam cupiant diu vivere. Decrepiti senes paucorum annorum accessionem votis mendicant. minores natu ipsos esse fingunt. mendacio sibi blandiuntur et tam libenter se fallunt quam si una fata decipiant. Iam vero cum illos aliqua inbecillitas mortalitatis admonuit, quemadmodum paventes moriuntur, non tamquam exeant de vita, sed tamquam extrahantur. stultos se fuisse, ut non vixerint, clamitant et, si modo evaserint ex illa valitudine, in otio victuros. tunc quam frustra paraverint, quibus non fruerentur, quam in cassum omnis ceciderit labor, cogitant. At quibus vita procul ab omni negotio agitatur, quidni spatiosa sit? nihil ex illa delegatur, nihil alio atque alio spargitur, nihil inde fortunae traditur, nihil negligentia interit, nihil largitione detrahitur, nihil supervacuum est: tota, ut ita dicam, in reditu est. quantumque itaque abunde sufficit et ideo, quandoque ultimus dies venerit, non cunctabitur sapiens ire ad mortem certo gradu.

XII. Quaeris fortasse, quos occupatos vocem? non est quod me solos putes dicere, quos a basilica inmissi demum canes eiciunt, quos aut in sua vides turba speciosius elidi aut in aliena contemptius, quos officia domibus suis evocant, ut alienis foribus inlidant, [quos] hasta praetoris infami lucro et quandoque suppuratione exercet. Quorumdam otium occupatum est: in villa aut in lecto suo, in media solitudine, quam-

vis ab omnibus recesserint, sibi ipsi molesti sunt: quorum non otiosa vita dicenda est, sed desidiosa occupatio.

1 Illum tu otiosum vocas qui Corinthia, paucorum furore pretiosa, anxia subtilitate concinnat et maiorem dierum partem in aeruginosis lamellis consumit? qui in ceromate (nam, pro facinus, ne Romanis quidem vitiis laboramus) sectator puerorum rixantium sedet? qui vinctorum suorum greges in aetatium et colorum paria diducit?

3 qui athletas novissimos pascit? Quid? illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multae horae transmittuntur, dum decerpitur, si quid proxima nocte succrevit, dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut disiecta coma restituitur aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur? quomodo irascuntur, si tonsor paulo neglegentior fuit, tamquam virum tonderet? quomodo excandescunt, si quid ex iuba sua decisum est, si quid extra ordinem iacuit, nisi omnia in anulos suos reciderunt? quis est istorum qui non malit rempublicam suam turbari quam comam? qui non sollicitior sit de capitis sui decore quam de salute? qui non comptior esse malit quam honestior? hos tu otiosos vocas inter pectinem speculumque occupatos?

4 Quid illi? [*qui*] in componendis, audiendis, dicendis canticis operati sunt, dum vocem, cuius rectum cursum natura et optimum et simplicissimum fecit, inflexu modulationis inertissimae torquent, quorum digili aliquod intra se carmen metientes semper sonant, quorum, cum ad res serias, etiam saepe tristes adhibiti sunt, exauditur tacita modulatio: non habent isti otium,

5 sed iners negotium. Convivia mehercules horum non posuerim inter vacantia tempora, cum videam, quam solliciti argentum ordinent. quam diligenter exoletorum suorum tunicas succingant. quam suspensi sint, quomodo aper a coco exeat, qua celeritate signo dato glabri ad ministeria discurrant, quanta arte scindantur aves in frustra non enormia, quam curiose infelices pueruli ebriorum sputa detergeant: ex his elegantiae lautitiaeque fama captatur et usque eo in omnes vitae secessus mala sua illos sequuntur, ut nec bibant sine ambitione nec edant.

Ne illos quidem inter otiosos numeraveris, qui sella se et 6  
lectica huc et illuc ferunt et ad gestationum suarum,  
quasi deserere illas non liceat, horas occurrunt. quos  
quando lavari debeant, quando natare, quando coenare,  
alius admonet, et usque eo nimio delicati animi languore  
solvuntur, ut per se scire non possint, an esuriant. Au- 7  
dio quemdam ex delicatis, si modo deliciae vocandae  
sunt vitam et consuetudinem humanam dediscere, cum ex  
balneo inter manus elatus et in sella positus esset, dixisse  
interrogando: „iam sedeo?“ Hunc tu ignorantem, an  
sedeat, putas scire an vivat, an videat, an otiosus sit?  
non facile dixerim, utrum magis miserear, si hoc ignora-  
vit, an si ignorare se finxit. Multarum quidem rerum 8  
oblivionem sentiunt, sed multarum et imitantur. quaedam  
vitia illos, quasi felicitatis argumenta, delectant. nimis  
humilis et contempti hominis videtur scire quid faciat:  
i nunc et mimos multa mentiri ad exprobrandam luxuriam  
puta. plura mehercules praetereunt quam fingunt et tanta  
incredibilium vitiorum copia ingenioso in hoc unum se-  
culo processit, ut iam mimorum arguere possimus negle-  
gentiam. esse aliquem, qui usque eo deliciis interierit,  
ut an sedeat alteri credat? Non est ergo hic otiosus. aliud 9  
nomen inponas: aeger est, immo mortuus est. Ille otio-  
sus est, cui otii sui et sensus est: hic vero semivivus, cui  
ad intellegendos corporis sui habitus indice opus est.  
quomodo potest hic ullius temporis dominus esse?

XIII. Persequi singulos longum est, quorum aut la- 1  
trunculi aut pila aut excoquendi in sole corpo-  
ris cura consumpsere vitam. Non sunt otiosi, quorum  
voluptates multum negotii habent. Nam de illis nemo  
dubitabit, quin operose nihil agant, qui literarum inu-  
tilium studiis detinentur, quae iam apud Romanos  
quoque magna manus est. Graecorum iste morbus fuit 2  
quaerere, quem numerum Ulixes remigum habuisset.  
prior scripta esset Ilias an Odyssea. praeterea an eius-  
dem esset auctoris. alia deinceps huius notae, quae sive  
contineas, nihil tacitam conscientiam iuvant, sive profe-  
ras, non doctior videaris, sed molestior. Ecce Romanos 3

quoque invasit inane studium supervacua discendi: his diebus audivi quemdam referentem, quae primus quisque ex Romanis ducibus fecisset: primus navali proelio Duilius vicit, primus Curius Dentatus in triumpho duxit elephantos. Etiamnunc ista, etsi ad veram gloriam non tendunt, circa civilium tamen operum exempla versantur. non est profutura talis scientia, est tamen, quae [nos] 4 speciosa rerum vanitate detineat. Hoc quoque quaerentibus remittamus, quis Romanis primus persuaserit navem conscendere? Claudius is fuit, Caudex ob hoc ipsum adpellatus, quia plurium tabularum contextus caudex apud antiquos vocatur, unde publicae tabulae codices dicuntur et naves nunc quoque, quae ex antiqua consuetudine commeatus [per Tiberim] subvehunt, codicariae 5 vocantur. Sane et hoc ad rem pertineat, quod Valerius Corvinus primus Messanam vicit et primus ex familia Valeriorum urbis captae in se translato nomine Messana adpellatus est paulatimque volgo permutante literas Messalla dictus. Num et hoc cuiquam curare permittes, quod 6 primus L. Sulla in circo leones solutos dedit, cum alioqui adligati darentur, ad conficiendos eos missis a rege Boccho iaculatoribus? et hoc sane remittatur. Num et Pompeium primum in circo elephantorum duodeviginti pugnam edidisse commissis more proelii noxiis hominibus ad ullam rem bonam pertinet? princeps civitatis et inter antiquos principes, ut fama tradidit, bonitatis eximiae, memorabile putavit spectaculi genus novo more perdere homines. depugnant? parum est. lancinantur? parum est: 7 ingenti mole animalium exterantur. Satius erat ista in oblivionem ire, ne quis postea potens disceret invideretque rei minime humanae. O quantum caliginis menibus nostris obicit magna felicitas! Ille se supra rerum naturam esse tunc credidit, cum tot miserorum hominum cattervas sub alio coelo natis beluis obiceret, cum bellum inter tam disparia animalia committeret, cum in conspectu populi Romani multum sanguinis funderet mox plus ipsum fundere coactus: at idem postea Alexandrina perfidia deceptus ultimo mancipio transfodiendum se



praebuit, tum demum intellecta inani iactatione cognominis sui. Sed ut illo revertar, unde decessi, et in eadem materia ostendam supervacuum quorundam diligentiam: idem narrabat Metellum victis in Sicilia Poenis triumphantem unum omnium Romanorum ante currum centum et viginti captivos elephantos duxisse. Sullam ultimum Romanorum protulisse pomoerium, quod numquam provinciali, sed Italico agro adquisito proferre moris apud antiquos fuit. Hoc scire magis prodest, quam Aventinum montem extra pomoerium esse, ut ille adfirmabat, propter alteram ex duabus causis, aut quod plebs eo secessisset, aut quod Remo auspicante illo loco aves non addixissent. Alia deinceps innumerabilia, quae aut *paria* sunt mendaciis aut similia. nam ut concedas omnia eos fide bona dicere, ut ad praestationem scribant: tamen cuius ista errores minuent? cuius cupiditates prement? quem fortio rem, quem iustio rem, quem liberalio rem facient? Dubitare se interim Fabianus noster aiebat, an satius esset nullis studiis admoveri quam his implicari.

XIV. Soli omnium otiosi sunt quis a pietate vacant: soli vivunt. nec enim suam tantum aetatem bene tuentur: omne aevum suo adiciunt. quicquid annorum ante illos actum est, illis adquisitum est. Nisi ingratis sumus, illi clarissimi sacrarum opinionum conditores nobis nati sunt, nobis vitam praeparaverunt. ad res pulcherrimas ex tenebris ad lucem erutas alieno labore deducimur. nullo nobis seculo interdictum est, in omnia admittimur et, si magnitudine animi egredi humanae inbecillitatis angustias libet, multum, per quod spatiemur, temporis est. Disputare cum Socrate licet, dubitare cum Carneade, cum Epicuro quiescere, hominis naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis excedere, quum rerum natura in consortium omnis aevi patiatur incedere. Quidni ab hoc exiguo et caduco temporis transitu in illa toto nos demus animo, quae immensa, quae aeterna sunt, quae cum melioribus communia? Isti, qui per officia discursant, qui se aliosque inquietant, cum bene insanierint, cum omnium limina cotidie perambulaverint nec ulla apertas fo-

res praeterierint, cum per diversissimas domos meritoriam salutationem circumtulerint, quotum quemque ex  
 4 tam immensa et variis cupiditatibus districta urbe poterunt videre? quam multi erunt, quorum illos aut somnus aut luxuria aut inhumanitas submoveat? quam multi qui illos, cum diu torserint, simulata festinatione transeurrant? quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt et per obscuros aedium aditus profugient? quasi non inhumanius sit decipere quam excludere. quam multi hesternae crapula semisomnes et graves, illis miseris suum somnum rumpentibus, ut alienum exspectent, vix adlevatis labris insusurratum millies nomen oscitatione  
 5 superbissima reddent? Hos in veris officiis morari [putamus] licet dicamus, qui Zenonem, qui Pythagoran cotidie et Democritum ceterosque antistites bonarum artium, qui Aristotelem et Theophrastum volent habere quam familiarissimos. nemo horum non vacabit, nemo non venientem ad se beatiorem amantioremque sui dimittet. nemo quemquam vacuis a se manibus abire patietur. nocte conveniri et interdium ab omnibus mortalibus possunt.

1 XV. Horum te mori nemo coget: omnes docebunt. horum nemo annos tuos conterit: suos tibi contribuit. nullius ex his sermo periculosus erit, nullius amicitia capitalis, nullius sumptuosa observatio. feres ex illis, quicquid voles. per illos non stabit, quominus plurimum,  
 2 quantum ceperis, haurias. Quae illum felicitas, quam pulchra senectus manet, qui se in horum clientelam contulit? habebit, cum quibus de minimis maximisque rebus deliberet, quos de se cotidie consulat, a quibus audiat verum sine contumelia, laudetur sine adulatione, ad quorum se similitudinem effingat. Solemus dicere non fuisse  
 3 in nostra potestate, quos sortiremur parentes, forte nobis datos: nobis vero ad nostrum arbitrium nasci licet. nobilissimorum ingeniorum familiae sunt: elige in quam adscisci velis. non in nomen tantum adoptaberis, sed in ipsa bona, quae non erunt sordide nec maligne custo-  
 4 dienda: maiora fient, quo illa pluribus diviseris. Hi tibi dabunt ad aeternitatem iter et te in illum locum, ex quo

nemo deicitur, sublevabunt. haec una ratio est extendendae mortalitatis, immo in immortalitatem vertendae. Honores, monumenta, quicquid aut decretis ambitio iussit aut operibus extruxit, cito subruitur. nihil non longa demolitur vetustas et movet: at iis, quae consecravit sapientia, noceri non potest. nulla abolebit aetas, nulla diminuet: sequens ac deinde semper ulterior aliquid ad venerationem confert, quoniam quidem in vicino versatur invidia, simplicius longe posita miramur. Sapientis ergo 5 multum patet vita. non idem illum qui ceteros terminus cludit. solus generis humani legibus solvitur. omnia illi secula ut deo serviunt. transiit tempus aliquod: hoc recordatione comprehendit. instat: hoc utitur. venturum est: hoc praecipit. Longam illi vitam facit omnium temporum in unum conlatio.

XVI. Illorum brevissima ac sollicitissima aetas est, 1 qui praeteritorum obliviscuntur, praesentia negligunt, de futuro timent: cum ad extrema venerunt, sero intellegunt miseri, tamdiu se, dum nihil agunt, occupatos fuisse. Nec est, quod hoc argumento probari putes longam illos 2 agere vitam, quia interdum mortem invocant: vexat illos imprudentia incertis adfectibus et incurrentibus in ipsa, quae metuunt. mortem saepe ideo optant, quia timent. Illud quoque argumentum non est, quod putes, diu vi- 3 ventium, quod saepe illis longus videtur dies, quod, dum veniat condictum tempus coenae, tarde ire horas queruntur: nam si quando illos deseruerunt occupationes, in otio relictis aestuant, nec quomodo id disponant aut extrahant, sciunt. itaque ad occupationem aliquam tendunt et quod interiacet omne tempus grave est, tam mehercules, quam cum dies muneris gladiatorii edictus est, aut cum alicuius alterius vel spectaculi vel voluptatis expectatur constitutum, transilire medios dies volunt. Omnis 4 illis speratae rei longa dilatio est ad illud tempus, quod amanti breve est et praeceps breviusque multo suo vitio. aliunde enim alio transfugiunt et consistere in una cupiditate non possunt. non sunt illis longi dies, sed invisit: at contra quam exiguae noctes videntur, quas in con-

5 plexu scortorum aut vino exigunt? Inde etiam poetarum furor fabulis humanos errores alentium, quibus visus est Iupiter voluptate concubitus delenitus duplicasse noctem: quid aliud est vitia nostra incendere quam auctores illis inscribere deos et dare morbo exemplo divinitatis excusatam licentiam? possunt istis non brevissimae videri noctes, quas tam care mercantur? diem noctis exspectatione perdunt, noctem lucis metu.

- 1 XVII. Ipsae voluptates eorum trepidae et variis terroribus inquietae sunt subitque cum maxime exsultantis sollicita cogitatio: „haec quam diu?“ Ab hoc adfectu reges suam flevere potentiam. nec illos magnitudo fortunae suae delectavit, sed venturus aliquando finis exterruit.
- 2 Cum per magna camporum spatia porrigeret exercitum nec numerum eius, sed mensuram comprehenderet Persarum rex insolentissimus, lacrimas profudit, quod intra centum annos nemo ex tanta iuventute superfuturus esset: at illis admoturus erat fatum ipse, qui flebat, perditurusque alios in mari, alios in terra, alios proelio, alios fuga et intra exiguum tempus consumpturus illos, quibus centesimum annum timebat.
- 3 Quid, quod gaudia quoque eorum trepida sunt? non enim solidis causis innituntur, sed eadem, qua oriuntur, vanitate turbantur. Qualia autem putas esse tempora etiam ipsorum confessione misera, cum haec quoque, quibus se adtollunt et super hominem
- 4 efferunt, parum sincera sunt? Maxima quaeque bona sollicita sunt nec ulli fortunae minus bene quam optimae creditur: alia felicitate ad tuendam felicitatem opus est et pro ipsis, quae successere, votis vota facienda sunt. omne enim, quod fortuito obvenit, instabile est. quo altius surrexerit, opportunius est in occasum. neminem porro casura delectant: miserrimam ergo necesse est, non tantum brevissimam vitam eorum esse, qui magno parant labore, quod maiore possideant: operose adsequuntur,
- 5 quae volunt, anxii tenent, quae adsecuti sunt. Nulla interim numquam amplius redituri temporis ratio est. novae occupationes veteribus substituuntur, spes spem excitat, ambitionem ambilio. miseriarum non finis quaeritur,

sed materia mutatur: nostri nos honores torserunt: plus temporis alieni auferunt. candidati laborare desiimus: suffragatores incipimus. accusandi deposuimus molestiam: iudicandi nanciscimur. iudex desiit esse: quaesitor est. alienorum bonorum mercenaria procuratione consenuit: suis opibus detinetur. Marius caliga dimisit: consulatus exercet. Quintus dictaturam properat praevadere: ab aratro revocabitur. ivit in Poenos nondum tantae maturus rei Scipio, victor Hannibalis, victor Antiochi, sui consulatus decus, fraterni sponsor, ni per ipsum mora sit, cum love reponeretur: civiles servatorem agitabunt seditiones et post fastiditos a iuvene dis aequos honores iam senem contumacis exilii delectabit ambitio. Numquam deerunt vel felices vel miserae sollicitudinis causae. per occupationes vita trudetur. otium numquam agetur, semper optabitur.

XVIII. Excerpe itaque te volgo, Pauline carissime, et in tranquillio rem portum non pro aetatis spatio iactatus tandem recede. Cogita, quot fluctus subieris, quot tempestates partim privatas sustinueris, partim publicas in te converteris. satis iam per laboriosa et inquieta documenta exhibita virtus est: experire, quid in otio faciat. Maior pars aetatis, certe melior reipublicae data sit: aliquid temporis tui sume etiam tibi. Nec te ad segnem aut inertem quietem voco: non ut somno et caris turbae voluptatibus, quicquid est in te indolis vividae, mergas. non est istud adquiescere: invenies maiora omnibus adhuc strenue tractatis operibus, quae repositus et securus agites. Tu quidem orbis terrarum rationes administras tam abstinenter quam alienas, tam diligenter quam tuas, tam religiose quam publicas. in [eo] officio amorem consequeris, in quo odium vitare difficile est: sed tamen, mihi crede, satius est vitae suae rationem quam frumenti publici nosse. Istum animi vigorem, rerum maximarum ca- pacissimum, a ministerio honorifico quidem, sed parum ad beatam vitam apto [ad te] revoca et cogita non id egisse te ab aetate prima omni cultu studiorum liberalium, ut tibi multa milia frumenti bene committerentur: maius quid-

dam et alius de te promiseras. Non deerunt et frugalitatis exactae homines et laboriosae operae. tanto aptiora exportandis oneribus tarda iumenta sunt quam nobiles equi, quorum generosam pernicitatem quis umquam gravi  
 5 sarcina pressit? Cogita praeterea, quantum sollicitudinis sit ad tantam te molem obicere: cum ventre tibi humano negotium est. nec rationem patitur nec aequitate mitigatur nec ulla prece flectitur populus esuriens. Modo modo intra paucos illos dies, quibus C. Caesar periit, si quis inferis sensus est, hoc gravissime ferens, quod decedebat populo Romano superstite, septem aut octo certe dierum cibaria superesse? dum ille pontes navibus iungit et viribus imperi ludit, aderat ultimum malorum obsessis quoque, alimentorum egestas. exitio paene ac fame constitit et, quae famem sequitur, rerum omnium ruina furiosi et externi et infeliciter superbi regis imitatio. Quem tunc animum habuerunt illi, quibus erat mandata frumenti publici cura? saxa, ferrum, ignes, Caium excepturi summa dissimulatione tantum inter viscera latentis mali tegebant, cum ratione scilicet. quaedam enim ignorantibus aegris curanda sunt: causa multis moriendi fuit morbum suum nosse.

- 1 XIX. Recipe te ad haec tranquilliora, tutiora, maiora. Simile tu putas esse, utrum cures, ut incorruptum et a fraude advehentium et a neglegentia frumentum transfundatur in horrea, ne concepto humore vitietur et concalescat, ut ad mensuram pondusque respondeat, an ad haec sacra et sublimia accedas sciturus, quae materia sit dis, quae voluptas, quae condicio, quae forma? quis animum tuum casus exspectet, ubi nos et a corporibus dimissos natura conponat? quid sit quod huius mundi gravissima quaeque in medio sustineat, supra levia suspendat, in summum ignem ferat, sidera vicibus suis excitet? cetera  
 2 deinceps ingentibus plena miraculis. Vis tu relicto solo mente ad ista respicere? nunc, dum calet sanguis, vigentibus ad meliora eundum est. Exspectat te in hoc genere vitae multum bonarum artium, amor virtutum atque usus, cupiditatum oblivio, vivendi ac moriendi scientia, alta

rerum quies. Omnium quidem occupatorum condicio mi- 3  
sera est, eorum tamen miserrima, qui ne suis quidem la-  
borant occupationibus, ad alienum dormiunt somnum, ad  
alienum ambulat gradum, amare et odisse, res omnium  
liberrimas, iubentur. hi si volent scire quam brevis ipso-  
rum vita sit, cogitent ex quota parte sua sit.

XX. Cum videris itaque praetextam saepe iam sum- 1  
ptam, cum celebre in foro nomen, non invideris: ista vi-  
tae damno parantur. ut unus ab illis numeretur annus,  
omnis annos suos conterent. quosdam ante, cum in sum-  
mum ambitionis eniterentur, inter prima luctantis aetas  
reliquit. quosdam cum in consummationem dignitatis per  
mille indignitates erupissent, misera subit cogitatio la-  
borasse ipsos in titulum sepulcri. quorumdam ultima se-  
nectus, dum in novas spes ut iuventa disponitur, inter  
conatus magnos et improbos invalida defecit. Foedus ille, 2  
quem in iudicio pro ignotissimis litigatoribus grandem  
natu et inperitae coronae adsensiones captantem spiritus  
liquit. turpis ille, qui vivendo lassus citius quam labo-  
rando inter ipsa officia conlapsus est. turpis, quem ac-  
cipiendis inmorientem rationibus diu tractus risit heres.  
Praeterire quod mihi occurrit exemplum non possum: 3  
Turannius fuit exactae diligentiae senex, qui post annum  
nonagesimum, cum vacationem procurationis ab C. Caesare  
ultra accepisset, componi se in lecto et velut exanimem  
a circumstante familia plangi iussit. lugebat domus  
otium domini senis nec finivit ante tristitiam, quam labor  
illi suus restitutus est. Adeone iuvat occupatum mori?  
Idem plerisque animus est: diutius cupiditas illis laboris 4  
quam facultas est. cum inbecillitate corporis pugnant.  
senectutem ipsam nullo alio nomine gravem iudicant,  
quam quod illos seponit. Lex a quinquagesimo anno mi-  
litem non legit, a sexagesimo senatorem non citat: diffi-  
cilius homines a se otium inpetrant quam a lege. Interim 5  
dum rapiuntur et rapiunt, dum alter alterius quietem  
rumpit, dum mutuo miseri sunt, vita est sine fructu, sine  
voluptate, sine ullo profectu animi: nemo in conspicuo  
mortem habet, nemo non procul spes intendit. quidam

vero disponunt etiam illa, quae ultra vitam sunt, magnas moles sepulcrorum et operum publicorum dedicationes et ad rogum munera et ambitiosas exsequias. at mehercules istorum funera, tamquam minimum vixerint, ad faces et cereos ducenda sunt.

---

**L. ANNAEI SENECAE  
DIALOGORUM LIBER XI.**

AD POLYBIUM

**DE CONSOLATIONE.**

---

- 1 L. [20.] \*\*\* nostrae conpares, firma sunt: si redigas ad condicionem naturae omnia destruentis et unde edidit, eodem revocantis, caduca sunt. quid enim immortale manus mortales fecerint? Septem illa miracula et si qua his multo mirabiliora sequentium annorum extruxit ambitio, aliquando solo aequata visentur. Ita est, nihil perpetuum, pauca diuturna sunt. aliud alio modo fragile est. rerum exitus variantur, ceterum quicquid coepit et desinit. Mundo quidam minantur interitum et hoc universum, quod omnia divina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit et in confusionem veterem tenebrasque demerget: eat nunc aliquis et singulas conploret animas. Carthagini ac Numantiae Corinthique cinerem et si quid altius cecidit, lamentetur, cum etiam hoc quod non habet, quo cadat, sit interituum: eat aliquis et fata tantum aliquando nefas ausura
- 3 sibi non pepercisse conqueratur. [21.] Quis tam superbae inpotentisque adrogantiae est, ut in hac naturae necessitate omnia ad eundem finem revocantis se unum ac suos seponi velit ruinaeque etiam ipsi mundo imminenti ali-
- 3 quam domum subtrahat? Maximum ergo solatium



est cogitare id sibi accidisse, quod ante se passi sunt omnes omnesque passuri. et ideo mihi videtur rerum natura, quod gravissimum fecerat, commune fecisse, ut crudelitatem fati consolaretur aequalitas.

II. Illud quoque te non minimum adiuverit, 1 si cogitaveris nihil profuturum dolorem tuum nec illi quidem, quem desideras, nec tibi: noles enim longum esse, quod inritum est. Nam si quicquam tristitia profecturi sumus, non recuso quicquid lacrimarum fortunae meae superfuit, tuae fundere. inveniam etiam nunc per hos exhaustos iam fletibus domesticis oculos quod effluat, si modo id tibi futurum bono est. Quid cessas? conqueramur, atque adeo ipse hanc litem 2 meam faciam: „Iniquissima omnium iudicio fortuna, adhuc videbaris eum hominem continuisse, qui munere tuo tantam venerationem receperat, ut, quod raro ulli contingit, felicitas eius effugeret invidiam: ecce eum dolorem illi, quem salvo Caesare accipere maximum poterat, impressisti, et cum bene illum undique circuisses, intellexisti hac parte tantummodo patere ictibus tuis. Quid 3 enim illi aliud faceres? pecuniam eriperes? numquam illi obnoxius fuit. nunc quoque, quantum potest, illam a se abiecit et in tanta facilitate acquirendi nullum maiorem ex ea fructum quam contemptum eius petit. Eriperes illi 4 amicos? sciebas tam amabilem esse, ut facile in locum amissorum posset alios substituere. unum enim hunc ex his, quos in principali domo potentes vidi, cognovisse videor, quem omnibus amicis habere cum expediat, magis tamen etiam libet. Eriperes illi bonam opinionem? 5 solidior est haec apud eum, quam ut a te quoque ipsa concuti possit. Eriperes bonam valitudinem? sciebas animum eius liberalibus disciplinis, quibus non innutritus tantum, sed innatus est, sic esse fundatum, ut supra omnis corporis dolores emineret. Eriperes spiritum? quantulum nocuisses? longissimum illi ingenio aevum fama promisit. id egit ipse, ut meliore sui parte duraret et compositis eloquentiae praeclaris operibus a mortalitate

se vindicaret. quamdiu fuerit ullus literis honor, quamdiu steterit aut Latinae linguae potentia aut Graecae gratia, vigebit cum maximis viris, quorum se ingeniis vel contulit vel, si hoc verecundia eius recusat, adplicuit.

7 [22.] Hoc ergo unum excogitasti, quomodo maxime illi posses nocere. quo melior enim est quisque, hoc saepius ferre te consuevit sine ullo delectu furentem et inter ipsa beneficia metuendam. Quantulum erat tibi immunem ab hac iniuria praestare eum hominem, in quem videbatur indulgentia tua ratione certa pervenisse et non ex tuo more temere incidisse? "

1 III. Adiciamus, si vis, ad has querelas ipsius adolescentis interceptam inter prima incrementa indolem: dignus fuit ille te fratre. tu certe eras dignissimus, qui ne ex indigno quidem quicquam doleres fratre: redditur illi testimonium aequale omnium hominum. desideratur in  
2 tuum honorem, laudatur in suum. Nihil in illo fuit, quod non libenter agnosceres. tu quidem etiam minus bono fratri fuisses bonus, sed in illo pietas tua indoneam nacta materiam multo se liberius exercuit. nemo potentiam eius iniuria sensit, numquam ille te fratrem ulli minatus est. ad exemplum se modestiae tuae formaverat cogitabatque, quantum [tu] et ornamentum tuorum esses et onus: suf-  
3 fecit ille huic sarcinae. O dura fata et nullis aequa virtutibus! antequam felicitatem suam nosset frater tuus, exemptus est. Parum autem me indignari scio. nihil est enim difficilius quam magno dolori paria verba reperire. etiam nunc tamen, si quid proficere possumus, conque-  
4 ramur: „Quid tibi voluisti, tam iniusta et tam violenta fortuna? tam cito te indulgentiae tuae poenituit? quae ista crudelitas est? in medios fratres inpetum facere et tam cruenta rapina concordissimam turbam imminuere, tam bene stipatam optimorum adolescentium domum, in nullo fratre degenerantem, turbare et sine ulla causa delibare  
5 voluisti? Nihil ergo prodest innocentia ad omnem legem exacta, nihil antiqua frugalitas, nihil felicitatis summae potentia, summâ conservata abstinencia, nihil sincerus et tutus literarum amor, nihil ab omni labe mens vacans?

Luget Polybius et in uno fratre quid de reliquis possit metuere, admonitus, etiam de ipsis doloris sui solatiis timet. facinus indignum! luget Polybius et aliquid propitio dolet Caesare. hoc sine dubio, inpotens fortuna, captasti, ut ostenderes neminem contra te, ne a Caesare quidem posse defendi.“

IV. [23.] Diutius accusare fata possumus, mutare non 1 possumus: stant dura et inexorabilia. nemo illa convicio, nemo fletu, nemo causa movet. nihil unquam [parcunt] ulli [nec] remittunt. Proinde parcamus lacrimis nihil proficientibus. facilius enim nos illi dolor iste adiciet quam illum nobis reducet. qui si nos torquet, non adiuvat, primo quoque tempore deponendus est et ab inanibus solatiis atque amara quadam libidine dolendi animus recipiendus est. Nam lacrimis nostris, nisi ratio finem fecerit, fortuna non faciet. omnis agedum mortalis circumspice: larga ubique flendi et adsidua materia est. alium ad cotidianum opus laboriosa egestas vocat, alium ambitio numquam quieta sollicitat, alius divitias, quas optaverat, metuit et voto laborat suo, alium sollicitudo, alium labor torquet, alium semper vestibulum obsidens turba. hic habere se dolet liberos, hic perdidisse. Lacrimae nobis 3 deerunt ante quam causae dolendi. Non vides, qualem nobis vitam rerum natura promiserit, quae primum nascentium hominum fletum esse voluit? hoc principio edimur, huic omnis sequentium annorum ordo consentit. sic vitam agimus, ideoque moderate id fieri debet a nobis, quod saepe faciendum est, et respicientes, quantum a tergo rerum tristium imineat, si non finire lacrimas, at certe reservare debemus. Nulli parcendum est rei magis quam huic, cuius tam frequens usus est.

V. Illud quoque te non minimum adiuverit, 1 si cogitaveris nulli minus gratum esse dolorem tuum quam ei, cui praestari videtur: torqueri ille te aut non vult aut non intellegit. nulla itaque eius officii ratio est, quod ei, cui praestatur, si nihil sentit, supervacuum est, si sentit, ingratum est. [24.] Nemi- 2 nem esse toto orbe terrarum, qui delectetur lacrimis tuis,

audacter dixerim. quid ergo? quem nemo adversus te animum gerit, eum esse tu credis fratris tui, ut cruciatu tui noceat tibi, ut te velit abducere ab occupationibus tuis, id est a studio et a Caesare? non est hoc simile veri. ille enim indulgentiam tibi tamquam fratri praestitit, venerationem tamquam parenti, cultum tamquam superiori. ille desiderio tibi esse vult, tormento esse non vult. Quid itaque iuvat dolori intabescere, quem, si quis defuncti  
 3 sensus est, finiri frater tuus cupit? De alio fratre, cuius incerta posset voluntas videri, omnia haec dubie ponerem et dicerem: „sive te torqueri lacrimis numquam desinentibus frater tuus cupit, indignus hoc adfectu tuo est. sive non vult, utriusque vestrum inhaerentem dolorem dimitte: nec inpius frater sic desiderari debet nec pius sic velit.“ in hoc vero, cuius tam explorata pietas, pro certo habendum est nihil esse illi posse acerbius quam [hic] si tibi casus eius acerbus est, si te ullo modo torquet, si oculos tuos, indignissimos hoc malo, sine ullo flendi fine et conturbat idem et exhaurit.

4 Pietatem tamen tuam nihil aequae a lacrimis tam inutilibus abducet, quam si cogitaveris fratribus te tuis exemplo esse debere fortiter hanc fortunae iniuriam sustinendi. Quod duces magni faciunt rebus adfectis, ut hilaritatem de industria simulent et adversas res adumbrata laetitia abscondant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderint, et ipsi collabantur: id nunc tibi quoque faciendum est.

5 Indue dissimilem animo tuo voltum et, si potes, proice omnem ex toto dolorem: si minus, introrsus abde et contine, ne adpareat, et da operam, ut fratres tui te imitentur, qui honestum putabunt, quodcumque te facientem viderint animumque ex voltu tuo sument. Et solatium debes esse illorum et consolator: non poteris autem horum moerori obstare, si tuo indulseris.

1 VI. [25.] Potest et illa res a luctu te prohibere nimio, si tibi ipse renuntiaveris, nihil horum, quae facis, posse subduci. Magnam tibi personam hominum consensus inposuit: haec tibi tuenda est.

Circumstat te omnis ista consolantium frequentia et in animum tuum inquit ac perspicit, quantum roboris ille adversus dolorem habeat et utrumne tu tantum rebus secundis uti dextere scias, an et adversas possis viriliter ferre: observantur oculi tui. Liberiora omnia sunt iis, 2 quorum adfectus tegi possunt: tibi nullum secretum liberum est. in multa luce fortuna te posuit. omnes scient, quomodo te in isto tuo gesseris volnere, utrumne statim percussus arma submiseris an in gradu steteris. Olim te in altiorem ordinem et amor Caesaris extulit et tua studia deduxerunt. nihil te plebeium decet, nihil humile. quid autem tam humile ac muliebre est quam consumendum se dolori committere? Non idem tibi in luctu pari quod 3 tuis fratribus licet. multa tibi non permittit opinio de studiis ac moribus tuis recepta. multum a te homines exigunt, multum exspectant. Si volebas tibi omnia licere, ne convertisses in te ora omnium: nunc autem tibi praestandum est, quantum promisisti omnibus illis, qui opera ingenii tui laudant, qui describunt, quibus, cum fortuna tua opus non sit, ingenio opus est. custodes animi tui sunt. nihil unquam itaque potes indignum facere perfecti et eruditi viri professione, ut non multos admirationis de te suae poeniteat. Non licet tibi flere inmodice: nec 4 hoc tantummodo non licet, ne somnum quidem extendere in partem diei licet aut a tumultu rerum in otium ruris quieti confugere aut adsidua laboriosi officii statione fatigatum corpus voluptaria peregrinatione recreare aut spectaculorum varietate animum detinere aut tuo arbitrio diem disponere. [26.] Multa tibi non licent, quae humilimis et in angulo iacentibus licent. Magna servitus est 5 magna fortuna. non licet tibi quicquam arbitrio tuo facere: audienda sunt tot hominum milia, tot disponendi libelli. tantus rerum ex orbe toto coeuntium congestus ut possit per ordinem suum principis maximi animo subici, erigendus tuus est. Non licet tibi, inquam, flere, ut multos flentes audire possis. ut periclitantium et ad misericordiam mitissimi Caesaris pervenire cupientium lacrimae [siccari possint], tibi tuae [ante] siccandae sunt.

1 VII. Haec tamen etiam nunc levioribus re-  
 mediis adiuvabunt: cum voles omnium rerum  
 oblivisci, Caesarem cogita. vide, quantam huius in  
 te indulgentiae fidem, quantam industriam debeas: intel-  
 leges non magis tibi incurvari licere quam illi, si quis  
 modo est, fabulis traditus, cuius humeris mundus inniti-  
 2 tur. Caesari quoque ipsi, cui omnia licent, propter hoc  
 ipsum multa non licent: omnium somnos illius vigilia de-  
 fendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius  
 industria, omnium vacationem illius occupatio. ex quo  
 se Caesar orbi terrarum dedicavit, sibi [se] eripuit. et si-  
 derum modo, quae inrequieta semper cursus suos expli-  
 cant, numquam illi licet nec subsistere nec quicquam  
 3 suum facere. Ad quemdam itaque modum tibi quoque  
 eadem necessitas iniungitur: non licet tibi ad utilitates  
 tuas, ad studia tua respicere. Caesare orbem terrarum  
 possidente inpartiri te nec voluptati nec dolori nec ulli  
 4 alii rei potes: totum te Caesari debes. Adice nunc quod,  
 cum semper praedices cariorem tibi spiritu tuo Caesarem  
 esse, fas tibi non est salvo Caesare de fortuna queri: hoc  
 incolumi salvi tibi sunt tui, nihil perdidisti, non tantum  
 siccos oculos tuos esse, sed etiam laetos oportet. in hoc  
 tibi omnia sunt, hic pro omnibus est. Quod longe a sen-  
 sibus tuis prudentissimis piissimisque abest, adversus  
 felicitatem tuam parum gratus es, si tibi quicquam hoc  
 salvo flere permittis.

1 VIII. Monstrabo etiam nunc non quidem fir-  
 mius remedium, sed familiarius. Si quando te do-  
 mum receperis, tunc erit tibi metuenda tristitia. nam  
 quamdiu numen tuum intueberis, nullum illa ad te inve-  
 niet accessum. omnia in te Caesar tenebit: cum ab illo  
 discesseris, tunc velut occasione data insidiabitur solitu-  
 dini tuae dolor et requiescenti animo tuo paulatim inre-  
 2 pet. itaque non est quod ullum tempus vacare  
 patiaris a studiis: tunc tibi literae tuae tam diu ac  
 tam fideliter amatae gratiam referant. tunc te illae anti-  
 stitem et cultorem suum vindicent. tunc Homerus et Ver-  
 gilius tam bene de humano genere meriti, quam tu et de

omnibus et de illis meruisti, quos pluribus notos esse voluisti quam scripserant, multum tecum morentur. tutum id exit omne tempus, quod illis tuendum commiseris. tunc Caesaris tui opera, ut per omnia secula domestico narrentur praeconio, quantum potes, compone. nam ipse tibi optime formandi condendique res gestas et materiam dabit et exemplum. [27.] Non audeo te usque eo producere, ut fabellas quoque et Aesopeos logos, intemptatum Romanis ingeniis opus, solita tibi venustate connectas. difficile est quidem, ut ad haec hilariora studia tam vehementer percussus animus tam cito possit accedere: hoc tamen argumentum habeto iam corroborati eius et redditi sibi, si poterit a severioribus scriptis ad haec solutiora procedere. in illis enim quamvis aegrum eum ad huc et secum reluctantem avocabit ipsa rerum, quas tractabit, austeritas: haec quae remissa fronte commendanda sunt, non feret, nisi cum iam sibi ab omni parte constiterit. itaque debebis eum severiore materia primum exercere, deinde hilariore temperare.

IX. Illud quoque magno tibi erit levamento, si saepe te [sic] interrogaveris: „Utrumne meo nomine doleo an eius qui decessit? si meo, perit [meae] indulgentiae iactatio et incipit dolor hoc uno excusatus, quod honestus est, cum ad utilitatem respiciat, a pietate desciscere. nihil autem minus bono viro convenit quam in fratris luctu calculos ponere. Si illius nomine doleo, necesse est alterutrum ex his duobus esse iudicem: nam si nullus defunctis sensus superest, evasit omnia frater meus vitae incommoda et in eum restitutus est locum, in quo fuerat antequam nasceretur, et expers omnis mali nihil timet, nihil cupit, nihil patitur: quis iste furor est pro eo me numquam dolere desinere, qui numquam doliturus est? Si est aliquis defunctis sensus, nunc animus fratris mei velut ex diutino carcere emissus, tandem sui iuris et arbitrii, gestit et rerum naturae spectaculo fruitur et humana omnia ex superiore loco despicit, divina vero, quorum rationem tamdiu frustra quaesierat, propius intuetur. Quid itaque eius desiderio maceror, qui

aut beatus aut nullus est? beatum deflere invidia est, nul-  
 4 lum dementia.“ [28.] An hoc te movet, quod videtur  
 ingentibus et cum maxime circumfusus bonis caruisse?  
 cum cogitaveris multa esse, quae perdidit, cogita plura  
 esse, quae non timet: non ira eum torquebit, non mor-  
 bus affliget, non suspicio lacesset, non edax et inimica  
 semper alienis processibus invidia consecrabitur, non  
 metus sollicitabit, non levitas fortunae cito munera sua  
 transferentis inquietabit. si bene computes, plus illi re-  
 5 missum quam ereptum est. Non opibus fruetur, non tua  
 simul ac sua gratia. non accipiet beneficia, non dabit:  
 miserum putas, quod ista amisit, an beatum, quod non  
 desiderat? mihi crede, is beatior est, cui fortuna super-  
 vacua est, quam is, cui parata est. Omnia ista bona,  
 quae nos speciosa sed fallaci voluptate delectant, pecunia,  
 dignitas, potentia aliaque conplura, ad quae generis hu-  
 mani caeca cupiditas obstupescit, cum labore possiden-  
 tur, cum invidia conspiciuntur eosdemque ipsos quos  
 exornant, et premunt. plus minantur quam prosunt.  
 lubrica et incerta sunt. numquam bene tenentur: nam  
 ut nihil de tempore futuro timeatur, ipsa tamen magnae  
 6 felicitatis tutela sollicita est. Si velis credere altius veri-  
 tatem intuentibus, omnis vita supplicium est: in hoc pro-  
 fundum inquietumque proiecti mare, alternis aestibus  
 reciprocum et modo adlevans nos subitis incrementis,  
 modo maioribus damnis deferens adsidueque iactans num-  
 quam stabili consistimus loco. pendemus et fluctuamur et  
 alter in alterum inlidimur et aliquando naufragium facimus,  
 7 semper tinemus. In hoc tam procelloso et in omnes tem-  
 pestates exposito mari navigantibus nullus portus nisi  
 mortis est. ne itaque invideris fratri tuo: quiescit. tan-  
 dem liber, tandem tutus, tandem aeternus est. supersti-  
 tem Caesarem omnemque eius prolem, superstitem te  
 cum communibus habet fratribus. antequam quicquam  
 ex suo favore fortuna mutaret, stantem adhuc illam et  
 8 munera plena manu congerentem reliquit. Fruitur nunc  
 aperto et libero coelo, ex humili atque depresso in eum  
 emicuit locum, quisquis ille est, qui solutas vinculis ani-



mas beato recipit sinu, et nunc illic libere vagatur omniaque rerum naturae bona cum summa voluptate perspicit. erras: non perdidit lucem frater tuus, sed securiorem sortitus est. Omnibus illo nobis commune est iter: quid 9 fata deflemus? non reliquit ille nos, sed antecessit. [29.] Est, mihi crede, magna felicitas in ipsa felicitate moriendi. nihil ne in totum quidem diem certi est: quis in tam obscura et involuta veritate divinat, utrumne fratri tuo mors inviderit an consuluerit?

X. Illud quoque, qua iustitia in omnibus rebus 1 es, necesse est te adiuvet cogitantem non iniuriam tibi factam, quod talem fratrem amisisti, sed beneficium datum, quod tamdiu tibi pietate eius uti fruique licuit. Iniquus est, qui 2 muneris sui arbitrium danti non relinquit, avidus, qui non lucri loco habet, quod accepit, sed damni, quod reddidit. ingratus est, qui iniuriam vocat finem voluptatis, stultus, qui nullum fructum esse putat bonorum nisi praesentium, qui non et in praeteritis adquiescit et ea iudicat certiora, quae abierunt, quia de illis ne desinant non est timendum. Nimis angustat gaudia sua, qui eis tantummodo, 3 quae habet ac videt, frui se putat et habuisse eadem pro nihilo ducit. cito enim nos omnis voluptas relinquit, quae fluit et transit et paene antequam veniat aufertur. itaque in praeteritum tempus animus mittendus est et quicquid nos umquam delectavit, reducendum ac frequenti cogitatione pertractandum est. Longior fideliorque est memoria voluptatum, quam praesentia. Quod habuisti ergo 4 optimum fratrem, in summis bonis pone. Non est quod cogites, quanto diutius habere potueris, sed quamdiu habueris. Rerum natura illum tibi sicut ceteris fratribus suis non mancipio dedit, sed commodavit: cum visum est deinde, repetiit nec tuam in eo satietatem secuta est, sed suam legem. Si quis pecuniam creditam solvisse se 5 moleste ferat, eam praesertim, cuius usum gratuitum acceperit, nonne iniustus vir habeatur? Dedit natura fratri tuo vitam, dedit et tibi: quae suo iure usa, a quo voluit, debitum suum citius exegit. non illa in culpa est, cuius

nota erat condicio, sed mortalis animi spes avida, quae subinde, quid rerum natura sit, obliviscitur nec umquam  
 6 sortis suae meminit, nisi cum admonetur. Gaude itaque habuisse te tam bonum fratrem et usum fructumque eius, quamvis brevior voto tuo fuerit, boni consule. Cogita iucundissimum esse, quod habuisti, humanum, quod perdidisti. nec enim quicquam minus inter se consentaneum est quam aliquem moveri, quod sibi talis frater parum diu contigerit, non gaudere, quod tamen contigerit.

1 XI. „At inopinanti ereptus est.“ Sua quemque credulitas decipit et in eis, quae diligit, voluntaria mortalitatis oblivio: natura nulli se necessitatis suae gratiam facturam esse testata est. Cotidie praeter oculos nostros transeunt notorum ignotorumque funera. nos tamen aliud agimus et subitum id putamus esse, quod nobis tota vita denuntiatur futurum. non est itaque ista fatorum iniquitas, sed mentis humanae pravitas insatiabilis rerum omnium, quae indignatur inde se *exire*, quo admissa est pre-  
 2 cario. [30.] Quanto ille iustior, qui nuntiata filii morte dignam magno viro vocem emisit: ego cum genui, tum moriturum scivi. Prorsus non mireris ex hoc natum esse, qui fortiter mori posset. non accepit tamquam novum nuntium filii mortem: quid est enim novi hominem mori, cuius tota vita nihil aliud quam ad mortem iter est? Ego cum genui, tum moriturum  
 3 scivi. Deinde adiecit rem maioris et prudentiae et animi: et huic rei sustuli. Omnes huic rei tollimur. quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur. Gaudeamus eo, quod dabitur, reddamusque id, cum reposemur. alium alio tempore fata comprehendent, neminem praeteribunt. in procinctu stet animus et id, quod necesse est, numquam timeat, quod incertum est, semper  
 4 exspectet. Quid dicam duces ducumque progeniem et multis aut consulatibus conspicuos aut triumphis sorte defunctos inexorabili? tota cum regibus regna populique cum [*re*] gentibus tulere fatum suum: omnes, immo omnia in ultimum diem spectant. Non idem universis finis est. alium in medio cursu vita deserit, alium in ipso aditu relin-

quit, alium in extrema senectute fatigatum iam et exire cupientem vix emittit: alio quidem atque alio tempore, omnes tamen in eundem locum tendimus. Utrumne stultius sit, nescio, mortalitatis legem ignorare, an impudentius, recusare. Agedum illa, quae multo ingenii tui labore celebrata sunt, in manus sume, utriuslibet auctoris carmina, quae tu ita resolvisti, ut quamvis structura illorum recesserit, permaneat tamen gratia. sic enim illa ex alia lingua in aliam transtulisti, ut, quod difficillimum erat, omnes virtutes in alienam te orationem secutae sint: nullus erit in illis scriptis liber, qui non plurima varietatis humanae incertorumque casuum et lacrimarum ex alia atque alia causa fluentium exempla tibi suggerat. Lege, quanto spiritu ingentibus intonueris rebus: pudebit te subito deficere et ex tanta orationis magnitudine desciscere. ne commiseris, ut quisquis exemplo ac modo scripta tua mirabitur, quaerat quomodo tam grandia tamque solida tam fragilis animus conceperit.

XII. Potius ab istis te, quae torquent, ad haec tot et tanta, quae consolantur, converte ac respice optimos fratres, respice uxorem, filium respice. pro omnium horum salute hac tecum portione fortuna decidit. Multos habes, in quibus adquiescas: [31.] ab hac te infamia vindica, ne videatur omnibus plus apud te valere unus dolor quam haec tam multa solatia. Omnis istos una tecum percultos vides nec posse tibi subvenire, immo etiam ultro exspectare, ut a te sublevantur, intellegis. et ideo quanto minus in illis doctrinae minusque ingenii est, tanto magis obsistere te necesse est communi malo. est autem hoc ipsum solatii loco, inter multos dolorem suum dividere: qui quia dispensatur inter plures, exigua debet apud te parte subsidere. Non desinam totiens tibi offerre Caesarem. illo moderante terras et ostendente, quanto melius beneficiis imperium custodiatur quam armis, illo rebus humanis praeside non est periculum, ne quid perdidisse te sentias. in hoc uno tibi satis praesidii, satis solatii est: adtolle te et quotiens lacrimae suboriuntur oculis tuis, totiens illos in Caesarem

dirige: siccabuntur maximi et clarissimi conspectu numinis. fulgor eius illos, ut nihil aliud possint adspicere, 4 praestringet et in se haerentes delinebit. Hic tibi, quem tu diebus intueris ac noctibus, a quo numquam deicis animum, cogitandus est, hic contra fortunam advocandus. nec dubito, cum tanta illi adversus omnes suos sit mansuetudo tantaque indulgentia, quin iam multis solatiis tuum istud volnus obduxerit, multa, quae dolori obstarent tuo, congesserit. Quid porro? ut nihil horum fecerit, nonne protinus ipse conspectus per se tantummodo cogitatusque Caesar maximo solatio tibi est? Di 5 illum deaeque terris diu commodent. acta hic divi Augusti aequet, annos vincat. quamdiu inter mortalibus erit, nihil ex domo sua mortale esse sentiat. rectorem Romano imperio filium longa fide adprobet et ante illum consortem patris quam successorem adspiciat. sera et nepotibus demum nostris dies nota sit, qua illum gens sua coelo adserat.

1 XIII. [32.] Abstine ab hoc manus tuas, fortuna, nec in isto potentiam tuam nisi ea parte, qua prodes, ostenderis. patere illum generi humano iam diu aegro et adfecto mederi. patere quicquid prioris principis furor concussit, in suum locum restituere ac reponere. sidus hoc, quod praecipitato in profundum et demerso in tenebras 2 orbi refulsit, semper luceat. Hic Germaniam placet, Britanniam aperiat, et patrios triumphos ducat et novos. quorum me quoque spectatorem futurum, quae ex virtutibus eius primum obtinet locum, promittit clementia. nec enim sic me deiecit, ut nollet erigere, immo ne deiecit quidem, sed impulsus a fortuna et cadentem sustinuit et in praeceps euntem leniter divinae manus usus moderatione deposuit. deprecatus est pro me senatum et vitam 3 mihi non tantum dedit, sed etiam petiit. Viderit qualem volet esse *et aestimet causam meam*: vel iustitia eius bonam perspiciat vel clementia faciat bonam: utrumque in aequo mihi eius beneficium erit, sive innocentem me scierit esse, sive voluerit. Interim magnum miseriarum mearum solatium est videre misericordiam eius totum

orbem pervagantem: quae cum ex ipso hoc angulo, in quo ego defixus sum, conplures multorum iam annorum ruina obrutos effoderit et in lucem reduxerit, non vereor ne me unum transeat. Ipse autem optime novit tempus, quo cuique debeat succurrere: ego omnem operam dabo, ne pervenire ad me erubescat. O felicem clementiam 4 tuam, Caesar, quae effecit, ut quietiorem sub te agant vitam exules, quam nuper sub Caio egere principes: non trepidant nec per singulas horas gladium exspectant nec ad omnem navium conspectum pavent. per te habent ut fortunae saevientis modum ita spem quoque melioris eiusdem ac praesentis quietem. Scias licet ea demum fulmina esse iustissima, quae etiam percussi colunt.

XIV. [33.] Hic itaque princeps, qui publicum omnium 1 hominum solatium est, aut me omnia fallunt, aut iam recreavit animum tuum et tam magno vulneri maiora adhibuit remedia. iam te omni confirmavit modo. iam omnia exempla, quibus ad animi aequitatem compellereris, tenacissima memoria retulit. iam omnium praecepta sapientum adsueta sibi facundia explicuit. Nullus itaque melius 2 has adloquendi partes occupaverit. aliud habebunt hoc dicente pondus verba velut ab oraculo missa. omnem vim doloris tui divina eius contundet auctoritas. hunc itaque tibi puta dicere: „Non te solum fortuna desumpsit sibi, quem tam gravi adficeret iniuria. nulla domus in toto orbe terrarum aut est aut fuit sine aliqua conploratione. Transibo exempla volgaria, quae etiamsi minima, tamen misera, sunt: ad fastus te et annales perducam publicos. Vides omnes has imagines, quae inplevere 3 Caesarum atrium? nulla non harum aliquo suorum incommodo insignis est. nemo non ex istis in ornamentum seculorum refulgentibus viris aut desiderio suorum tortus est aut a suis cum maximo animi cruciatu desideratus est. Quid tibi referam Scipionem Africanum, cui mors 4 fratris in exilio nuntiata est? is frater, qui eripuit fratrem carcere, non potuit eripere fato. et quam impatiens iuris aequi pietas Africani fuerit, cunctis adparuit: eodem enim die Scipio Africanus, quo viatoris manibus fratrem abs-

tulerat, tribuno quoque plebis privatus intercessit: tam magno tamen fratrem desideravit hic animo, quam defendat. Quid referam Aemilianum Scipionem, qui uno paene eodemque tempore spectavit patris triumphum duorumque fratrum funera? adolescentulus tamen ac propemodum puer tanto animo tulit illam familiae suae super ipsum Pauli triumphum concidentis subitam vastitatem, quanto debuit ferre vir in hoc natus, ne urbi Romanae aut Scipio deesset aut Carthago superesset.

1 XV. [34.] Quid referam duorum Lucullorum diremptam morte concordiam? quid Pompeios? quibus ne hoc quidem saeviens reliquit fortuna, ut una denique conciderent ruina: vixit Sextus Pompeius primum sorori superstes, cuius morte optime cohaerentis Romanae pacis vincula resoluta sunt. idemque hic vixit superstes optimo fratri, quem fortuna in hoc erexerat, ne minus alte eum deiceret, quam patrem deiecerat. et post hunc tamen casum Sextus Pompeius non tantum dolori, sed etiam  
2 bello suffecit. Innumerabilia undique exempla separatorum morte fratrum succurrunt: immo contra vix ulla unquam horum paria conspecta sunt una senescentia. sed contentus nostrae domus exemplis ero. nemo enim tam expers erit sensus ac sanitatis, ut fortunam ulli queratur luctum intulisse, quam sciet etiam Caesarum lacrimas concupisse. Divus Augustus amisit Octaviam sororem carissimam et ne ei quidem rerum natura lugendi necessitatem abstulit, cui coelum destinaverat: immo vero idem omni genere orbitatis vexatus sororis filium successioni praeparatum suae perdidit. denique ne singulos eius luctus enumerem, et generos ille amisit et liberos et nepotes, ac nemo magis ex omnibus mortalibus hominem esse se, dum inter homines erat, sensit: tamen tot tantosque luctus cepit rerum omnium capacissimum eius pectus victorque  
3 divus Augustus non gentium tantummodo externarum,  
4 sed etiam dolorum fuit. Caius Caesar, divi Augusti, avunculi mei, filius ac nepos, circa primos iuventae suae annos Lucium fratrem carissimum sibi princeps iuventutis principem eiusdem iuventutis amisit in adparatu Parthici belli

et graviore multo animi vulnere quam postea corporis ictus est: quod utrumque piissime idem et fortissime tulit. Caesar patruus meus Drusum Germanicum, patrem meum, 5 minorem natu, quam ipse erat, fratrem, intima Germaniae recludentem et gentes ferocissimas Romano subicientem imperio in complexu et in osculis suis amisit: modum tamen lugendi non sibi tantum, sed etiam aliis fecit ac totum exercitum non solum moestum, sed etiam adtonitum corpus Drusi sui sibi vindicantem ad morem Romani luctus redegit iudicavitque non militandi tantum disciplinam esse servandam, sed etiam dolendi. Non potuisset ille lacrimas alienas conpescere, nisi prius pressisset suas.

XVI. [35.] M. Antonius, avus meus, nullo minor nisi 1 eo, a quo victus est, tunc cum rempublicam constitueret et triumvirali potestate praeditus nihil super se videret, exceptis vero duobus collegis omnia infra se cerneret, fratrem interfectum audivit. Fortuna inpotens, quales ex 2 humanis malis tibi ipsa ludos facis! eo ipso tempore, quo M. Antonius civium suorum vitae sedebat mortisque arbiter, M. Antonii frater duci iuebatur ad supplicium: tulit hoc tamen tam triste vulnus eadem magnitudine animi [M. Antonius], qua omnia alia adversa toleraverat et hoc fuit eius lugere viginti legionum sanguine fratri parentare. Sed ut omnia alia exempla praeteream, ut in me 3 quoque ipso alia taceam funera, bis me fraterno luctu adgressa fortuna est, bis intellexit laedi me posse, vinci non posse: amisi Germanicum fratrem, quem quomodo amaverim, intellegit profecto quisquis cogitat, quomodo suos fratres pii fratres ament. sic tamen adfectum meum rexi, ut nec relinquerem quicquam, quod exigi deberet a bono fratre, nec facerem, quod reprehendi posset in principe.“

Haec ergo puta tibi parentem publicum referre exem- 4 pla, eundem ostendere, quam nihil sacrum intactumque sit Fortunae, quae ex eis penatibus ausa est funera ducere, ex quibus erat deos petitura. nemo itaque miretur aliquid ab illa aut crudeliter fieri aut inique. potest enim

haec adversus privatas domos ullam aequitatem nosse aut ullam modestiam, cuius inplacabilis saevitia totiens 5 ipsa funestavit pulvinaria? Faciamus licet illi convicium non nostro tantum ore, sed etiam publico, non tamen mutabitur. adversus omnis se preces omnisque ceremonias eriget. hoc fuit in rebus humanis fortuna, hoc erit: nihil inausum sibi reliquit, nihil intactum relinquet. ibit violentior per omnia, sicut solita est semper, eas quoque domos ausa iniuriae causa intrare, in quas per templa 6 aditur, et atram laureatis foribus induere vestem: [36.] hoc unum obtineamus ab illa votis ac precibus publicis, si nondum illi genus humanum placuit consumere, si Romanum adhuc nomen propitia respicit, hunc principem lassis hominum rebus datum, sicut omnibus mortalibus, sibi esse sacratum velit. discat ab illo clementiam atque sit mitissimo omnium principum mitis.

- 1 XVII. Debes itaque eos intueri omnes, quos paulo ante retuli, aut adscitos coelo aut proximos, et ferre aequo animo fortunam ad te quoque porrigentem manus, quas ne ab eis quidem, per quos iuramus, abstinet. Debes illorum imitari firmitatem in perferendis et evincendis doloribus, in quantum modo homini fas est 2 per divina ire vestigia. quamvis in aliis rebus sint dignitatum ac nobilitatum magna discrimina, virtus in medio posita est. neminem dedignatur, qui modo dignum se illa iudicat: optime certe illos imitaberis, qui cum indignari possent non esse ipsos exsortes huius mali, tamen in hoc uno se ceteris exaequari hominibus, non iniuriam, sed ius mortalitatis iudicaverunt tuleruntque nec nimis acerbe et aspere, quod acciderat, nec molliter et effeminate. nam et non sentire mala sua non est hominis et non ferre 3 non est viri. Non possum tamen, cum omnes circuierim Caesares, quibus fortuna fratres sororesque eripuit, hunc praeterire ex omni Caesarum numero excerpendum, quem rerum natura in exitium opprobriumque humani generis edidit, a quo imperium eversum atque adustum funditus 4 principis mitissimi recreat clementia. C. Caesar amissa sorore Drusilla, is homo, qui non magis dolere quam



gaudere principaliter posset, conspectum conversationemque civium suorum profugit, exsequiis sororis suae non interfuit, iusta sorori non praestitit, sed in Albano suo tesseris ac foro et pervolgatis huiusmodi aliis occupationibus acerbissimi funeris elevabat mala. Pro pudor imperii! principis Romani lugentis sororem alea solatium fuit. Idem ille Caius furiosa inconstantia modo barbam 5 capillumque submittens, modo Italiae ac Siciliae oras errabundus permetiens et numquam satis certus, utrum lugeri vellet an coli sororem, eodem omni tempore, quo templa illi constituebat ac pulvinaria, eos qui parum moesti fuerant, crudelissima adiciebat animadversione. eadem enim intemperie animi adversarum rerum ictus ferebat, qua secundarum elatus eventu super humanum intumescebat modum. Procul istud exemplum ab omni 6 Romano sit viro, luctum suum aut intempestivis *fugare* lusibus aut sordium ac squaloris foeditate irritare aut alienis malis oblectare minime humano solatio.

XVIII. Tibi vero nihil ex consuetudine mutandum est 1 tua, quoniam quidem ea instituisti amare studia, quae optime et felicitatem extollunt et facillime minuunt calamitatem eademque et ornamenta maxima hominum sunt et solatia. [37.] Nunc itaque te studiis tuis inmerge acrius, nunc illa tibi velut munimenta animi circumda, ne ex ulla tui parte inveniat introitum dolor. Fratris quo- 2 que tui produce memoriam aliquo scriptorum monumento tuorum. hoc enim unum est rebus humanis opus, cui nulla tempestas noceat, quod nulla consumat vetustas. cetera quae per constructionem lapidum et marmoreas moles aut terrenos tumulos in magnam eductos altitudinem constant, non propagant longam diem [quippe et ipsa intereunt]: immortalis est ingenii memoria. hanc tu fratri tuo largire, in hac eum conloca. melius illum duraturo semper consecrabis ingenio quam inrito dolore lugebis. Quod ad ipsam fortunam pertinet, etiamsi nunc 3 agi apud te causa eius non potest, omnia enim illa, quae nobis dedit, ob hoc ipsum, quod aliquid eripuit, invisa sunt: tunc tamen erit agenda, cum primum aequiorem

te illi iudicem dies fecerit. tunc enim poteris in gratiam cum illa redire. nam multa providit, quibus hanc emendaret iniuriam. multa etiam nunc dabit, quibus redimat. denique ipsum hoc, quod abstulit, ipsa dederat tibi.

4 Noli ergo contra te ingenio uti tuo, noli adesse dolori tuo. potest quidem eloquentia tua, quae parva sunt, adprobare pro magnis, rursus magna adtenuare et ad minima deducere. sed alio ista vires servet suas, nunc tota se in solatium tuum conferat. Sed tamen dispice, ne hoc iam quoque ipsum sit supervacuum. aliquid enim

5 a nobis natura exigit, plus vanitate contrahitur. Numquam autem ego a te, ne ex toto moereas, exigam. et scio inveniri quosdam durae magis quam fortis prudentiae viros, qui negent doliturum esse sapientem: hi non videntur mihi umquam in eiusmodi casum incidisse. alioquin excussisset illis fortuna superbam sapientiam et ad confessionem eos veram etiam invitos compulisset.

6 Satis praestiterit ratio, si id unum ex dolore, quod et superest et abundat, exciderit: ut quidem nullum omnino esse eum patiatur, nec sperandum ulli nec concupiscendum est. hunc potius modum servet, qui nec impietatem imitetur nec insaniam et nos in eo teneat habitu, qui et piae mentis est nec emotae: fluant lacrimae, sed eaedem et desinant. trahantur ex imo gemitus pectore, sed iidem et finiantur. Sic rege

7 animum tuum, ut et sapientibus te adprobare possis et fratribus. Effice, ut frequenter fratris tui memoriam tibi velis occurrere, ut illum et sermonibus celebres et adsidua recordatione repraesentes tibi, quod ita demum consequi poteris, si tibi memoriam eius iucundam magis quam flebilem feceris. naturale est enim, ut semper animus ab eo refugiat, ad quod cum tristitia

8 revertitur. Cogita modestiam eius, cogita in rebus agendis sollertiam, in exsequendis industriam, in promissis constantiam. omnia dicta eius ac facta et aliis expone et tibimet ipse commemora. qualis fuerit cogita qualisque sperari potuerit. quid enim de illo non tuto sponderi fratre possit?

Haec, utcumque potui, longo iam situ obsoleto et hebetato animo composui. quae si aut parum respondere ingenio tuo aut parum mederi dolori videbuntur, cogita, quam non possit is alienae vacare consolationi, quem sua mala occupatum tenent, et quam non facile latina ei homini verba succurrant, quem barbarorum inconditus et barbaris quoque humanioribus gravis fremitus circumsonat.

---

L. ANNAEI SENECAE

DIALOGORUM LIBER XII.

AD HELVIAM MATREM

DE CONSOLATIONE.

---

I. Saepe iam, mater optima, inpetum cepi consolandi te, saepe continui. ut auderem, multa me impellebant: primum videbar depositurus omnia incommoda, cum lacrimas tuas, etiamsi suppressere non potuissem, interim certe abstersissem. deinde plus habiturum me auctoritatis non dubitabam ad excitandam te, si prior ipse consurrexissem. praeterea timebam, ne a me victa fortuna aliquem meorum vinceret. itaque utcumque conabar manu super plagam meam inposita ad obliganda volnera vestra reptare. Hoc propositum meum erant rursus quae retardarent: dolori tuo, dum recens saeviret, sciebam occurrendum non esse, ne illum ipsa solatia irritarent et accenderent. nam in morbis quoque nihil est perniciosius quam immatura medicina. expectabam itaque, dum ipse vires suas frangeret et ad sustinenda remedia mora mitigatus tangi se ac tractari pateretur. praeterea cum omnia clarissimorum ingeniorum monumenta ad conpescendos moderandosque luctus composita evolverem, non inveniēbam exemplum eius, qui consolatus suos esset, cum ipse ab illis conploraretur. Ita in re nova haesitabam verē barque, ne haec non consolatio esset, sed exulceratio.

Quid quod novis verbis nec ex vulgari et cotidiana sumptis adlocutione opus erat homini ad consolandos suos ex ipso rogo caput adlevanti? omnis autem magnitudo doloris modum excedentis necesse est delectum verborum eripiat, cum saepe vocem quoque ipsam intercludat.

4 Utcumque connitar non fiducia ingenii, sed quia possum instar efficacissimae consolationis esse ipse consolator. cui nihil negares, huic hoc utique te non esse negaturam, licet omnis moeror contumax sit, spero, ut desiderio tuo velis a me modum statui.

1 II. Vide quantum de indulgentia tua promiserim mihi: potentior me futuram apud te non dubito quam dolorem tuum, quo nihil est apud miseros potentius. Itaque ne statim cum eo concurram, adero prius illi et quibus excitetur ingeram. omnia proferam et rescindam,

2 quae iam obducta sunt. Dicit aliquis: „quod hoc genus est consolandi, oblitterata mala revocare et animum in omnium aerumnarum suarum conspectu conlocare vix unius patientem?“ sed is cogitet, quaecumque usque eo perniciose sunt, ut contra remedium convaluerint, plerumque contrariis curari. omnis itaque luctus illi suos, omnia lugubria admovebo: hoc erit non molli via mederi, sed urere ac secare. Quid consequar? ut pudeat animum tot miseriarum victorem aegre ferre unum vulnus in corpore tam cicatricoso.

3 Fleant itaque diutius et gemant, quorum delicatas mentes enervavit longa felicitas et ad levissimarum iniuriarum motus conlabantur: at quorum omnes anni per calamitates transierunt, gravissima quoque forti et immobili constantia perferant. Unum habet adsidua infelicitas bonum, quod quos semper vexat, no-

4 vissime indurat. Nullam tibi fortuna vacationem dedit, et gravissimis luctibus ne natalem quidem tuum exceptit: amisisti matrem statim nata, immo dum nasceris, et ad vitam quodammodo exposita es. Crevisti sub noverca. quam tu quidem omni obsequio et pietate, quanta vel in filia conspici potest, matrem fieri coegisti. nulli tamen non magno constilit etiam bona noverca. Avunculum indulgentissimum, optimum ac fortissimum virum, cum

adventum eius exspectares, amisisti. et ne saevitiam suam fortuna levio-rem diducendo faceret, intra tricesimum diem carissimum virum, ex quo mater trium liberorum eras, extulisti. Lugenti tibi luctus nuntiatus est omnibus 5 quidem absentibus liberis, quasi de industria in id tempus coniectis malis tuis, ut nihil esset, ubi se dolor tuus reclinaret. Transeo tot pericula, tot metus, quos sine intervallo in te incursantis pertulisti: modo modo in eundem sinum, ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti. Intra vicesimum diem, quam filium meum in manibus et in osculis tuis mortuum funeraveras, raptum me audisti: hoc adhuc defuerat tibi lugere vivos.

III. Gravissimum est ex omnibus, quae unquam in 1 corpus tuum descenderunt, recens vulnus, fateor. non summam cutem rupit, pectus et viscera ipsa divisit. Sed quemadmodum tirones leviter saucii tamen vociferantur et manus medicorum magis quam ferrum horrent, at veterani, quamvis confossi, patienter ac sine gemitu velut aliena corpora exsanari patiuntur: ita tu nunc debes fortiter praebere te curationi. lamentationes quidem et eiu- 2 latus et alia, per quae fere mulieris dolor tumultuatur, amove. perdidisti enim tot mala, si nondum misera esse didicisti. Ecquid videor non timide tecum egisse? nihil tibi subduxi ex malis tuis, sed omnia coacervata ante te posui.

IV. Magno id animo feci. constitui enim vincere do- 1 lorem tuum, non circumscribere. vincam autem, puto, primum si ostendero nihil me pati, propter quod ipse dici possim miser, nedum propter quod miseros etiam quos contingo faciam: deinde si ad te transiero et probavero ne tuam quidem gravem esse fortunam, quae tota ex mea pendet.

Hoc prius adgrediar, quod pietas tua audire ge- 2 stit, nihil mihi mali esse: si potuero, ipsas res, quibus me putas premi, non esse intolerabiles faciam manifestum. sin id credi non potuerit: at ego mihi ipse magis placebo, quod inter eas res beatus ero, quae miseros

- 3 solent facere. Non est, quod de me aliis credas: ipse tibi, ne quid incertis opinionibus perturberis, indico me non esse miserum. adiciam, quo securior sis, ne fieri quidem me posse miserum.
- 1 V. Bona condicione geniti sumus, si eam non deseruerimus. Id egit rerum natura, ut ad bene vivendum non magno adparatu opus esset: unusquisque facere se beatum potest. leve momentum in adventiciis rebus est et quod in neutram partem magnas vires habeat: nec secunda sapientem evehunt nec adversa demittunt. laboravit enim semper, ut in se plurimum poneret, 2 intra se omne gaudium peteret. Quid ergo? sapientem esse me dico? minime. nam id quidem si profiteri possem, non tantum negarem miserum esse me, sed omnium fortunatissimum et in vicinum deo perductum praedicarem: nunc, quod satis est ad omnis miserias leniendas, sapientibus me viris dedi et nondum in auxilium mei validus in aliena castra confugi, eorum scilicet, qui facile 3 se ac suos tuentur. Illi me iusserunt stare adsidue velut in praesidio positum et omnis conatus fortunae et omnis inpetus prospicere multo ante quam incurrant. illis gravis est, quibus repentina est: facile eam sustinet, qui semper exspectat. nam et hostium adventus eos prosternit, quos inopinantis occupavit: at qui futuro se bello ante bellum paraverunt, compositi et aptati primum, qui tumultuosissimus est, ictum 4 facile excipiunt. Numquam ego fortunae credidi, etiam cum videretur pacem agere. omnia illa, quae in me indulgentissime conferebat, pecuniam, honores, gratiam, eo loco posui, unde posset sine motu meo repetere. intervallum inter illa et me magnum habui: itaque abstulit illa, non avulsit. Neminem adversa fortuna conminuit, 5 nisi quem secunda decepit. Illi qui munera eius velut sua et perpetua amaverunt, qui se suspici propter illa voluerunt, iacent et moerent, cum vanos et pueriles animos, omnis solidae voluptatis ignaros, falsa et mobilia oblectamenta destituunt: at ille, qui se lactis rebus non inflavit, nec mutatis contrahit. adversus utrumque statum in-

victum animum tenet exploratae iam firmitatis. nam in ipsa felicitate quid contra infelicitatem valeret, expertus est. Itaque ego in illis, quae omnes optant, existimavi 6 semper nihil veri boni inesse. tum inania et specioso ac decepturo fuco circumlita inveni, intra nihil habentia fronti suae simile: nunc in his, quae mala vocantur, nihil tam terribile ac durum invenio quam opinio vulgi minabatur. verbum quidem ipsum persuasione quadam et consensu iam asperius ad aures venit et audientes tamquam triste et execrabile ferit: ita enim populus iussit. sed populi scita ex magna parte sapientes abrogant.

VI. Remoto ergo iudicio plurimum, quos prima rerum 1 species, utcumque credita est, auferit, videamus, quid sit exilium: nempe loci conmutatio. ne angustare videar vim eius et quicquid pessimum in se habet, subtrahere: hanc conmutationem loci sequuntur incommoda: paupertas, ignominia, contemptus. Adversus ista postea confligam: interim primum illud intueri volo, quid acerbi adferat ipsa loci conmutatio.

„Carere patria intolerabile est.“ Adspice aegidum 2 hanc frequentiam, cui vix urbis immensae tecta sufficiunt: maxima pars istius turbae patria caret. ex municipiis et coloniis suis, ex toto denique orbe terrarum confluerunt. Alios adduxit ambitio, alios necessitas officii publici, alios inposita legatio, alios luxuria opportunum et opulentum vitium locum quaerens, alios liberalium studiorum cupiditas, alios spectacula. quosdam traxit amicitia, quosdam industria laxam ostendendae virtuti nata materiam. quidam venalem formam adtulerunt, quidam venalem eloquentiam. Nullum non hominum genus concu- 3 currit in urbem et virtutibus et vitiis magna pretia ponentem. Iube istos omnes ad nomen citari et „unde domo“ quisque sit quaere: videbis maiorem partem esse, quae relictis sedibus suis venerit in maximam quidem ac pulcherrimam urbem, non tamen suam. Deinde ab hac civi- 4 tate discede, quae veluti communis potest dici. omnes urbes circumi: nulla non magnam partem peregrinae mul-

titudinis habet. transi ab iis, quarum amoena positio et  
 oportunitas regionis plures adlicit. deserta loca et  
 asperrimas insulas, Sciathum et Seriphum, Gyarum et  
 Corsicam percense: nullum invenies exilium, in quo non  
 5 aliquis animi causa moretur. Quid tam nudum inveniri  
 potest, quid tam abruptum undique quam hoc saxum?  
 quid ad copias respicienti ieiunius? quid ad homines in-  
 mansuetius? quid ad ipsum loci situm horridius? quid  
 ad coeli naturam intemperantius? plures tamen hic pere-  
 grini quam cives consistunt. Usque eo ergo conmutatio  
 ipsa locorum gravis non est, ut hic quoque locus a pa-  
 6 tria quosdam abduxerit. Invenio qui dicant inesse natu-  
 ralem quamdam irritationem animis conmutandi sedes et  
 transferendi domicilia. mobilis enim et inquieta homini  
 mens data est: numquam se tenet, spargitur et cogita-  
 tiones suas in omnia nota atque ignota dimittit, vaga et  
 7 quietis inpatiens et novitate rerum laetissima. quod non  
 miraberis, si primam eius originem adspexeris: non est  
 ex terreno et gravi concreta corpore. ex illo coelesti spi-  
 ritu descendit. coelestium autem natura semper in motu  
 est, fugit et velocissimo cursu agitur. Adspice sidera  
 mundum inlustrantia: nullum eorum perstat. „labitur  
 adsidue“ et locum ex loco mutat et, quamvis cum uni-  
 verso vertatur, in contrarium nihilominus ipsi mundo re-  
 fertur, per omnis signorum partes discurrit, numquam  
 resistit. perpetua eius agitatio et aliunde alio con migratio  
 8 est. Omnia volvuntur semper et in transitu sunt. ut lex  
 et naturae necessitas ordinavit, aliunde alio deferuntur.  
 cum per certa annorum spatia orbis suos explicuerint,  
 iterum ibunt per quae venerant: i nunc et humanum ani-  
 mum ex isdem, quibus divina constant, seminibus con-  
 positum moleste ferre transitum ac migrationem puta,  
 cum dei natura adsidua et citatissima conmutatione vel  
 delectet se vel conservet.

1 VII. A coelestibus agetum te ad humana converte:  
 videbis gentes populosque universos mutasse sedem.  
 quid sibi volunt in mediis barbarorum regionibus Grae-  
 cae urbes? quid inter Indos Persasque Macedonicus ser-



mo? Scythia et totus ille ferarum indomitarumque gen-  
 tium tractus civitates Aethiopiae Ponticis inpositas litoribus  
 ostentat. Non perpetuae hiemis saevitia, non hominum  
 ingenia ad similitudinem coeli sui horrentia transferenti-  
 bus domos suas obstiterunt. Athenis in Asia turba est. 2  
 Miletus quinque et septuaginta urbium populum in di-  
 versa effudit. totum Italiae latus, quod infero mari adluitur,  
 maior Graecia fuit. Tuscos Asia sibi vindicat. Tyrii  
 Africam incolunt. in Hispaniam Poeni, Graeci se in Gal-  
 liam inmiserunt, in Graeciam Galli. Pyrenaeus Germano-  
 rum transitus non inibuit. Per incognita versavit se hu- 3  
 mana levitas. liberos coniugesque et graves senio paren-  
 tes traxerunt. alii longo errore iactati non iudicio elegerunt  
 locum, sed lassitudine proximum occupaverunt. alii  
 armis sibi ius in aliena terra fecerunt. quasdam gentes,  
 cum ignota peterent, mare hausit. quaedam ibi consede- 4  
 runt, ubi illas rerum omnium inopia deposuit. Nec om-  
 nibus eadem causa relinquendi quaerendique patriam  
 fuit: alios excidia urbium suarum hostilibus armis elapsos  
 in alienas spoliatos suis expulerunt. alios domestica se-  
 ditio submovit. alios nimia superfluentis populi frequen-  
 tia ad exonerandas vires emisit. alios pestilentia aut fre-  
 quentes terrarum hiatus aut aliqua intoleranda infelicitas  
 soli vitia eiecerunt. quosdam fertilis orae et in maius  
 laudatae fama corrupit. alios alia causa excivit domibus  
 suis: illud utique manifestum est, nihil eodem loco man- 5  
 sisse, quo genitum est. adsiduus generis humani discursus  
 est. cotidie aliquid in tam magno orbe mutatur. nova  
 urbium fundamenta iaciuntur. nova gentium nomina ex-  
 stinctis prioribus aut in accessionem validioris conversis  
 oriuntur. Omnes autem istae populorum transportationes  
 quid aliud quam publica exilia sunt? Quid te tam longo 6  
 circuitu traho? quid interest enumerare Antenorem Pa-  
 tavii conditorem et Euandrum in ripa Tiberis regna Ar-  
 cadum conlocantem? quid Diomedem aliosque, quos Tro-  
 ianum bellum victos simul victoresque per alienas terras  
 dissipavit? Romanum imperium nempe auctorem exilem 7  
 respicit. quem profugum capta patria, exiguas reliquias

trahentem necessitas et victoris metus longinqua quae-  
 rentem in Italiam detulit. Hic deinde populus quot colo-  
 nias in omnem provinciam misit? ubicumque vicit Ro-  
 manus habitat. Ad hanc conmutationem locorum libentes  
 nomina dabant et relictis aris suis trans maria sequeba-  
 8 tur colonos senex. Res quidem non desiderat plurium  
 enumerationem. unum tamen adiciam, quod in oculos se  
 ingerit. Haec ipsa insula saepe iam cultores mutavit. ut  
 antiquiora, quae vetustas obduxit, transeam, Phocide  
 relicta Graii, qui nunc Massiliam incolunt, prius in hac  
 insula consederunt, ex qua quid eos fugaverit, incertum  
 est, utrum coeli gravitas an praepotentis Italiae conspe-  
 ctus an natura inportuosi maris: nam in causa non fuisse  
 feritatem accolarum eo adparet, quod maxime tunc tru-  
 cibus et inconditis Galliae populis se interposuerunt.  
 9 Transierunt deinde Ligures in eam, transierunt et Hispani,  
 quod ex similitudine ritus adparet: eadem enim teg-  
 menta capitum idemque genus calciamenti, quod Canta-  
 bris est, et verba quaedam. nam totus sermo conversa-  
 tione Graecorum Ligurumque a patrio descivit. deductae  
 deinde sunt duae civium Romanorum coloniae, altera a  
 Mario, altera a Sulla: totiens huius aridi et spinosi saxi  
 10 mutatus est populus. Vix denique invenies ullam terram,  
 quam etiamnunc indigenae colant. permixta omnia et  
*insiticia* sunt. alius alii successit. hic concupivit, quod  
 illi fastidio fuit. ille unde expulerat, eiectus est. Ita fato  
 placuit nullius rei eodem semper loco stare fortunam.

1 VIII. Adversus ipsam conmutationem loco-  
 rum detractis ceteris incommodis, quae exilio adhaerent,  
 satis hoc remedii putat Varro, doctissimus Romano-  
 rum, quod quocumque venimus, eadem rerum natura  
 utendum est. M. Brutus satis hoc putat, quod licet in-  
 2 exilium euntibus virtutes suas secum ferre. Haec etiamsi  
 quis singula parum iudicat efficacia ad consolandum exu-  
 lem, utraque in unum collata fatebitur plurimum posse.  
 quantulum enim est, quod perdidimus? duo quae pul-  
 cherrima sunt, quocumque nos moverimus, sequentur:  
 3 natura communis et propria virtus. Id actum est, mihi

crede, ab illo, quisquis formator universi fuit, sive ille deus est potens omnium, sive incorporalis ratio ingen-  
 tium operum artifex, sive divinus spiritus per omnia ma-  
 xima ac minima aequali intentione diffusus, sive fatum  
 et inmutabilis causarum inter se cohaerentium series: id,  
 inquam, actum est, ut in alienum arbitrium nisi vilissima  
 quaeque non caderent. Quicquid optimum homini est, 4  
 id extra humanam potentiam iacet. nec dari nec eripi  
 potest. mundus hic, quo nihil neque maius neque orna-  
 tius rerum natura genuit, animus contemplator admira-  
 torque mundi, pars eius magnificentissima, propria no-  
 bis et perpetua et tamdiu nobiscum mansura sunt, quam-  
 diu ipsi manebimus. Alacres itaque et erecti, quocumque 5  
 res tulerit, intrepido gradu properemus. emetiamur quas-  
 cumque terras: nullum inveniri exilium intra mundum  
 [pot]est alienum homini [est]. undecumque ex aequo ad  
 coelum erigitur acies, paribus intervallis omnia divina  
 ab omnibus humanis distant. Proinde dum oculi mei ab 6  
 illo spectaculo, cuius insatiabiles sunt, non abducantur,  
 dum mihi solem lunamque intueri liceat, dum ceteris in-  
 haereré sideribus, dum ortus eorum occasusque et in-  
 tervalla et causas investigare velocius meandi vel tardius,  
 spectare tot per noctem stellas micantes et alias im-  
 mobiles, alias non in magnum spatium exeuntes sed intra  
 suum se circumagentes vestigium, quasdam subito erum-  
 pentes, quasdam igne fuso praestringentes aciem, quasi  
 decidant, vel longo tractu cum luce multa praetervol-  
 lantes, dum cum his sim et coelestibus, qua homini fas  
 est, inmiscar, dum animum ad cognatarum rerum con-  
 spectum tendentem in sublimi semper habeam: quantum  
 refert mea, quid calcem?

IX. „At non est haec terra frugiferarum aut laetarum 1  
 arborum ferax. non magnis nec navigabilibus fluminum  
 alveis inrigatur. nihil gignit, quod aliae gentes petant, vix  
 ad tutelam incolentium fertilis. non pretiosus hic lapis  
 caeditur, non auri argentine venae eruuntur.“ Angu- 2  
 stus animus est, quem terrena delectant: ad illa abdu-  
 cendus est, quae ubique aequae adparent, ubique aequae

splendent. et hoc cogitandum est, ista veris bonis per falsa et prave credita obstare. Quo longiores porticus expedierint, quo altius turres sustulerint, quo latius vicos correxerint, quo depressius aestivos specus foderint, quo maiori mole fastigia coenationum subduxerint, hoc plus  
3 erit, quod illis coelum abscondat. In eam te regionem casus eiecit, in qua lautissimum receptaculum casa est: nae tu pusilli animi es et sordide se consolantis, si ideo id fortiter pateris, quia Romuli casam nosti. die illud potius: istud humile tugurium nempe virtutes recipit: iam omnibus templis formosius erit, cum illic iustitia conspecta fuerit, cum continentia, cum prudentia, pietas, omnium officiorum recte dispensandorum ratio, humanorum divinorumque scientia. Nullus angustus est locus, qui hanc tam magnarum virtutum turbam capit. nullum exilium grave  
4 est, in quod licet cum hoc ire comitatu. Brutus in eo libro, quem de virtute composuit, ait se Marcellum vidisse Mytilenis exulantem et quantum modo natura hominis pateretur, beatissime viventem neque unquam cupidiorum bonarum artium quam illo tempore. itaque adicit: *visum sibi se magis in exilium ire, qui sine illo reditus*  
5 *esset, quam illum in exilio relinquere.* O fortunatiorem Marcellum eo tempore, quo exilium suum Bruto adprobavit, quam quo reipublicae consulatum! quantus vir ille fuit, qui effecit, ut aliquis exul sibi videretur, quod ab exule recederet? quantus vir fuit, qui in admirationem sui adduxit hominem etiam Catoni suo mirandum?  
6 Idem Brutus ait: *C. Caesarem Mytilenas praetervectum, quia non sustineret videre deformatum virum.* Illi quidem reditum inpetravit senatus publicis precibus tam sollicitus ac moestus, ut omnes illo die Bruti habere animum viderentur et non pro Marcello, sed pro se deprecari, ne exules essent, si sine illo fuissent: sed plus multo consecutus est, quo die illum exulem Brutus relinquere non potuit, Caesar videre. contigit enim illi testimonium utriusque: Brutus sine Marcello reverti se doluit, Caesar  
7 erubuit. Num dubitas, quin se ille Marcellus tantus vir sic ad tolerandum aequo animo exilium saepe adhortatus

sit? „quod patria cares, non est miserum. ita te disciplinis inbuisti, ut scires omnem locum sapienti viro patriam esse. Quid porro? hic, qui te expulit, non ipse per annos decem continuos patria caruit? propagandi sine dubio imperii causa: sed nempe caruit. nunc ecce 8 trahit illum ad se Africa resurgentis belli minis plena, trahit Hispania, quae fractas et adflictas partes refovet, trahit Aegyptus infida, totus denique orbis, qui ad occasionem concussi imperii intentus est. cui primum rei occurret? cui parti se opponet? aget illum per omnes terras victoria sua. Illum suspiciant et colant gentes: tu vive Bruto miratore contentus.“

X. Bene ergo exilium tulit Marcellus nec quicquam 1 in animo eius mutavit loci mutatio, quamvis eam paupertas sequeretur. in qua nihil mali esse, quisquis modo nondum pervenit in insaniam omnia subvertentis avaritiae atque luxuriae, intellegit. Quantulum enim est, quod in tutelam hominis necessarium sit? et cui deesse hoc potest ullam modo virtutem habenti? Quod ad me 2 quidem pertinet, intellego me non opes, sed occupationes perdidisse. corporis exigua desideria sunt: frigus submoveri vult, alimentis famem ac sitim extinguere. quicquid extra concupiscitur, viliis, non usibus laboratur. Non est necesse omne perscrutari profundum nec strage animalium ventrem onerare nec conchyliam ultimi maris ex ignoto litore eruere: di istos deaque perdant, quorum luxuria tam invidiosi imperii fines transcendit. Ultra Phasin capi volunt, quod ambi- 3 tiosam popinam instruat, nec piget a Parthis, a quibus nondum poenas repetiimus, aves petere. undique [*raris- sima quaeque*] convehunt omnia nota fastidienti gulae. quod dissolutus deliciis stomachus vix admittat, ab ultimo portatur Oceano. vomunt ut edant, edunt ut vomant, et epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. Ista si quis despicit, quid illi paupertas nocet? si quis concupiscit, illi paupertas etiam prodest. invitus enim sanatur et, si remedia ne coactus quidem recepit, interim certe dum non potest, nolenti similis est. C. Cae- 4

sar Augustus, quem mihi videtur rerum natura edidisse, ut ostenderet, quid summa vitia in summa fortuna possent, centies sestertio coenavit uno die. et in hoc omnium adiutus ingenio vix tamen invenit, quomodo trium  
 5 provinciarum tributum una coena fieret. O miserabiles, quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur! pretiosos autem non eximius sapor aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas et difficultas parandi facit. alioquin si ad sanam illis mentem placeat reverti, quid opus est tot artibus ventri servientibus? quid mercaturis? quid vastatione silvarum? quid profundi perscrutatione? passim iacent alimenta, quae rerum natura omnibus locis deposuit, sed haec velut caeci transeunt et omnes regiones pervagantur, maria traiciunt et, cum famem exiguo possint sedare, magno  
 6 irritant. Libet dicere: quid deducitis naves? quid manus et adversus feras et adversus homines armatis? quid tanto tumultu discurritis? quid opes opibus adgeritis? non vultis cogitare, quam parva vobis corpora sint? nonne furor et ultimus mentium error est, cum tam exiguum capias, cupere multum? Licet itaque augeatis census, promoveatis fines: numquam tamen corpora vestra laxabitis. Cum bene cesserit negotiatio, multum militia retulerit, cum indagati undique cibi coierint, non habebitis,  
 7 ubi istos adparatus vestros conlocetis. Quid tam multa conquiritis? Scilicet maiores nostri, quorum virtus etiam nunc vitia nostra sustentat, infelices erant, qui sibi manu sua parabant cibum, quibus terra cubile erat, quorum tecta nondum auro fulgebant, quorum templa nondum gemmis nitebant. itaque tunc per fictiles deos religiose iurabatur. qui illos invocaverant, ad hostem morituri, ne fallerent, redibant. Scilicet minus beate vivebat  
 8 dictator noster, qui Samnitium legatos audiit, cum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret, illa, quam iam saepe hostem percusserat laureamque in Capitolini Iovis gremio reposuerat, quam Apicius nostra memoria vixit, qui in ea urbe, ex qua aliquando philosophi velut corruptores iuventutis abire iussi sunt, scientiam popinae professus disciplina sua seculum infecit. cuius exitum

nosse operae pretium est. Cum sestertium millies in cu- 9  
 linam coniecisset, cum tot congiaria principum et ingens  
 Capitolii vectigal singulis comissionibus exsorpsisset,  
 aere alieno oppressus rationes suas tunc primum coactus  
 inspexit: superfuturum sibi sestertium centies computavit  
 et velut in ultima fame victurus, si in sestertio centies  
 vixisset, veneno vitam finivit. Quanta luxuria erat, cui 10  
 centies sestertium egestas fuit? i nunc et puta pecuniae  
 modum ad rem pertinere, non animi. Sestertium centies  
 aliquis extimuit et, quod alii voto petunt, veneno fugit?  
 illi vero tam pravae mentis homini ultima potio saluber-  
 rima fuit: tunc venena edebat bibebatque, cum immensis  
 epulis non delectaretur tantum, sed gloriaretur, cum vi-  
 tia sua ostentaret, cum civitatem in luxuriam suam con-  
 verteret, cum iuventutem ad imitationem sui sollicitaret,  
 etiam sine malis exemplis per se docilem. Haec accidunt 11  
 divitias non ad rationem revocantibus, cuius certi fines  
 sunt, sed ad vitiosam consuetudinem, cuius immensum  
 et incomprehensibile arbitrium est. Cupiditati nihil est  
 satis, naturae satis est etiam parum. Nullum ergo pau-  
 pertas exulis incommodum habet: nullum enim tam inops  
 exilium est, quod non alendo homini abunde fertile sit.

XI. An vestem ac domum desideraturus est 1  
 exul? [si] haec quoque ad usum tantum desiderabit,  
 neque tectum ei deerit neque velamentum. aequae enim  
 exiguo tegitur corpus quam alitur. nihil homini na-  
 tura, quod necessarium faciebat, fecit operosum. Sed 2  
 desiderat saturari multo conchylio purpuram intextam  
 auro variisque et coloribus distinctam et artibus: non for-  
 tunae iste vitio, sed suo pauper est. etiamsi illi quicquid  
 amisit, restitueris, nihil ages. plus enim restituendo deerit  
 ex eo, quod cupit, quam exuli ex eo, quod habuit.  
 Sed desiderat aureis fulgentem vasis supellectilem et an- 3  
 tiquis nominibus artificum argentum nobile, aes pauco-  
 rum insania pretiosum et servorum turbam, quae quamvis  
 magnam domum angustet, iumentorum corpora differta  
 et coacta pinguescere et nationum omnium lapides: ista  
 congerantur licet, numquam explebunt inexplebilem ani-

mum, non magis quam ullus sufficiet humor ad satiandum  
 eum, cuius desiderium non ex inopia, sed ex aestu ar-  
 dentium viscerum oritur. non enim sitis illa, sed morbus  
 4 est. Nec hoc in pecunia tantum aut alimentis  
 evenit: eadem natura est in omni desiderio,  
 quod modo non ex inopia, sed ex vitio nasci-  
 tur. quicquid illi congesseris, non finis erit cupiditatis,  
 sed gradus. Qui continebit itaque se intra naturalem  
 modum, paupertatem non sentiet: qui naturalem modum  
 excedit, eum in summis quoque opibus paupertas seque-  
 tur. Necessary rebus et exilia sufficiunt, supervacuis  
 5 nec regna. Animus est, qui divites facit. hic in exilia  
 sequitur et in solitudinibus asperrimis, cum quantum  
 satis est sustinendo corpori invenit, ipse bonis suis abun-  
 dat et fruitur: pecunia ad animum nihil pertinet, non ma-  
 gis quam ad deos immortales omnia ista, quae inperita  
 6 ingenia et nimis corporibus suis addicta suspiciunt. la-  
 pides, aurum, argentum et magni laevatique mensarum  
 orbes terrena sunt pondera, quae non potest amare sin-  
 cerus animus ac naturae suae memor, levis ipse, expers  
 et quandoque emissus fuerit, ad summa emicaturus:  
 interim quantum per moras membrorum et hanc circum-  
 fusam gravem sarcinam licet, celeri et volucris cogitatione  
 7 divina perlustrat. ideoque nec exulare unquam potest  
 liber et dis cognatus et omni mundo omnique aevo par-  
 nam cogitatio eius circa omne coelum et in omne prae-  
 teritum futurumque tempus inmittitur. corpusculum hoc,  
 custodia et vinculum animi, huc atque illuc iactatur. in  
 hoc supplicia, in hoc latrocinia, in hoc morbi exercen-  
 tur: animus quidem ipse sacer et aeternus est et cui non  
 possit inici manus.

1 XII. Ne me putes ad elevanda incommoda  
 paupertatis, quam nemo gravem sentit, nisi  
 qui putat, uti tantum praeceptis sapientum.  
 Primum adspice, quanto maior pars sit pauperum, quos  
 nihilo notabis tristiores sollicitioresque divitibus: immo  
 nescio an eo laetiores sint, quod animus illorum in pau-  
 2 ciora dstringitur. Transeamus *a pauperibus nunc et ve-*



niamus ad locupletes: quam multa sunt tempora, quibus pauperibus similes sint? circumcisae sunt peregrinantium sarcinae et quotiens festinationem necessitas itineris exegit, comitum turba dimittitur. militantes quotam partem rerum suarum secum habent, cum omnem adparatum castrensis disciplina submoveat? Nec tantum condicio 3 illos temporum aut locorum inopia pauperibus exaequat: sumunt quosdam dies, cum iam illos divitiarum taedium cepit, quibus humi coeant et remoto auro argentoque fictilibus utantur. dementes! hoc quod aliquando concupiscunt, semper timent. O quanta illòs caligo mentium, quanta ignorantia veritatis exercet, quam voluptatis causa imitantur! Me quidem quotiens ad antiqua exempla re- 4 spexi, paupertatis uti solatiis pudet, quoniam quidem eo temporum luxuria prolapsa est, ut maius viaticum exulum sit, quam olim patrimonium principum fuit. Unum fuisse Homero servum, tres Platoni, nullum Zenoni, a quo coepit Stoicorum rigida ac virilis sapientia, satis constat. num ergo quisquam eos misere vixisse dicet, ut non ipse miserrimus ob hoc omnibus videatur? Mene- 5 nius Agrippa, qui inter patres ac plebem publicae gratiae sequester fuit, aere collato funeratus est. Attilius Regulus, cum Poenos in Africa funderet, ad senatum scripsit mercenarium suum discessisse et ab eo desertum esse rus, quod senatui publice curari, dum abesset Regulus, placuit: fuitne tanti servum non habere, ut colonus eius populus Romanus esset? Scipionis filiae ex 6 aerario dotem acceperunt, quia nihil illis reliquerat pater. aequum mehercules erat populum Romanum tributum Scipioni semel conferre, cum a Carthagine semper exigeret. O felices viros puellarum, quibus populus Romanus loco soceri fuit! beatioresne istos putas, quorum pantomimae decies sestertio nubunt, quam Scipionem, cuius liberi a senatu, tutore suo, in dotem aes grave acceperunt? Deditur aliquis paupertatem, cuius tam 7 clarae imagines sunt? indignatur exul aliquid sibi deesse, cum defuerit Scipioni dos, Regulo mercenarius, Menenio funus, cum omnibus illis quod deerat, ideo honestius

suppletum sit, quia defuerat? His ergo advocatis non tantum tuta est, sed etiam gratiosa paupertas.

- 1 XIII. Responderi potest: „Quid artificiose ista diducis, quae singula sustineri possunt, collata non possunt? Conmutatio loci tolerabilis est, si tantum locum nutes. paupertas tolerabilis est, si ignominia  
2 absit, quae vel sola opprimere animos solet.“ Adversus hunc quisquis me malorum turba terrebit, his verbis utendum erit: Si contra unamquamlibet partem fortunae satis tibi roboris est, idem adversus omnis erit. cum semel animum virtus induravit, undique involnerabilem praestat: si avaritia dimisit, vehementissima generis humani pestis, moram tibi ambitio non faciet. si ultimum diem non quasi poenam, sed quasi naturae legem adspicis, ex quo pectore metum eieceris,  
3 in id nullius rei timor audebit intrare. si cogitas libidinem non voluptatis causa homini datam, sed propagandi generis, quem non violaverit hoc secretum et infixum visceribus ipsis exitium, omnis alia cupiditas intactum praeteribit. Non singula vitia ratio, sed pariter omnia pro-  
4 sternit: in universum semel vincitur. Ignominia tu putas quemquam sapientem moveri posse, qui omnia in se reposuit, qui ab opinionibus vulgi secessit? plus etiam quam ignominia est mors ignominiosa: Socrates tamen eodem illo voltu, quo triginta tyrannos solus aliquando in ordinem redegerat, carcerem intravit ignominiam ipsi loco detracturus. neque enim poterat carcer videri in  
5 quo Socrates erat. Quis usque eo ad conspiciendam veritatem excaecatus est, ut ignominiam putet M. Catonis fuisse duplicem in petitione praeturae et consulatus repulsam? ignominia illa praeturae et consulatus fuit, quibus ex Catone honor habebatur. Nemo ab alio contemnitur, nisi a se ante contemptus est. humilis et proiectus animus sit isti contumeliae opportunus: qui vero adversus saevissimos casus se extollit et ea mala, quibus alii opprimuntur, evertit, ipsas miseras infularum loco habet, quando ita adfecti sumus, ut nihil aeque magnam apud nos admirationem oocupet, quam homo fortiter miser.

Ducebatur Athenis ad supplicium Aristides, cui quisquis 7  
 occurrerat, deiciebat oculos et ingemiscebat, non tam-  
 quam in hominem iustum sed tanquam in ipsam iustitiam  
 animadverteretur. inventus est tamen, qui in faciem eius  
 inspueret: poterat [ob] hoc moleste ferre, quod sciebat  
 neminem id ausurum puri oris. at ille abstersit faciem et  
 subridens ait comitanti se magistratui: „admone istum, ne  
 postea tam inprobe oscitet.“ Hoc fuit contumeliam ipsi  
 contumeliae facere. Scio quosdam dicere contem- 8  
 ptu nihil esse gravius, mortem ipsis potiore videri.  
 His ego respondebo et exilium saepe contemptione omni  
 carere. si magnus vir cecidit, magnus iacuit, non magis  
 illum putes contemni, quam cum aedium sacrarum ruinae  
 calcantur, quas religiosi aequae ac stantis adorant.

XIV. Quoniam meo nomine nihil habes, 1  
 mater carissima, quod te in infinitas lacri-  
 mas agat, sequitur ut causae tuae te stimu-  
 lent. sunt autem duae: nam aut illud te movet,  
 quod praesidium aliquod videris amisisse,  
 aut illud, quod desiderium ipsum per se pati  
 non potes.

Prior pars mihi leviter perstringenda est: 2  
 novi enim animum tuum nihil in suis praeter ipsos aman-  
 tem. Viderint illae matres, quae potentiam liberorum  
 muliebri in potentia exercent, quae, quia feminis honores  
 non licet gerere, per illos ambitiosae sunt, quae patri-  
 monia filiorum et exhauriunt et captant, quae eloquen-  
 tiam commodando aliis fatigant: tu liberorum tuorum 3  
 bonis plurimum gavisa es, minimum usa. tu liberalitati  
 nostrae semper inposuisti modum, cum tuae non in-  
 poneres. tu filia familiae locupletibus filiis ultro con-  
 tulisti. tu patrimonia nostra sic administrasti, ut tamquam  
 in tuis laborares, tamquam alienis abstineres. tu gratiae  
 nostrae, tamquam aliis rebus uteris, pepercisti et ex  
 honoribus nostris nihil ad te nisi voluptas et inpensa per-  
 tinuit: numquam indulgentia ad utilitatem respexit. Non  
 potes itaque ea in erepto filio desiderare, quae [in] incolumi  
 numquam ad te pertinere duxisti.

1 XV. Illo omnis consolatio mihi vertenda est, unde vera vis materni doloris oritur: „ego complexu filii carissimi careo, non conspectu eius, non sermone possum frui. ubi est ille, quo viso tristem voltum relaxavi, in quo omnes sollicitudines meas deposui? ubi colloquia, quorum inexplebilis eram? ubi studia, quibus libentius quam femina, familiarius quam mater intereram? ubi ille occursum? ubi matre visa sem-

2 per puerilis hilaritas?“ Adicis istis loca ipsa gratulationum et convictuum et, ut necesse est, efficacissimas ad vexandos animos recentis conversationis notas. nam hoc quoque adversus te crudeliter fortuna molita est, quod te ante tertium demum diem quam percussus sum, securam

3 nec quicquam tale metuentem *digredi* voluit. Bene nos longinquitas locorum diviserat. bene aliquot annorum absentia huic te malo praeparaverat: redisti non ut voluptatem ex filio perciperes, sed ut consuetudinem desiderii perderes. si multo ante afuisses, fortius tulisses ipso intervallo desiderium molliente: si non recessisses, ultimum certe fructum biduo diutius videndi filium tulisses: nunc crudele fatum ita composuit, ut nec fortunae meae inter-

4 esses nec absentiae adsuesceres. Sed quanto ista duriora sunt, tanto maior tibi virtus advocanda est et velut cum hoste noto ac saepe iam victo acrius est congregiendum. Non ex intacto corpore tuo sanguis hic fluxit: per ipsas cicatrices percussa es.

1 XVI. Non est quod utaris excusatione muliebris nominis, cui paene concessum est inmoderatum in lacrimas ius, non inmensum tamen. et ideo maiores decem mensium spatium lugentibus viros dederunt, ut cum pertinacia muliebris moeroris publica constitutione deciderent. non prohibuerunt luctus, sed finierunt. nam et infinito dolore, cum aliquem ex carissimis amiseris, adfici stulta indulgentia est, et nullo inhumana duritia: optimum inter pietatem et rationem temperamentum est et sentire desiderium et opprimere. Non est quod ad quasdam feminas respicias, quarum tristitiam semel sumptam mors finivit.

2 nosti quasdam, quae amissis filiis inposita lugubria num-

quam exuerunt: a te plus exigit vita ab initio fortior. non potest muliebris excusatio contingere ei, a qua omnia muliebria vitia afuerunt. Non te maximum seculi malum, 3  
 inpudicitia, in numerum plurium adduxit. non gemmae te, non margaritae flexerunt. non tibi divitiae velut maximum generis humani bonum refulserunt. non te, bene in antiqua et severa institutam domo, periculosa etiam probis peiorum detorsit imitatio. numquam te fecunditatis tuae, quasi exprobraret aetatem, puduit. numquam more aliarum, quibus omnis commendatio ex forma petitur, tumescentem uterum abscondisti quasi indecens onus, nec intra viscera tua conceptas spes liberorum elisisti. Non 4  
 faciem coloribus ac lenociniis polluisti. numquam tibi placuit vestis, quae nihil amplius nudaret, cum poneretur: unicum tibi ornamentum pulcherrima et nulli obnoxia aetati forma, maximum decus visa est pudicitia. Non 5  
 potes itaque ad obtinendum dolorem muliebri nomen praetendere, ex quo te virtutes tuae seduxerunt. tantum debes a feminarum lacrimis abesse, quantum a vitiis. Ne feminae quidem te sinent intabescere volneri tuo, sed leni ac necessario moerore cito defunctam iubebunt exsurgere, si modo illas intueri voles feminas, quas conspecta virtus inter magnos viros posuit. Corneliam ex 6  
 duodecim liberis ad duos fortuna redegerat. si numerare funera Corneliae velles, amiserat decem: si aestimare, amiserat Gracchos. flentibus tamen circa se et fatum eius exsecrantibus interdixit, „ne fortunam accusarent, quae sibi filios Gracchos dedisset.“ Ex hac femina debuit nasci, qui diceret in concione: *Tu matri meae maledicas, quae me peperit?* Multo mihi vox matris videtur animosior: filius magno aestimavit Gracchorum natales, mater et funera. Rutilia Cottam filium secuta est in exilium et usque 7  
 eo fuit indulgentia constricta, ut mallet exilium pati quam desiderium, nec ante in patriam quam cum filio rediit. Eundem iam reducem et in republica florentem tam fortiter amisit quam secuta est. nec quisquam lacrimas eius post elatum filium notavit. In expulso virtutem ostendit, in amisso prudentiam: nam et nihil illam a pietate deter-

ruit et nihil in tristitia supervacua stultaque detinuit. Cum his te numerari feminis volo: quarum vitam semper imitata es, earum in coercenda conprimendaque aegritudine optime sequeris exemplum.

- 1 XVII. Scio rem non esse in nostra potestate nec illum adfectum servire, minime vero eum, qui ex dolore nascitur. ferox enim et adversus omne remedium contumax est. Volumus interim illum obruere et devorare gemitus: per ipsum tamen compositum fictumque voltum lacrimae profunduntur. Ludis interim aut gladiatoribus animum occupamus: at illum inter ipsa, quibus avocatur,
- 2 spectacula levis aliqua desiderii nota subruit. Ideo melius est vincere illum quam fallere. nam qui delusus et voluptatibus aut occupationibus abductus est, resurgit et ipsa quiete inpetum ad saevendum colligit: at quisquis rationi cessit, in perpetuum conponitur. Non sum itaque tibi illa monstraturus, quibus usos esse multos scio, ut peregrinatione te vel longa detineas vel amoena delectes, ut rationum accipiendarum diligentia, patrimonii administratione multum occupes temporis, ut semper novo te aliquo negotio implices: omnia ista ad exiguum momentum prosunt nec remedia doloris, sed impedimenta sunt.
- 3 ego autem malo illum desinere quam decipi. Itaque illo te duco, quo omnibus, qui fortunam fugiunt, confugiendum est, ad liberalia studia: illa sanabunt vulnus tuum, illa omnem tristitiam tibi evellent. his etiamsi numquam adsuesses, nunc utendum erat. sed quantum tibi patris mei antiquus rigor permisit, omnes bonas artes non quidem comprehendisti, adtigisti tamen.
- 4 Utinam quidem virorum optimus, pater meus, minus maiorum consuetudini deditus voluisset te praeceptis sapientiae erudiri potius quam inbui! non parandum tibi nunc contra fortunam esset auxilium, sed proferendum: propter istas, quae literis non ad sapientiam utuntur, sed ad luxuriam instruuntur, minus te indulgere studiis passus est. beneficio tamen rapacis ingenii plus quam pro tempore hausisti. iacta sunt disciplinarum omnium fundamenta: nunc ad illas revertere: tutam te praestabunt.

illae consolabuntur, illae delectabunt, illae si bona fide 5  
 in animum tuum intraverint, numquam amplius intrabit  
 dolor, numquam sollicitudo, numquam afflictionis inri-  
 tae supervacua vexatio. nulli horum patebit pectus tuum:  
 nam ceteris vitiis iam pridem clusum est. Haec quidem  
 certissima praesidia sunt et quae sola te fortunae eripere  
 possint.

XVIII. Sed quia, dum in illum portum, quem tibi 1  
 studia promittunt, perveneris, adminiculis quibus innita-  
 ris, opus est, volo interim solatia tibi tua osten-  
 dere. Respice fratres meos, quibus salvus fas tibi  
 non est accusare fortunam. In utroque habes, quod te 2  
 diversa virtute delectet: alter honores industria conse-  
 cutus est, alter sapienter contempsit. adquiesce alterius  
 filii dignitate, alterius quiete, utriusque pietate. novi fra-  
 trum meorum intimos adfectus: alter in hoc dignitatem  
 excolit, ut tibi ornamento sit, alter in hoc se ad tranquil-  
 lam quietamque vitam recepit, ut tibi vacet. Bene liberos 3  
 tuos et in auxilium et in oblectamentum fortuna disposuit:  
 potes alterius dignitate defendi, alterius otio frui. certa-  
 bunt in te officiis et unius desiderium duorum pietate  
 supplebitur. Audacter possum promittere, nihil tibi deerit  
 praeter numerum. Ab his ad nepotes quoque re- 4  
 spice: Marcum blandissimum puerum, ad cuius  
 conspectum nulla potest durare tristitia. nihil tam ma-  
 gnum, nihil tam recens in cuiusquam pectore fuerit, quod  
 non circumfusus ille permulceat. Cuius non lacrimas illius 5  
 hilaritas supprimat? cuius non contractum sollicitudine  
 animum illius argutiae solvant? quem non in iocos evo-  
 cabit illa lascivia? quem non in se convertet et abducet  
 infixum cogitationibus illa neminem satiatura garrulitas?  
 Deos oro, contingat hunc habere nobis superstitem: in 6  
 me omnis fatorum crudelitas lassata consistat: quicquid  
 matri dolendum fuit, in me transierit, quicquid aviae, in  
 me. Floreat reliqua in suo statu turba: nihil de orbitate,  
 nihil de condicione mea querar. fuerim tantum nihil am-  
 plius doliturae domus piammentum. Tene in gremio tuo 7  
 cito tibi daturam pronepotes Novatillam, quam

sic in me transtuleram, sic mihi adscripseram, ut posset videri, quod me amisit, quamvis salvo patre pupilla. hanc et pro me dilige. Abstulit illi nuper fortuna matrem: tua potest efficere pietas, ut perdidisse se matrem doleat  
 8 tantum, non et sentiat. nunc mores eius conpone, nunc forma: altius praecepta descendunt, quae teneris inprimuntur aetatibus. tuis adsuescat sermonibus. ad tuum fingatur arbitrium: multum illi dabis, etiamsi nihil dederis praeter exemplum. Hoc tibi tam sollemne officium pro remedio erit: non potest enim animum pie dolentem a sollicitudine avertere nisi aut ratio aut honesta occupatio.  
 9 Numerarem inter magna solatia patrem quoque tuum, nisi abesset. nunc tamen ex adfectu tuo, qui illius in te sit cogita: intelleges, quanto iustius sit te illi servari quam mihi inpendi. quotiens te inmodica vis doloris invaserit et sequi se iubebit, patrem cogita. cui tu quidem tot nepotes pronepotesque dando effecisti, ne unica esses: consummatio tamen aetatis actae feliciter in te vertitur. Illo vivo nefas est te, quod vixeris, queri.

1 XIX. Maximum adhuc solatium tuum tacueram, sororem tuam, illud fidelissimum tibi pectus, in quod omnes curae tuae pro indiviso transferuntur, illum animum omnibus nobis maternum. cum hac tu lacrimas  
 2 tuas miscuisti, in huius primum respirasti sinu. Illa quidem adfectus tuos semper sequitur: in mea tamen persona non tantum pro te dolet. Illius manibus in urbem perlatus sum. illius pio maternoque nutricio per longum tempus aeger convalui. illa pro quaestura mea gratiam suam extendit et quae ne sermonis quidem aut clarae salutationis sustinuit audaciam, pro me vicit indulgentia verecundiam. Nihil illi seductum vitae genus, nihil modestia [*ut*] in tanta feminarum petulantia rustica, nihil quies, nihil secreti et ad otium repositi mores obstitute-  
 3 runt, quo minus pro me etiam ambitiosa fieret. Hoc est, mater carissima, solatium quo reficiaris: illi te, quantum potes, iunge, illius artissimis amplexibus adliga. Solent moerentes ea, quae maxime diligunt, fugere et liberta-



tem dolori suo quaerere: tu ad illam te et quicquid cogitaveris, confer. sive servare istum habitum voles sive deponere, apud illam invenes vel finem doloris tui vel comitem. Sed si prudentiam perfectissimae feminae novi, 4 non patietur te nihil profuturo moerore consumi et exemplum tibi suum, cuius ego etiam spectator fui, narabit. Carissimum virum amiserat, avunculum nostrum, cui virgo nupserat, in ipsa quidem navigatione: tulit tamen eodem tempore et luctum et metum evictisque tempestatibus corpus eius naufraga evexit. O quam multa- 5 rum egregia opera in obscuro iacent! Si huic illa simplex admirandis virtutibus contigisset antiquitas, quanto ingeniorum certamine celebraretur uxor, quae, oblita inbecillitatis, oblita metuendi etiam firmissimis maris, caput suum periculis pro sepultura obiecit et, dum cogitat de viri funere, nihil de suo timuit? Nobilitatur carminibus omnium, quae se pro coniuge vicariam dedit: hoc amplius est, discrimine vitae sepulcrum viro quaerere. maior est amor, qui pari periculo minus redimit. Post hoc nemo 6 miratur, quod per sedecim annos, quibus Aegyptum maritus eius obtinuit, numquam in publico conspecta est, neminem provincialem domum suam admisit, nihil a viro petiit, nihil a se peti passa est. Itaque loquax et in contumelias praefectorum ingeniosa provincia, in qua etiam qui vitaverunt culpam, non effugerunt infamiam, velut unicuique sanctitatis exemplum suspexit et, quod illi difficillimum est, cui etiam periculosi sales placent, omnem verborum licentiam continuit et hodie similem illi, quamvis numquam speret, semper optat. Multum erat, si per sedecim annos illam provincia probasset: plus est, quod ignoravit. Haec non ideo refero, ut laudes eius exsequar, 7 quas circumscribere est tam parce transcurrere, sed ut intellegas magni animi esse feminam, quam non ambitio, non avaritia, comites omnis potentiae et pestes, vicerunt, non metus mortis eam exarmata navi naufragium suum spectantem deterruit, quo minus exanimi viro haerens non quaereret, quemadmodum inde exiret, sed quemadmodum efferret. Huic parem virtutem exhibeas oportet et

animum a luctu recipias et id agas, ne quis te putet par-  
tus tui poenitere.

- 1 XX. Ceterum quia necesse est, cum omnia feceris, cogitationes tamen tuas subinde ad me recurrere nec quemquam nunc ex liberis tuis frequentius tibi obversari, non quia illi minus cari sint, sed quia naturale est manum saepius ad id referre, quod doleat, qualem me cogites accipe: laetum et alacrem velut optimis rebus. sunt enim optimae, quoniam animus omnis occupationis ex-  
pers operibus suis vacat et modo se levioribus studiis oblectat, modo ad considerandam suam universique na-  
2 turam veri avidus insurgit: terras primum situmque earum quaerit. deinde condicionem circumfusi maris cursusque eius alternos et recursus. tunc quicquid inter coelum terrasque plenum formidinis interiacet perspicit et hoc tonitribus, fulminibus, ventorum flatibus ac nimborum nivisque et grandinis iactu tumultuosum spatium. tum peragratis humilioribus ad summa prorumpit et pulcherrimo divinorum spectaculo fruitur. Aeternitatis suae memor in omne, quod fuit futurumque est, vadit [omnibus seculis].
-

**L. ANNAEI SENECAE**  
**EPIGRAMMATA SUPER EXILIO.**

---

I. AD CORSICAM.

Corsica Phocaico tellus habitata colono,  
Corsica, quae patrio nomine Cyrnus eras,  
Corsica Sardinia brevior, porrectior Ilva,  
Corsica piscosis pervia fluminibus,  
Corsica terribilis, cum primum incanduit aestas, 5  
Saevior, ostendit cum ferus ora canis,  
Parce relegatis, hoc est, iam parce sepultis:  
Vivorum cineri sit tua terra levis.

II. DE EADEM.

Barbara praeruptis inclusa est Corsica saxis,  
Horrida, desertis undique vasta locis.  
Non poma autumnus, segetes non educat aestas,  
Canaque Palladio munere bruma caret.  
Umbrarum nullo ver est laetabile foetu, 5  
Nullaque in infausto nascitur herba solo.  
Non panis, non haustus aquae, non ultimus ignis:  
Hic sola haec duo sunt, exsul et exsilium.

III. QUERELA.

Oecisi iugulum quisquis scrutaris amici,  
Tu miserum necdum me satis esse putas?  
Desere confossum: victori vulnus iniquo  
Mortiferum inpressit mortua saepe manus.

IV. ITEM.

Quisquis es, — et nomen dicam: dolor omnia cogit —  
Qui nostrum cinerem nunc, inimice, premis  
Et non contentus tantis subitisque ruinis  
Stringis in exstinctum tela cruenta caput:

Crede mihi, vires aliquas natura sepulchris 5  
 Attribuit: tumulos vindicat umbra suos.  
 Ipsos crede deos hoc nunc tibi dicere, livor,  
 Hoc tibi nunc manes dicere crede meos:  
 Res est sacra, miser. noli mea tangere fata.  
 Sacrilegae bustis abstinuere manus. 10

V.

ITEM.

Carmina mortifero tua sunt suffusa veneno,  
 Et sunt criminibus pectora nigra magis.  
 Nemo tuos fugiat, non vir, non femina dentes,  
 Haud puer, haud aetas undique tuta senis,  
 Utque furens totas immittit saxa per urbes 5  
 In populum, sic tu verba maligna iacis.  
 Sed solet insanos populus compescere sanus,  
 Et repetunt motum saxa remissa caput.  
 In te nunc stringit nullus non carmina vates,  
 Inque tuam rabiem publica Musa furit. 10  
 Dum sua compositus nondum bene concutit arma  
 Miles, it e nostra lancea torta manu.  
 Bellus homo, et valide capitalia *carmina* ludis,  
 Deque tuis manant atra venena iocis.  
 Sed tu perque iocum dicis vinumque: quid ad rem, 15  
 Si plorem, risus si tuus ista facit?  
 Quare tolle iocos: non est iocus esse malignum.  
 Numquam sunt grati, qui nocuere sales.

VI.

AD AMICUM.

Crispe, meae vires, lassarumque ancora rerum,  
 Crispe, vel antiquo conspiciende foro:  
 Crispe potens numquam, nisi cum prodesse volebas,  
 Naufragio littus tutaque terra meo,  
 Solus honor nobis arx et tutissima nobis 5  
 Et nunc afflicto sola quies animo:  
 Crispe, fides dulcis, placidique acerrima virtus,  
 Cuius Cecropio pectora melle madent:  
 Maxima facundo vel avo vel gloria patri,  
 Quo solo careat si quis, in exsilio est: 10  
 An tua, qui iaceo saxis telluris adhaerens,  
 Mens necum est, nulla quae cohibetur humo?

## VII. DE QUALITATE TEMPORIS.

Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit,  
 Omnia sede movet, nil sinit esse diu.  
 Flumina deficiunt, profugum mare littora siccat,  
 Subsident montes et iuga celsa ruunt.  
 Quid tam parva loquor? moles pulcherrima coeli 5  
 Ardebit flammis tota repente suis.  
 Omnia mors poscit. Lex est, non poena, perire:  
 Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

## VIII. VOTUM.

Sic mihi sit frater maiorque minorque superstes,  
 Et de me doleat nil nisi morte mea.  
 Sic illos vincam, sic vincar rursus amando:  
 Mutuus inter nos sic bene certet amor.  
 Sic dulci Marcus, qui nunc sermone fritinnit, 5  
 Facundo patruus provocet ore duos.

## IX. AD CORDUBAM.

Corduba solve comas et tristes indue voltus:  
 Inlacrimans cineri munera mitte meo.  
 Nunc longinqua tuum deplora, Corduba, vatem,  
 Corduba, non alio tempore moesta magis:  
 Tempore non illo, quo versi viribus orbis 5  
 Incubuit belli tota ruina tibi,  
 Cum geminis oppressa malis utrimque peribas:  
 Et tibi Pompeius, Caesar et hostis erat.  
 Tempore non illo, quo ter tibi funera centum  
 Heu nox una dedit, quae tibi summa fuit. 10  
 Non, Lusitanus quateret cum moenia latro,  
 Figeret et portas lancea torta tuas.  
 Ille tuus quondam magnus, tua gloria, civis  
 Infigar scopulo. Corduba solve comas,  
 Et gratare tibi, quod te natura supremo 15  
 Alluit oceano: tardius ista doles.

**L. ANNAEI SENECAE**  
**LUDUS DE MORTE CLAUDII.**

---

1 I. Quid actum sit in coelo ante diem III. idus Octobr. [Asinio Marcello, Acilio Aviola *coss.*] anno novo initio seculi felicissimi, volo memoriae tradere. nihil nec offensae nec gratiae dabitur. haec ita vera. Si quis quaesiverit, unde sciam, primum, si noluero, non respondebo. quis coacturus est? ego scio me liberum factum, ex quo suum diem obiit ille, qui verum proverbium fecerat *aut regem*  
2 *aut fatuum nasci oportere*. Si libuerit respondere, dicam quod mihi in buccam venerit. quis umquam ab historico iuratores exegit? tamen si necesse fuerit auctorem producere, quaerite ab eo, qui Drusillam euntem in coelum vidit: idem Claudium vidisse se dicet iter facientem „non passibus aequis.“ velit, nolit, necesse est illi omnia videre, quae in coelo aguntur: Appiae viae curator est, qua scis et divum Augustum et Tiberium Caesarem ad  
3 deos isse. Hunc si interrogaveris, soli narrabit: coram pluribus numquam verbum faciet. nam ex quo in senatu iuravit se Drusillam vidisse coelum adscendentem et illi pro tam bono nuntio nemo credidit quod viderit, verbis conceptis adfirmavit se non indicaturum, etiamsi in medio foro hominem occisum vidisset. Ab hoc ego quaecumque audivi, certa, clara adfero, ita illum salvum et felicem habeam.

1 II. *Iam Phoebus breviora via contraxerat ortum  
Lucis et obscuri crescebant tempora somni,  
Iamque suum victrix augebat Cynthia regnum  
Et deformis hiems gratos carpebat honores  
Divitis autumnis visoque senescere Baccho  
Carpebat raras serus vindemitor uvas:*

2 Puto magis intellegi, si dixero, mensis erat October, dies

tertius idus Octobris. horam non possum certam tibi dicere: facilius inter philosophos quam inter horologia conveniet: tamen inter sextam et septimam erat.

„Nimis rustice adquiescis. nunc [adeo] omnes poetae non contenti ortus et occasus describere, ut etiam medium diem inquietent: tu sic transibis horam tam bonam?“

*Iam medium curru Phoebus dividerat orbem*

*Et propior nocti fessus quatiebat habenas*

*Obliquo flexam deducens tramite lucem:*

Claudius animam agere coepit nec invenire exitum poterat.

III. Tum Mercurius, qui semper ingenio eius delectatus esset, unam e tribus Parcibus seducit et ait: „Quid, femina crudelissima, hominem miserum torqueri pateris? nec umquam tam diu cruciatus exiet? Annus sexagesimus et quartus est, ex quo cum anima luctatur. quid huic et reipublicae invides? Patere mathematicos aliquando verum dicere, qui illum ex quo princeps factus est, omnibus annis, omnibus mensibus efferunt. et tamen non est mirum, si errant et horam eius nemo novit. nemo enim umquam illum natum putavit. Fac quod faciendum est:

*dede neci. melior vacua sine regnet in aula.“*

Sed Clotho: „Ego mehercules, inquit, pusillum temporis adicere illi volebam, dum hos pauculos, qui supersunt, civitate donaret. constituerat enim omnes Graecos, Gallos, Hispanos, Britannos, [Sauromatas, et si qui ultra glaciale boream incolunt barbari,] togatos videre. Sed quoniam placeat aliquos peregrinos in semen relinqui et tu ita iubes fieri, fiat.“ Aperit tum capsulam et tris fusos profert: unus erat Augurini, alter Babae, tertius Claudii. „Hos, inquit, tris uno anno exiguis intervallis temporum divisos mori iubebo nec illum incomitatum dimittam. Non oportet enim eum, qui modo se tot milia hominum sequentia videbat, tot praecedentia, tot circumfusa, subito solum destitui. contentus erit his interim convictoribus.“

IV. *Haec ait et turpi convolvens stamina fuso*

1

*Abrupit stolidae regalia tempora vitae.*

*At Lachesis redimita comas, ornata capillos,*

*Pieria crinem lauro frontemque coronans*

- 5 *Candida de niveo subtemina vellere sumit  
Felici moderanda manu, quae ducta colorem  
Adsumpsere novum. mirantur pensa sorores:  
Mutatur vilis pretioso lana metallo.  
Aurea formoso descendunt secula filo.*
- 10 *Nec modus est illis, felicia vellera ducunt  
Et gaudent implere manus. sunt dulcia pensa.  
Sponte sua festinat opus nulloque labore  
Mollia contorto descendunt stamina fuso.  
Vincunt Tithoni, vincunt et Nestoris annos.*
- 15 *Phoebus adest cantuque iuvat gaudetque futuris  
Et laetus nunc plectra movet, nunc pensa ministrat.  
Detinet intentas cantu fallitque laborem.  
Dumque nimis citharam fraternaue carmina laudant,  
Plus solito neuere manus humanaue fata*
- 20 *Laudatum transscendit opus. „Ne demite, Parcae,  
Phoebus ait: vincat mortalis tempora vitae  
Ille mihi similis voltu similisque decore,  
Nec cantu nec voce minor: felicia lassis  
Secula praestabit legumque silentia rumpet.*
- 25 *Qualis discutiens fugientia Lucifer astra  
Aut qualis surgit redeuntibus Hesperus astris,  
Qualis, cum primum tenebris Aurora solutis  
Induxit rubicunda diem, Sol adspicit orbem  
Lucidus et primos a carcere concitat axes:*
- 30 *Talis Caesar adest, talem iam Roma Neronem  
Adspiciet. flagrat nitidus fulgore remisso  
Vultus et adfuso cervix formosa capillo.“*

2 Haec Apollo. At Lachesis, quae et ipsa homini formosissimo faveret, fecit illud plena manu et Neroni multos annos de suo donat. Claudium autem iubent omnes

*χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.*

Et ille quidem animam ebullit et ex eo desiit vivere videri. exspiravit autem, dum comoedos audit, ut scias me non sine causa illos timere. Ultima vox eius haec inter homines audita est, cum maiorem sonitum emisisset illa parte, qua facilius loquebatur: „Vae me! puto, concacavi me.“ Quod an fecerit nescio: omnia certe concaca-



vit. [nec post boletum opipare medicamentis conditum plus cibi sumpsit.]

V. Quae in terris postea sint acta, supervacuum est 1 referre. scitis enim optime, nec periculum est, ne excidant, quae memoriae gaudium publicum inpressit. nemo felicitatis suae obliviscitur: in coelo quae acta sint audite. fides penes auctorem erit. Nuntiatur Iovi venisse quem- 2 dam bonae staturae, bene canum. nescio quid illum minari. adsidue enim caput movere. pedem dextrum trahere. quaesisse se, cuius nationis esset. respondisse nescio quid perturbato sono et voce confusa. non intelligere se linguam eius. nec Graecum esse nec Romanum nec ullius gentis notae. Tum Iupiter Herculem, quia 3 totum orbem terrarum pererraverat et nosse videbatur omnes nationes, iubet ire et explorare, quorum hominum esset. Tum Hercules primo adspectu sane perturbatus est, ut quem iam non omnia monstra timuerint. ut vidit novi generis faciem, insolitum incessum, vocem nullius terrestris animalis, sed qualis esse marinis beluis solet, raucam et implicitam, putavit sibi tertium decimum laborem venisse. Diligentius intuenti visus est quasi homo. 4 accessit itaque et quod facillimum fuit Graeculo, ait:

*Τὶς πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πτόλις ἡδὲ τοκῆες;*  
Claudius gaudet esse illic philologos homines, sperat futurum aliquem historiis suis locum. Itaque et ipse Homericus versu Caesarem se esse significans ait,

*Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσειν.*  
Erat autem sequens versus verior, aequae Homericus,  
*Ἐνθα δ' ἐγὼ πόλιν ἔπραθον, ὤλεσα δ' αὐτούς.*

VI. Et inposuerat Herculi, homini minime vafro, nisi 1 fuisset illic Febris, quae fano suo relicto sola cum illo venerat: ceteros omnes deos Romae reliquerat. „Iste, inquit, mera mendacia narrat. ego tibi dico, quae cum illo tot annis vixi: Luguduni natus est. *Munatii* municipem vides. quod tibi narro, ad sextum decimum lapidem natus est a Vienna, Gallus germanus. itaque quod Gallum facere oportebat, Romam cepit. Hunc ego tibi recipio Luguduni natum, ubi Licinius multis annis regna-

vit. Tu autem, qui plura loca calcasti quam ullus mulio perpetuarius, Lugudunenses scire debes et multa milia  
 2 inter Xanthum et Rhodanum interesse.“ Excandescit hoc loco Claudius et quanto potest murmure irascitur. quid diceret nemo intellegebat. ille autem Febrim duci iubebat illo gestu solutae manus [et] ad hoc unum satis firmae, quo decollare homines solebat. Iusserat illi col- lum praecidi. putares omnes illius esse libertos: adeo illum nemo curabat.

1 VII. Tum Hercules: „Audi me, inquit, tu desine fa- tuari. venisti huc, ubi mures ferrum rodunt. Citius mihi verum, ne tibi alogias excutiam!“ Et quo terribilior esset, tragicus fit et ait:

2 „*Exprome propere, sede qua genitus cluas,  
 Hoc ne peremptus stipite ad terram accidas.  
 Haec clava reges saepe mactavit feros.  
 Quid nunc profatu vocis incerto sonas?*  
 5 *Quae patria, quae gens mobile eduxit caput?  
 Edissere. equidem regna tergemini petens  
 Longinqua regis, unde ab Hesperio mari  
 Inachiam ad urbem nobile advexi pecus,  
 Vidi duobus inminens fluviis iugum,*  
 10 *Quod Phoebus ortu semper obverso videt,  
 Ubi Rhodanus ingens amne praerapido fluit  
 Ararque dubitans, quo suos cursus agat,  
 Tacitus quietis adluit ripas vadis.  
 Estne illa tellus spiritus altrix tui?“*

3 Haec satis animose et fortiter. nihilominus mentis suae non est et timet  $\mu\omega\rho\omicron\upsilon\pi\lambda\eta\gamma\gamma\eta\nu$ . Claudius ut vidit virum valentem, oblitus nugarum intellexit neminem parem sibi Romae fuisse, illic non habere se idem gratiae: Gallum  
 4 in suo sterquilinio plurimum posse. Itaque quantum intellegi potuit, haec visus est dicere: „Ego te, fortissime deorum Hercules, speravi mihi adfuturum apud alios et, si qui a me notorem petisset, te fui nominaturus, qui me optime nosti. nam si memoria repetis, ego eram, qui tibi ante templum tuum ius dicebam totis diebus mense Iulio  
 5 et Augusto. Tu scis, quantum illic miseriarum [per]tu-

lerim, cum causidicos audirem diem et noctem. in quos si incidisses, valde fortis licet tibi videaris, maluisses cloacas Augiae purgare: multo plus ego stercoris exhausti. Sed quoniam volo \*\*\*.“

VIII. \*\*\* non mirum, quod in curiam inpetum fecisti, 1 nihil tibi clusi est: modo dic nobis, qualem deum istum fieri velis. Ἐπικούρειος θεός non potest esse: οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει τι οὔτε ἄλλοις παρέχει. Stoicus? quomodo potest rotundus esse, ut ait Varro, sine capite, sine praeputio? Est aliquid in illo Stoici dei, iam video: nec cor nec caput habet. Si mehercules a Saturno petisset hoc beneficium, cuius mensem toto anno celebravit princeps, non tulisset illud. nedum ab Iove, quem, quantum quidem in illo fuit, damnavit incesti. L. Silanum enim, generum suum, occidit. oro, propter quid? sororem suam, festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare. Quare, inquit, quaero enim, sororem suam? Stulte, stude: \* Athenis 3 dimidium licet, Alexandriae totum. Quia Romae, inquit, mures molas lingunt. Hic nobis curva corriget? Quid in cubiculo suo faciat nescio: et iam „coeli scrutatur plagas“? deus fieri vult? parum est, quod templum in Britannia habet? quod hunc barbari colunt et ut deum orant μωροῦ εὐλάτου τυχεῖν?“

IX. Tandem Iovi venit in mentem, privatis intra curiam morantibus sententiam dicere [non licere] nec disputare. „Ego, inquit, P. C., interrogare vobis permiseram, vos mera mapalia fecistis. Volo [ut] servetis disciplinam curiae. Hic, qualiscumque est, quid de nobis existimabit?“ Illo dimisso primus interrogatur sententiam Ianus 2 pater. is designatus erat in Kal. Iulias postmeridianus Cos., homo quantumvis vafer, qui semper videt ἅμα πρόσω καὶ ὀπίσω. Is multa diserte, quod in foro vivat, dixit, quae notarius persequi non potuit, et ideo non refero, ne aliis verbis ponam, quae ab illo dicta sunt. Multa dixit de magnitudine deorum: non debere hunc 3 volgo dari honorem. „Olim, inquit, magna res erat deum fieri: iam, Fama, mimum fecisti [et iam pessimum quemque

illum adfectare]. Itaque ne videar in personam, non in rem dicere sententiam, censeo, ne quis post hunc diem deus fiat ex his, qui ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν, aut ex his, quos alit ξείδαρος ἄρουρα. Qui contra hoc senatus consultum deus factus, dictus pictusve erit, eum dedil larvis et proximo munere inter novos auctoratos ferulis  
 4 vapulare placet.“ Proximus interrogatur sententiam Diespiter, Vicæ Potæ filius, et ipse designatus Cos. nummulariolus. hoc quaestu se sustinebat, vendere civitatulas solebat. Ad hunc belle accessit Hercules et auriculam  
 5 illi tetigit. censet itaque in haec verba: „Cum divus Claudius et divum Augustum sanguine contingat nec minus divam Augustam, aviam suam, quam ipse deam esse iussit, longeque omnes mortales sapientia antecellat sitque e republica esse aliquem, qui cum Romulo possit

*ferventia rapa vorare:*

censeo, ut divus Claudius ex hac die deus sit, ita uti ante eum quis optimo iure factus sit, eamque rem ad metamorphosis Ovidii adiciendam.“ Variæ erant sententiæ et videbatur Claudius sententiam vincere. Hercules enim, qui videret ferrum suum in igne esse, modo huc modo illuc cursabat et aiebat: „Noli mihi invidere, mea res agitur. deinde tu si quid volueris, invicem faciam: manus manum lavat.“

1 X. Tunc divus Augustus surrexit sententiæ *causa* loco dicendæ et summa facundia disseruit: „Ego, inquit, P. C., vos testes habeo, ex quo deus factus sum, nullum me verbum fecisse. semper meum negotium ago. et non  
 2 possum amplius dissimulare et dolorem, quem graviorem pudor facit, continere. In hoc terra marique pacem peperit? ideo civilia bella conpescui? ideo „legibus urbem fundavi,“ operibus ornavi, ut — quid dicam, P. C., non invenio: omnia infra indignationem verba sunt. confugiendum est itaque [a me] ad Messalæ Corvini [disertissimi viri] illam sententiam: *puget imperii*. Hic, P. C., qui vobis non posse videtur muscam excitare, tam facile homines occidebat quam canis excidit. Sed quid ego de tot ac talibus viris dicam? non vacat deflare publicas clades

intuenti domestica mala. itaque illa omittam, haec referam. Nam etiamsi formea\* Graece nescit, ego scio. *ΕΝΤΥCΟΝΤΟΝΝΥΚΝΝΑΙΗΣ*. \* senescit. Iste, 4 quem videtis, per tot annos sub meo nomine latens, hanc mihi gratiam retulit, ut duas Iulias proneptes meas occideret, alteram ferro, alteram fame: unum abnepotem L. Silanum. Videris, Iupiter, an in causa mala, certe in tua *sit aequus* futurus, *et* dic mihi, dive Claudii, quare quemquam ex his, quos quasque occidisti, antequam de causa cognosceres, antequam audires, damnasti? hoc ubi fieri solet? in coelo non fit.

XI. Ecce Iupiter, qui tot annos regnat, uni Volcano 1 crus fregit, quem

*ῥῆψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίῳ,*

[et in Lemnon coelo deturbavit, non extinxit]. et iratus fuit uxori et suspendit illam: numquid occidit? Tu Messalinam, cuius aequae avunculus maior eram quam tuus, occidisti. Nescio, inquis? Di tibi malefaciant: adeo istuc turpius est, quod nescisti quam quod occidisti. C. Caesarem non desiit mortuum persequi. occiderat ille socerum: hic et generum. Caius Caesar Crassi filium vetuit Magnum vocari: hic nomen illi reddidit, caput tulit. Occidit in una domo Crassum Magnum, Scriboniam, Tristioniam, [Bassioniam,] Assarionem, nobiles tamen: Crassum vero tam fatuum, ut etiam regnare posset. Cogitate, 3 P. C., quale portentum in numerum deorum se recipi cupiat. [Principes pietate et iustitia dii fiunt. Scilicet hic pius et iustus, quoniam Druidarum perfidae gentis Gallicae immanem religionem, a qua cives submoveram, prorsus extirpavit, ut Romae nuptiarum sacra essent, quibus ipse, cum sibi Agrippina nuberet, XXX. Senatoribus, innumeris Eq. Rom. mactatis, principium dedit.] hunc nunc deum facere vultis? Videte corpus eius dis iratis natum. ad summam tria verba cito dicat et servum me ducat. Hunc deum quis colet? quis 4 credet? dum tales deos facitis, nemo vos deos esse credet. Summa rei, P. C., si honeste [me] inter vos gessi, si nulli durius respondi, vindicate iniurias meas. Ego pro sententia mea hoc censeo: „atque ita ex tabella recitavit: „Quan- 5

doquidem divus Claudius occidit socerum suum Appium Silanum, generos duos, Magnum Pompeium et L. Silanum, socerum filiae suae Crassum, frugi hominem, tam similem sibi quam ovo ovum, Scriboniam socrum filiae suae, uxorem suam Messalinam et ceteros, quorum numerus iniri non potuit: placet mihi in eum severe animadverti nec illi rerum iudicandarum vacationem dari eumque quamprimum exportari et coelo intra triginta dies excedere, Olympo intra diem tertium.“ Pedibus in hanc sententiam itum est. Nec mora, Cyllenius illum collo obtorto trahit ad inferos,

*illuc unde negant redire quemquam.*

- 1 XII. Dum descendunt per viam sacram, interrogat Mercurius, quid sibi velit ille concursus hominum, num Claudii funus esset? Et erat omnium formosissimum et inpensa cura, plane ut scires deum efferri: tibicinum, cornicinum, omnis generis *aeneatorum* tanta turba, tantus concentus, ut etiam Claudius audire posset. Omnes laeti, hilares. populus Romanus ambulabat tamquam liber: Agatho et pauci causidici plorabant, sed plane ex animo. Iurisconsulti e tenebris procedebant, pallidi, graciles, vix animam habentes, tamquam qui cum maxime reviviscerent. Ex his unus cum vidisset capita conferentes et fortunas suas deplorantes causidicos, accedit et ait: „dicebam vobis, non semper Saturnalia erunt.“ Claudius ut vidit funus suum, intellexit se mortuum esse. ingenti enim *μεγαληγορία* naenia cantabatur anapaestis:

*Fundite fletus,  
Edite planctus,  
[Fingite luctus,]  
Resonet tristi*  
5 *Clamore forum:  
Cecidit pulchre  
Cordatus homo,  
Quo non alius  
Fuit in toto*  
10 *Fortior orbe.*

*Ille citato  
Vincere cursu  
Poterat celeres,  
Ille rebelles*  
15 *Fundere Parthos  
Levibusque sequi  
Persida telis  
Certaque manu  
Tendere nervum,*  
20 *Qui praecipites*

*Volnere parvo*  
*Figeret hostes*  
*Pictaque Medi*  
*Terga fugacis.*  
 25 *Ille Britannos*  
*Ultra noti*  
*Litora ponti*  
*Et caeruleos*  
*Scuta Brigantas*  
 30 *Dare Romuleis*  
*Colla catenis*  
*Iussit et ipsum*  
*Nova Romanae*  
*Iura securis*  
 35 *Tremere Oceanum.*  
*Deflete virum,*  
*Quo non alius*  
*Potuit citius*  
*Discere causas*  
 40 *Una tantum*  
*Parte audita,*

*Saepe et neutra.*  
*Quis nunc iudex*  
*Toto lites*  
 45 *Audiet anno?*  
*Tibi iam cedit*  
*Sede relicta,*  
*Qui dat populo*  
*Iura silenti,*  
 50 *Cretaea tenens*  
*Oppida centum.*  
*Caedite moestis*  
*Pectora palmis,*  
*O causidici,*  
 55 *Vendale genus.*  
*Vosque poetae*  
*Lugete novi,*  
*Vosque in primis,*  
*Qui concusso*  
 60 *Magnu parastis*  
*Lucra fritillo.*

XIII. Delectabatur laudibus suis Claudius et cupiebat 1  
 diutius spectare. incit illi manum Talthybius, deorum  
 nuntius, et trahit capite obvoluto, ne quis eum possit  
 agnoscere, per campum Martium, et inter Tiberim et Viam  
 Tectam descendit ad inferos. Antecesserat iam compen- 2  
 diaria Narcissus libertus [dominus domini,] ad patronum  
 excipiendum et venienti nitidus, ut erat a balneo, occur-  
 rit et ait: „quid di ad homines?“ „,Celerius [praecedito],  
 inquit Mercurius, et venire nos nuntia.“ [Ille autem pa-  
 trono plura blandiri volebat. quem Mercurius iterum fe-  
 stinare iussit et virga morantem inpulit.] Dicto citius  
 Narcissus evolat. Omnia proclivia sunt, facile descen- 3  
 ditur. itaque, quamvis podagricus esset, momento tem-  
 poris pervenit ad ianuam Ditis: ubi iacebat Cerberus vel,  
 ut ait Horatius, *belua centiceps* [sese movens villosque  
 horrendos excutiens]. pusillum subperturbatur, — albam  
 canem in deliciis habere adsueverat — ut illum vidit ca-

nem nigrum villosum, sane non quem velis tibi in te-  
 4 nebris occurrere. et magna voce „Claudius [Caesar], in-  
 quit, venit.“ et [ecce extemplo] cum plausu procedunt  
 cantantes: *Εὐρήκαμεν, συγκαίρωμεν.* Hic erat C. Silius  
 Cos. designatus, Iunius praetorius, Sex. Traulus, M. Hel-  
 vius Trogus, Cotta, Vettius Valens, Fabius, equites  
 Rom. quos Narcissus duci iusserat. medius erat in hac  
 cantantium turba Mnester pantomimus, quem Claudius  
 5 decoris causa minorem fecerat. Ad Messalinam cito ru-  
 mor percrebuit Claudium venisse. convolant primi omni-  
 um liberti Polybius, Myron, Harpocras, Amphaeus, Phe-  
 ronactes, [Posides hasta pura insignis, Felix cum Pallante  
 fratre,] quos Claudius omnes, necubi inparatus esset,  
 praemisera. deinde praefecti duo, Iustus Catonius et Ru-  
 fus Pompeii F., deinde amici, Saturnius Lusius et Peto  
 Pompeius et Lupus et Celer Asinius, consulares. novis-  
 sime fratris filia, sororis filia, generi, soceri, socrus,  
 omnes plane consanguinei, et agmine facto Claudio oc-  
 6 currunt. Quos cum vidisset Claudius, exclamat: „*Πάντα  
 φίλων πλήρη.* quomodo vos huc venistis?“ Tum Peto  
 Pompeius: „Quid dicis, homo crudelissime? quaeris,  
 quomodo? quis enim nos alius huc misit quam tu, omni-  
 um amicorum interfector? In ius eamus: ego tibi hic  
 sellas ostendam.“

- 1 XIV. Ducit illum ad tribunal Aeaci: is lege Cornelia,  
 quae de sicariis lata est, quaerebat. postulat, nomen eius  
 recipiat, edit subscriptionem: occisos senatores XXX,  
 equites R. CC. ceteros CCXXI. \* *ὄσα ψάμαθός τε κόνις τε.*
- 2 [Exterritus Claudius oculos undecumque circumfert, ve-  
 stigat aliquem patronum, qui se defenderet.] Advocatum  
 non invenit. tandem procedit P. Petronius, vetus con-  
 victor eius, homo Claudiana lingua disertus, et postulat  
 advocacionem. non datur. accusat Peto Pompeius magnis  
 clamoribus. incipit patronus velle respondere. Aeacus,  
 homo iustissimus, vetat et illum altera tantum parte au-  
 dita condemnat et ait: *Εἶνε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη κ'  
 3 ἰθὺία γένοιτο.* Ingens silentium factum est. stupebant  
 omnes novitate rei adtoniti: negabant hoc unquam factum.



Claudio iniquum magis videbatur quam novum. De genere poenae diu disputatum est, quid illum pati oporteret: erant qui dicerent, si unius [diei] dilaturam fecissent, Tantalum siti periturum, nisi illi succurreretur: [non unquam Sisyphum onere relevari,] aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam. Non placuit ulli ex 4 veteribus missionem dari, ne vel Claudius umquam simile speraret. Placuit novam poenam constitui debere, excogitandum illi laborem inritum et alicuius cupiditatis speciem sine fine et effectu. Tum Aeacus iubet illum alea ludere pertuso fritillo. et iam coeperat fugientes semper tesseras quaerere et nihil proficere.

XV. *Nam quotiens missurus erat resonante fritillo,* 1  
*Utraque subducto fugiebat tessera fundo.*  
*Cumque recollectos auderet mittere talos*  
*Lusuro similis semper semperque petenti,*  
*Decepere fidem. refugit digitosque per ipsos*  
*Fallax adsiduo dilabitur alea furto:*  
*Sic cum iam summi tanguntur culmina montis,*  
*Inrita Sisyphio volvuntur pondera collo.*

Adparuit subito C. Caesar et petere illum in servitum 2 coepit: producit testes, qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulantem. Adiudicatur C. Caesari. Caesar illum Aeaco donat. is Menandro liberto suo tradidit, ut a cognitionibus esset.

[DIVI CLAUDII EXPLICIT APOTHEOSIS ANNAEI SENECAE  
 PER SATURAM.]

# L. ANNAEI SENECAE

AD NERONEM CAESAREM

## DE CLEMENTIA

### LIBER I.

---

1 I. Scribere de clementia, Nero Caesar, institui, ut quodammodo speculi vice fungerer et te tibi ostenderem perventurum ad voluptatem maximam omnium. quamvis enim recte factorum verus fructus sit fecisse, nec ullum virtutum pretium dignum illis extra ipsas sit, iuvat inspicere et circumire bonam conscientiam, tum inmittere oculos in hanc immensam multitudinem discordem, seditionosam, inpotentem, in perniciem alienam suamque pariter exsultaturam, si hoc iugum fregerit, et ita loqui  
2 secum: Egone ex omnibus mortalibus placui electusque sum, qui in terris deorum vice fungerer? ego vitae necisque gentibus arbiter? qualem quisque sortem statumque habeat, in manu mea positum est? quid cuique mortaliu[m] Fortuna datum velit, meo ore pronuntiat? ex nostro responso laetitiae causas populi urbesque concipiunt? nulla pars usquam nisi volente propitioque me floret? haec tot milia gladiatorum, quae pax mea comprimit, ad nutum meum stringentur? quas nationes funditus excidi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos reges mancipia fieri quorumque capiti regium circumdari decus oporteat, quae ruant urbes, quae oriantur,  
3 mea iurisdictio est? In hac tanta facultate rerum non ira me ad iniqua supplicia compulit, non iuvenilis impetus, non temeritas hominum et contumacia, quae saepe tranquillissimis quoque pectoribus patientiam extorsit, non ipsa ostentandae per terrores potentiae dira, sed frequens magnis imperiis gloria. Conditum, immo con-

strictum apud me ferrum est, summa parsimonia etiam  
 vilissimi sanguinis. nemo non, cui alia desint, hominis  
 nomine apud me gratus est. Severitatem abditam, at  
 clementiam in procinctu habeo. sic me custodio, tamquam  
 legibus, quas ex situ ac tenebris in lucem evocavi, ratio-  
 nem redditurus sim. Alterius aetate prima motus sum,  
 alterius ultima. alium dignitati donavi, alium humilitati.  
 quotiens nullam inveneram misericordiae causam, mihi  
 peperci. Hodie dis immortalibus, si a me rationem repe-  
 tant, adnumerare genus humanum paratus sum. Potes  
 hoc, Caesar, audacter praedicare, omnia quae in fidem  
 tutelam[que tuam venerunt, diligentissime fov]eri, nihil  
 per te neque vi neque clam [damni par]ari reipublicae.  
 Rarissimam laudem et nulli adhuc principum concessam  
 concupisti, innocentiam. Non perdis operam nec bonitas  
 ista tua singularis ingratos aut malignos aestimatores  
 nacta est. refertur tibi gratia: nemo unus homo uni ho-  
 mini tam carus umquam fuit quam tu populo Romano,  
 magnum longumque eius bonum. Sed ingens tibi onus  
 inposuisti: nemo iam divum Augustum nec Tiberii Cae-  
 saris prima tempora loquitur. nemo quod te imitari velit  
 exemplar, extra te quaerit: principatus tuus ad *obrus-*  
*sam* exigitur. Difficile hoc fuisset, si non naturalis tibi  
 ista bonitas esset, sed ad tempus sumpta. nemo enim  
 potest personam diu ferre. ficta cito in naturam suam  
 recidunt. quibus veritas subest, quaeque, ut ita dicam,  
 ex solido enascuntur, tempore ipso in maius meliusque  
 procedunt. Magnam adibat aleam populus Romanus,  
 cum incertum esset, quo se *ista tua* nobilis indoles da-  
 ret: iam vota publica in tuto sunt. nec enim periculum  
 est, ne te subita tui capiat oblivio. Facit quidem avidos  
 nimia felicitas nec tam temperatae cupiditates sunt um-  
 quam, ut in eo, quod contingit, desinant. gradus a magnis  
 ad maiora fit et spes improbissimas complectuntur inspe-  
 rata adsecuti: omnibus tamen nunc civibus tuis et haec  
 confessio exprimitur, esse felices, et illa, nihil iam his  
 accedere bonis posse, nisi ut perpetua sint. Multa illos  
 cogunt ad hanc confessionem, qua nulla in homine tar-

dior est: securitas alta, adfluens, ius supra omnem iniuriam positum. obversatur oculis laetissima forma rei publicae, cui ad summam libertatem nihil deest nisi peregrundi licentia. Praecipue tamen aequalis ad maximos imosque pervenit clementiae tuae admiratio. cetera enim bona pro portione fortunae suae quisque sentit aut expectat maiora minoraque: ex clementia omnes idem sperant, nec est quisquam, cui tam valde innocentia sua placeat, ut non stare in conspectu clementiam paratam humanis erroribus gaudeat.

1 II. Esse autem aliquos scio, qui clementia pessimum quemque putent sustineri, quoniam nisi post crimen supervacua est et sola haec virtus inter innocentes cessat. Sed primum omnium sicut medicinae apud aegros usus, etiam apud sanos honor est, ita clementiam quamvis poena digni invocent, etiam innocentes colunt. Deinde habet haec in persona quoque innocentium locum, quia interim fortuna pro culpa est nec innocentiae tantum clementia succurrit, sed saepe virtuti, quoniam quidem condicione temporum incidunt quaedam, quae  
2 possint laudata puniri. Adice quod magna pars hominum est, quae reverti ad innocentiam possit. Sed non tamen volgo ignoscere decet. nam ubi discrimen inter malos bonosque sublatum est, confusio sequitur et vitiorum eruptio: itaque adhibenda moderatio est, quae sanabilia ingenia distinguere a deploratis sciat, nec promiscuam habere ac volgarem clementiam oportet nec abscisam. nam tam omnibus ignoscere crudelitas est quam nulli. Modum tenere debemus. sed quia difficile est temperamentum, quicquid aequo plus futurum est, in partem humaniorem praeponderet.

1 III. Sed haec suo loco melius dicentur. Nunc in tres partes omnem hanc materiam dividam: prima erit manumissionis. secunda, quae naturam clementiae habitumque demonstret: nam cum sint vitia quaedam virtutes imitantia, non possunt secerni, nisi signa, quibus dignoscantur, inpresseris. tertio loco quaeremus, quomodo ad hanc virtutem per-

ducatur animus, quomodo confirmet eam et usu suam faciat.

Nullam vero ex omnibus virtutibus magis 2 homini convenire, cum sit nulla humanior, constet necesse est non solum inter nos, qui hominem, sociale animal, communi bono genitum videri volumus, sed etiam inter illos, qui hominem voluptati donant, quorum omnia dicta factaque ad utilitatem suam spectant: nam si quietem petit et otium, hanc virtutem naturae suae nactus est, quae pacem amat et manus retinet. Nullum tamen clementia ex omnibus 3 magis quam regem aut principem decet. ita enim magnae vires decori gloriaeque sunt, si illis salutaris potentia est. nam pestifera vis est valere ad nocendum. Illius demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse quam pro se sciunt, cuius curam excubare pro salute singulorum atque universorum cotidie experiuntur, quo procedente non, tamquam malum aliquod aut noxium animal e cubili prosilierit, diffugiunt, sed tamquam ad clarum ac beneficium sidus certatim advolant, obicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi et substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem struendum sit. somnum eius nocturnis excubiis muniunt. latera obiecti circumfusique defendunt. incurrentibus periculis se opponunt. Non hic 4 est sine ratione populis urbibusque consensus sic protegendi amandique reges et se suaque iactandi, quocumque desideravit imperantis salus. nec haec vilitas sui est aut dementia, pro uno capite tot milia excipere ferrum ac multis mortibus unam animam redimere, nonnumquam senis et invalidi. Quemadmodum totum corpus animo de- 5 servit et cum hoc tanto maius tantoque speciosius sit, ille in occulto maneat tenuis et in qua sede latitet incertus, tamen manus, pedes, oculi negotium illi gerunt, illum haec cutis munit, illius iussu iacemus aut inquieti discurremus. cum ille imperavit, sive avarus dominus est, mare lucri causa scrutamur, sive ambitiosus, iamdudum dexteram flammis obiecimus aut voluntariam [*mortem oppeti-*

*vimus\*\*]* subsiluiumus: sic haec immensa multitudo unius animae circumdata illius spiritu regitur, illius ratione fleclitur pressura se ac fractura viribus suis, nisi consilio sustineretur.

1 IV. Suam itaque incolumitatem amant, cum pro uno homine denas legiones in aciem deducunt, cum in primam frontem procurrunt et adversa vulneribus pectora ferunt, ne imperatoris sui signa vertantur. Ille est [enim] vinculum, per quod respublica cohaeret, ille spiritus vitalis, quem haec tot milia trahunt, nihil ipsa per se futura nisi onus et praeda, si mens illa imperii subtrahatur.

2 *Rege incolumi mens omnibus una:  
amisso rupere fidem.*

Hic casus Romanae pacis exitium erit, hic tanti fortunam populi in ruinas aget. tamdiu ab isto periculo aberit hic populus, quamdiu sciet ferre frenos, quos si quando abruperit vel aliquo casu discussos reponi sibi passus non erit, haec unitas et hic maximi imperii contextus in partes multas dissiliet, idemque huic urbi dominandi finis  
3 erit, qui parendi fuerit. Ideo principes regesque et quocumque alio nomine sunt tutores status publici non est mirum amari ultra privatas etiam necessitudines. nam si sanis hominibus publica privatis potiora sunt, sequitur, ut is quoque carior sit, in quem se respublica convertit: olim enim ita se induit reipublicae Caesar, ut seduci alterum non possit sine utriusque pernicie. nam ut illi viribus opus est, ita et huic capite.

1 V. Longius videtur recessisse a proposito oratio mea, at mehercules rem ipsam premit. nam si, quod adhuc colligitur, tu animus reipublicae tuae es, illa corpus tuum, vides, ut puto, quam necessaria clementia sit: tibi enim parcis, cum videris alteri parcere. Parcendum itaque est etiam inprobando civibus non aliter quam membris languentibus, et si quando misso sanguine opus est, sustinenda est [*manus*], ne ultra quam necesse sit incidat.

2 Est ergo, ut dicebam, clementia omnibus quidem hominibus secundum naturam, maxime tamen decora imperatoribus, quanto plus habet apud illos, quod servet, quan-

toque in maiore materia adparet. Quantulum enim nocet privata crudelitas? principum saevitia bellum est. Cum 3 autem virtutibus inter se sit concordia nec ulla alterâ melior aut honestior sit, quaedam tamen quibusdam personis aptior est: decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum, infra quem nihil est. quid enim maius aut fortius quam malam fortunam retundere? haec tamen [magnanimitas] in bona fortuna laxiorem locum habet meliusque in tribunali quam in plano conspicitur. Cle- 4 mentia in quamcumque domum pervenerit, eam felicem tranquillamque praestabit, sed in regia quo rarior, eo mirabilior. quid enim est memorabilius quam eum, cuius irae nihil obstat, cuius graviore sententiae ipsi qui pereunt adsentiuntur, quem nemo interpellaturus est, immo, si vehementius excanduit, nec deprecaturus quidem, ipsum sibi manum inicere et potestate sua in melius placidiusque uti, hoc ipsum cogitantem: occidere contra legem nemo non potest, servare nemo praeter me. Ma- 5 gnam fortunam magnus animus decet, qui nisi se ad illam extulit et altior stetit, illam quoque infra [terram] deducit. magni autem animi est proprium, placidum esse tranquillumque et iniurias offensionesque superne despiciere. Muliebri est furere in ira, ferarum vero et ne generosarum quidem praemordere et urgere proiectos. elephanti leonesque transeunt, quae inpulerunt: ignobilis bestiae pertinacia est. Non decet regem saeva et inexorabilis 6 ira. non multum enim supra eum eminent, cui se irascendo exaequat: at si dat vitam, si dat dignitatem periclitantibus et meritis amittere, facit quod nulli nisi rerum potenti licet. vita enim etiam superiori eripitur, numquam nisi inferiori datur. Servare proprium est excellentis for- 7 tunae. quae numquam magis suspici debet, quam cum illi contigit idem posse quod dis, quorum beneficio in lucem edimur tam boni quam mali. deorum itaque sibi animum adserens princeps alios ex civibus suis, quia utiles bonique sunt, libens videat, alios in numerum relinquat. quosdam esse gaudeat, quosdam patiat.

VI. Cogita [te], in hac civitate, in qua turba per la- 1

- tissima itinera sine intermissione defluens eliditur, quotiens aliquid obstitit, quod cursum eius velut torrentis rapidi moraretur, in qua tribus eodem tempore theatri viae postulantur, in qua consumitur quicquid terris omnibus aratur: quanta solitudo et vastitas futura sit, si nihil relinquitur nisi quod iudex severus absolverit?
- 2 Quotus quisque ex quaestoribus est, qui non ex ipsa lege teneatur, qua quaerit? quotus quisque accusator vacat culpa? et nescio an nemo ad dandam veniam difficilior
- 3 sit quam qui illam petere saepius meruit. Peccavimus omnes: alii gravia, alii leviora, alii ex destinato, alii forte impulsivi aut aliena nequitia ablati, alii in bonis consiliis parum fortiter steterimus et innocentiam inviti ac renitentes perdidimus. nec deliquimus tantum, sed usque
- 4 ad extremum aevi delinquemus. Etiam si quis tam bene iam purgavit animum, ut nihil obturbare eum amplius possit ac fallere, ad innocentiam tamen peccando pervenit.
- 1 VII. Quoniam deorum feci mentionem, optime hoc exemplum principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse civibus quales sibi deos velit. Expedit ergo habere inexorabilia peccatis atque erroribus numina? expedit usque ad ultimam infesta perniciem? et quis regum erit tutus, cuius non membra haruspices colligant?
- 2 Quod si di placabiles et aequi delicta potentium non statim fulminibus persequuntur, quanto aequius est hominem hominibus praepositum miti animo exercere imperium et cogitare, utrum mundi status gratior oculis pulchriorque sit sereno et puro die an quum fragoribus crebris omnia quatiantur et ignes hinc atque illinc micant? atqui non alia facies est quieti moratique imperii quam
- 3 sereni coeli et nitentis. Crudele regnum turbidum tenebrisque obscurum est, inter tremantes et ad repentinum sonitum expavescentes ne eo quidem qui omnia perturbat inconcusso. Facilius privatis ignoscitur pertinaciter se vindicantibus. possunt enim laedi dolorque eorum ab iniuria venit. timent praeterea contemptum, et non retulisse laedentibus gratiam infirmitas videtur, non clementia: at cui ultio in facili est, is omissa ea certam



laudem mansuetudinis consequitur. Humili loco positus 4  
exercere manum, litigare, in rixam procurrare ac morem  
irae suae gerere liberius est. leves inter paria ictus sunt:  
regi vociferatio quoque verborumque intemperantia non  
ex maiestate est.

VIII. Grave putas eripi loquendi arbitrium regibus quod 1  
humillimi habent? „Ista, inquit, servitus est, non impe-  
rium.“ Quid, tu non experiris istud esse nobis, tibi servi-  
tutem? Alia condicio est eorum, qui in turba, quam non ex-  
cedunt, latent, quorum et virtutes ut adpareant diu luctan-  
tur et vitia tenebras habent: vestra facta dictaque rumor  
excipit et ideo nullis magis curandum est, qualem famam  
habeant, quam qui qualemcumque meruerint magnam ha-  
bituri sunt. Quam multa tibi non licent, quae nobis benefi- 2  
cio tuo licent? Possum in qualibet parte urbis solus ince-  
dere sine timore, quamvis nullus sequatur comes, nul-  
lus sit domi, nullus ad latus gladius: tibi in tua pace ar-  
mato vivendum est. Aberrare a fortuna tua non potes.  
obsidet te et quocumque descendis, magno adparatu se-  
quitur. Est haec summae magnitudinis servitus non posse 3  
fieri minorem. sed cum dis tibi communis ipsa necessi-  
tas est. nam illos quoque coelum adligatos tenet nec  
magis illis descendere datum est quam tibi tutum. fasti-  
gio tuo adfixus es. Nostros motus pauci sentiunt. pro- 4  
dire nobis ac recedere et mutare habitum sine sensu pu-  
blico licet: tibi non magis quam soli latere contingit.  
multa contra te lux est. omnium in istam conversi oculi  
sunt. prodire te putas? oriris. Loqui non potes, nisi 5  
ut vocem tuam quae ubique sunt gentes excipiant. irasci  
non potes, nisi ut omnia tremant. sic neminem adfligere,  
nisi ut quicquid circa fuerit quatiatur. Ut fulmina pau-  
corum periculo cadunt, omnium metu, sic animadver-  
siones magnarum potestatum terrent latius quam nocent,  
non sine causa. non enim quantum fecerit, sed quantum  
facturus sit cogitatur in eo, qui omnia potest. Adice 6  
nunc, quod privatos homines ad accipiendas iniurias op-  
portuniores acceptarum patientia facit: regibus certior est  
ex mansuetudine securitas, quia frequens vindicta pau

7 corum odium reprimat, omnium iritat. Voluntas oportet ante saevienti quam causa deficiat. alioquin quemadmodum praecisae arbores plurimis ramis repullulant et multa satorum genera, ut densiora surgant, reciduntur, ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. parentes enim liberique eorum, qui interfecti sunt, et propinqui et amici in locum singulorum succedunt.

- 1 IX. Hoc quam verum sit, admonere te exemplo domestico volo. Divus Augustus fuit mitis princeps, si quis illum a principatu suo aestimare incipiat. in communi quidem reipublicae gladium movit. Cum hoc aetatis esset quod tu nunc es, duodevicesimum egressus annum, iam pugiones in sinum amicorum absconderat, iam insidiis M. Antonii consulis latus petierat, iam fuerat collega pro-
- 2 scriptionis. Sed cum annum quadragesimum transisset et in Gallia moraretur, delatum est ad eum indicium L. Cinnam, solidi ingenii virum, insidias ei struere. dictum est et ubi et quando et quemadmodum adgredi vellet.
- 3 unus ex consociis deferebat. Constituit se ab eo vindicare. consilium amicorum advocari iussit. nox illi inquieta erat, cum cogitaret adulescentem nobilem, hoc detracto integrum, Cn. Pompeii nepotem, damnandum: iam unum hominem occidere non poterat, cum M. Antonio proscriptionis edictum inter coenam dictaret. Gemens subinde voces emittebat varias et inter se contrarias. *Quid ergo? ego percussorem meum securum ambulare patiar me sollicito? Ergo non dabit poenas, qui tot civilibus bellis frustra petatum caput, tot navalibus, tot pedestribus proeliis incolome, postquam terra marique pax parata est, non occidere constituat, sed inmolare?* nam
- 5 sacrificantem placuerat adoriri. Rursus silentio interposito maiore multo voce sibi quam Cinnae irasebatur: *Quid vivis, si perire te tam multorum interest? quis finis erit suppliciorum? quis sanguinis? ego sum nobilibus adulescentulis expositum caput, in quod mucrones acuunt. non est tanti vita, si, ut ego non peream, tam multa perdenda*
- 6 *sunt.* Interpellavit tandem illum Livia uxor et: *admittis, inquit, muliebrem consilium? Fac quod medici solent, qui*

*ubi usitata remedia non procedunt, temptant contraria. Severitate nihil adhuc profecisti: Salvidienum Lepidus secutus est, Lepidum Muraena, Muraenam Caepio, Caepionem Egnatius, ut alios taceam, quos tantum ausos pudet. Nunc tempta, quomodo tibi cedat clementia. ignosce L. Cinnae. deprehensus est. iam nocere tibi non potest, prodesse famae tuae potest. Gavisus sibi, quod advocatum 7 invenerat, uxori quidem gratias egit, renuntiari autem extemplo amicis, quos in consilium rogaverat, imperavit et Cinnam unum ad se accersit dimissisque omnibus e cubiculo, cum alteram Cinnae poni cathedram iussisset, hoc, inquit, primum a te peto, ne me loquentem interpellas, ne medio sermone meo proclames. dabitur tibi loquendi liberum tempus. Ego te, Cinna, cum in hostium 8 castris invenissem, non factum tantum mihi inimicum, sed natum, servavi, patrimonium tibi omne concessi. Hodie tam felix es et tam dives, ut victo victores invideant. sacerdotium tibi petenti praeteritis compluribus, quorum parentes mecum militaverant, dedi: cum sic de te meruerim, occidere me constituisti. Cum ad hanc vocem exclamasset 9 procul hanc ab se abesse dementiam: non praestas, inquit, fidem, Cinna. convenerat, ne interloquereris. Occidere, inquam, me paras. Adiecit locum, socios, diem, ordinem insidiarum, cui commissum esset ferrum. et cum defixum videret nec ex conventionem iam, sed ex conscientia tacentem: Quo, inquit, hoc animo facis? ut 10 ipse sis princeps? male mehercule cum populo Romano agitur, si tibi ad imperandum nihil praeter me obstat. Domum tuam tueri non potes. nuper libertini hominis gratia in privato iudicio superatus es: adeo nihil facilius putas quam contra Caesarem advocare? Cedo, si spes tuas solus impedio, Paulusne te et Fabius Maximus et Cossi et Servilii ferent tantumque agmen nobilium non inania nomina praeferentium, sed eorum, qui imaginibus suis decori sunt? Ne totam eius orationem repetendo magnam 11 partem voluminis occupem — diutius enim quam duabus horis locutum esse constat — cum hanc poenam, qua sola erat contentus futurus, extenderet: vitam tibi, in-*

quit. *Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidae. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. contendamus, utrum ego meliore fide vitam tibi dederim*  
 12 *an tu debeas.* Post hoc detulit ultro consulatum questus, quod non auderet petere. amicissimum fidelissimumque habuit. heres solus fuit illi. nullis amplius insidiis ab ullo petitus est.

1 X. Ignovit abavus tuus victis. nam si non ignovisset, quibus imperasset? Sallustium et Cocceios et Deilios et totam cohortem primae admissionis ex adversariorum castris conscripsit. iam Domitios, Messallas, Asinios, Cicerones et quicquid floris in civitate erat, clementiae suae debebat. ipsum Lepidum quamdiu mori passus est? per multos annos tulit ornamenta principis retinentem et pontificatum maximum non nisi mortuo illo transferri in se passus est. maluit enim illum honorem vocari quam spolium. Haec eum clementia ad salutem securitatemque perduxit. haec gratum ac favorabilem reddidit, quamvis nondum subactis populi Romani cervicibus manum inposuisset. haec hodieque praestat  
 3 illi famam, quae vix vivis principibus servit. Deum esse non tamquam iussi credimus. [bonum esse principem Augustum,] bene illi convenisse parentis nomen fatemur ob nullam aliam causam, quam quod contumelias quoque suas, quae acerbiores principibus solent esse quam iniuriae, nulla crudelitate exsequebatur. quod probrosis in se dictis adrisit, quod dare illum poenas adparebat, cum exigeret, quod quoscumque ob adulterium filiae suae damnaverat, adeo non occidit, ut dimissis quo  
 4 tiores essent diplomata daret: hoc est ignoscere, cum scias multos futuros, qui pro te irascantur et tibi alieno sanguine gratificentur, non dare tantum salutem, sed praestare. Haec Augustus senex aut iam in senectutem annis vergentibus. in adolescentia caluit, arsit ira, multa fecit, ad quae invitus oculos retorquebat.

1 XI. Comparare nemo mansuetudini tuae audebit divum Augustum, etiamsi in certamen juvenilium annorum deduxerit senectutem plus quam maturam: fuerit mode-

ratus et clemens, nempe post mare Actiacum Romano cruore infectum, nempe post fractas in Sicilia classes et suas et alienas, nempe post Perusinas aras et proscriptiones. Ego vero clementiam non voco lassam crudelitatem: haec est, Caesar, clementia vera, quam tu praestas, quae non saevitiae poenitentia coepit, nullam habere maculam, numquam civilem sanguinem fudisse. haec est in maxima potestate verissima animi temperantia et humani generis comprehendit *terminos*, non cupiditate aliqua, non temeritate incendi, non priorum principum exemplis corruptum quantum in cives suos liceat experiendo temptare, sed hebetare aciem imperii sui. Praestitisti, Caesar, civitatem incruentam et hoc quod 3 magno animo gloriatus es: nullam te toto orbe stillam cruoris humani misisse, eo maius est mirabiliusque, quod nulli umquam citius gladius commissus est. Cle 4 mentia ergo non tantum honestiores, sed tutiores praestat, ornamentumque imperiorum est simul et certissima salus. Quid enim est, [*quod,*] cum reges consenuerint liberisque ac nepotibus tradiderint regna, tyrannorum execrabilis ac brevis potestas est? Quid interest inter tyrannum et regem? species enim ipsa fortunae ac licentia par est, nisi quod tyranni in voluptatem saeviunt, reges non nisi ex causa ac necessitate.

XII. Quid ergo? non reges quoque occidere solent? 1 sed quotiens id fieri publica utilitas persuadet: tyrannis saevitia cordi est. Tyrannus autem a rege distat factis, non nomine. nam et Dionysius maiori iure meritoque praeferrunt multis regibus potest et L. Sullam adpellari tyrannum quid prohibet, cui occidendi finem fecit inopia hostium? Descenderit licet e dictatura sua et se togae red- 2 diderit, quis tamen umquam tyrannus tam avide humanum sanguinem bibit quam ille, qui septem milia civium Romanorum contrucidari iussit? et cum in vicino ad aedem Bellonae sedens exaudisset conclamationem tot milium sub gladio gementium, exterrito senatu: *Hoc agamus*, inquit, *P. C.*, *seditioni pauculi meo iussu occiduntur*. Hoc non est mentitus: pauci Sullae videbantur.

sed mox [de Sulla] consequemur quomodo hostibus irascendum sit, utique si in hostile nomen cives et ex  
 3 eodem corpore abrupti transierint. Interim hoc quod dicebam clementia efficit, ut magnum inter regem tyrannumque discrimen sit, uterque licet non minus armis valletur. sed alter arma habet, quibus in munimentum pacis utitur, alter, ut magno timore magna odia conpescat, nec illas ipsas manus, quibus se commisit, securus  
 4 adspicit. Contrariis in contraria agitur. nam cum invisus sit, quia timetur, timeri vult, quia invisus est, et illo execrabili versu, qui multos dedit praecipites, utitur:

*Oderint, dum metuant,*

ignarus quanta rabies oriatur, ubi supra modum odia creverunt. temperatus enim timor cohibet animos, adsiduus vero et acer et extrema admovens in audaciam  
 5 iacentis excitat et omnia experiri suadet. Sic feras lineae et pinnae clusas continent. easdem a tergo eques telis incessat: temptabunt fugam per ipsa, quae fugerant, proculcabuntque formidinem. Acerrima virtus est, quam ultima necessitas extundit. relinquat oportet securi aliquid metus multoque plus spei quam periculorum ostendet: alioquin, ubi quiescenti paria metuuntur, incurrere in pericula iuvat et [ut] aliena anima abuti.

1 XIII. Placido tranquilloque regi fida sunt auxilia sua, ut quibus ad communem salutem utatur, gloriosusque miles (publicae enim securitati se dare operam videt) omnem laborem libens patitur ut parentis custos: at illum acerbum et sanguinarium necesse est graventur stipatores sui. Non potest habere quisquam bonae ac fidae voluntatis ministros, quibus in tormentis et eculeo et ferramentis ad mortem paratis utitur, quibus non aliter quam bestiis homines obiectat, omnibus [omnium] rerum noxior ac sollicitior, ut qui homines deosque testes ac vindices facinorum timeat, eo perductus, ut non liceat illi mutare mores. hoc enim inter cetera vel pessimum habet crudelitas: perseverandum est nec ad meliora patet regressus. scelera enim sceleribus tuenda sunt: quid  
 3 autem eo infelicius, cui iam esse malo necesse est? O!

miserabilem illum, sibi certe! nam ceteris misereri eius nefas sit, qui caedibus ac rapinis potentiam exercuit, qui suspecta sibi cuncta reddidit tam externa quam domestica, cum arma metuat ad arma confugiens, non amicorum fidei credens, non liberorum pietati. qui ubi circumspexit quaeque fecit quaeque facturus est, et conscientiam suam plenam sceleribus ac tormentis adaperuit, saepe mortem timet, saepius optat invisior sibi quam servientibus. E contrario is, cui curae sunt universa, 4 qui alia magis, alia minus tuetur, nullam non reipublicae partem tamquam sui nutrit, inclinatus ad mitiora, etiamsi ex usu est animadvertere, ostendens quam invitus aspero remedio manus admoveat, in cuius animo nihil hostile, nihil efferum est, qui potentiam suam placide ac salutariter exercet, adprobare imperia sua civibus cupiens, felix abunde sibi visus, si fortunam suam publicaverit, sermone adfabilis accessuque facilis, voltu, qui maxime populos demeretur, amabilis, aequis desideriis propensus, etiam iniquis [non] acerbus, a tota civitate amatur, defenditur, colitur. Eadem de illo homines se- 5 creto loquuntur quae palam. tollere filios cupiunt et publicis malis sterilitas indicta recluditur. bene se meritorum de liberis suis quisque non dubitat, quibus tale seculum ostenderit. Hic princeps suo beneficio tutus nihil praesidiis eget, arma ornamentis causa habet.

XIV. Quod ergo officium eius est? quod bonorum 1 parentum, qui obiurgare liberos nonnumquam blande, nonnumquam minaciter solent, aliquando admonere etiam verberibus. Numquid aliquis sanus filium a prima offensa exhereditat? nisi magnae et multae iniuriae patientiam evicerint, nisi plus est quod timet quam quod damnat, non accedit ad decretorium stilum. multa ante temptat, quibus dubiam indolem et peiore loco iam positam revocet: simul deploratum est, ultima experitur. nemo ad supplicia exigenda pervenit, nisi qui remedia consumpsit. Hoc quod parenti, etiam principi faciendum est, quem 2 adpellavimus Patrem Patriae non adulatione vana adducti. cetera enim cognomina honori data sunt: Magnos et Fe-

lices et Augustos diximus et ambitiosae maiestati quicquid potuimus titulorum conguessimus [illis hoc tribuentes], Patrem quidem Patriae adpellavimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quae est temperatissima, liberis consulens suaque post illos reponens. Tarde sibi pater membra sua abscidat. etiam cum absciderit, reponere cupiat et in abscidendo gemat cunctatus multum diuque. prope enim est, ut libenter damnet, qui cito. prope est, ut inique puniat, qui nimis.

1 XV. Trichonem equitem Romanum memoria nostra, quia filium suum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit. vix illum Augusti Caesaris auctoritas in-  
 2 festis tam patrum quam filiorum manibus eripuit. Tarium, qui filium deprehensum in parricidio exilio damnavit causa cognita, nemo non suspexit, quod contentus exilio et exilio delicato Massiliae parricidam continuit et annua illi praestitit, quanta praestare integro solebat: haec liberalitas effecit, ut in qua civitate numquam deest patronus peioribus, nemo dubitaret, quin reus merito damnatus esset, quem is  
 3 pater damnare potuisset, qui odisse non poterat. Hoc ipso exemplo dabo quem compares bono patri bonum principem. Cogniturus de filio Tarius advocavit in consilium Caesarem Augustum. venit in privatos penates, adsedit, pars alieni consilii fuit. non dixit: immo in meam domum veniat. quod si factum esset, Caesaris futura erat cogni-  
 4 tio, non patris. Audita causa excussisque omnibus et his quae adulescens pro se dixerat et his quibus arguebatur, petit ut sententiam suam quisque scriberet, ne ea omnium fieret, quae Caesaris fuisset. deinde priusquam aperirentur codicilli, iuravit se Tarii, hominis locupletis,  
 5 hereditatem non aditurum. Dicit aliquis: pusillo animo timuit, ne videretur locum spei suae aperire velle [in] filii damnatione. ego contra sentio. quilibet nostrum debuisset adversus opiniones malignas satis fiduciae habere in bona conscientia, principes multa debent etiam famae  
 6 dare. Iuravit se non aditurum hereditatem. Tarius quidem eodem die et alterum heredem perdidit, sed Caesar libertatem sententiae suae redemit. et postquam adpro-



bavit gratuitam esse severitatem suam, quod principi semper curandum est, dixit relegandum quo patri videretur. Non culeum, non serpentes, non carcerem de-7 crevit memor non de quo censeret, sed cui in consilio esset. mollissimo genere poenae contentum esse debere patrem dixit in filio adulescentulo, impulso in id scelus, in quo se, quod proximum erat ab innocentia, timide gessisset. debere illum ab urbe et a parentis oculis submoveri.

XVI. O dignum quem in consilium patres advocarent! 1 o dignum quem coheredem innocentibus liberis scriberent! Haec clementia principem decet, ut quocumque venerit, mansuetiora omnia faciat. Nemo regi tam vilis sit, ut illum perire non sentiat, qualiscumque pars imperii est. In magna imperia ex minoribus petamus ex-2 emplum. non est unum imperandi genus: imperat princeps civibus suis, pater liberis, praeceptor discipulis, tribunus vel centurio militibus. Nonne pessimus pater videbitur, qui adsiduis plagis liberos etiam ex levissimis causis conpescet? Uter autem praeceptor liberalibus stu-3 diis dignior, qui excarnificabit discipulos, si memoria illis non constiterit aut si parum agilis in legendo oculus haeserit, an qui monitionibus et verecundia emendare ac docere malit? Tribunum centurionemque da saevum: desertores faciet, quibus tamen ignoscitur. Numquidnam 4 aequum est gravius homini et durius imperari, quam imperatur animalibus mutis? atqui equum non crebris verberibus exterret domandi peritus magister. fiet enim formidolosus et contumax, nisi eum blandiente tactu permulseris. Idem facit venator, quique instituit catulos 5 vestigia sequi, quique iam exercitatis utitur ad excitandas vel persequendas feras. nec crebro illis minatur: contundet enim animos et quicquid est indolis comminetur trepidatione degeneri, nec licentiam vagandi errandique passim concedit. Adicias his licet tardiora agentes iumenta. quae cum ad contumelias et miserias nata sint, nimia saevitia cogantur iugum detrectare.

XVII. Nullum animal morosius est, nullum maiore 1 arte tractandum quam homo. nulli magis parcendum.

- quid enim stultius quam in iumentis quidem et canibus erubescere iram exercere, pessima autem condicione sub [*homine*] hominem esse? Morbis medemur nec irascimur. atqui et hic morbus est animi. mollem medicinam desiderat ipsumque medentem minime infestum aegro.
- 2 Mali medici est desperare [*ne cures*]. idem in his, quorum animus adfectus est, facere debet, cui tradita salus omnium est, non cito spem proicere nec mortifera signa pronuntiare: luctetur cum vitiis, resistat, aliis morbum suum exprobret, quosdam molli curatione decipiat citius meliusque sanaturus remediis fallentibus. agat princeps curam non tantum salutis, sed etiam honestae cicatricis.
- 3 Nulla regi gloria est ex saeva animadversione: quis enim dubitat posse? at contra maxima, si vim suam continet, si multos irae alienae eripuit, neminem suae inpendit.
- 1 XVIII. Servis imperare moderate laus est. et in mancipio cogitandum est non quantum illud inpune pati possit, sed quantum tibi permittat aequi bonique natura, quae parcere etiam captivis et pretio paratis iubet: quanto iustius iubet hominibus liberis, ingenuis, honestis non ut mancipiis abuti, [*sed his*] quos gradu antecedas quorumque tibi non servitus tradita sit, sed tutela? Servis ad statuum licet confugere. cum in servum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere commune ius animantium vetet. Quis non Vedium Pollionem peius oderat quam servi sui, quod muraenas sanguine humano saginabat et eos, qui se aliquid offenderant, in vivarium, quid aliud quam serpentium, abici iubebat? O hominem mille mortibus dignum! sive devorandos servos obiciebat muraenis, quas esurus erat, sive in hoc tantum illas alebat, ut sic aleret. Quemadmodum domini crudeles tota civitate commonstrantur invisique et detestabiles sunt, ita regum et iniuria latius patet et infamia atque odium seculis traditur. quanto autem non nasci melius fuit quam numerari inter publico malo natos?
- 1 XIX. Excogitare nemo quicquam poterit, quod magis decorum regenti sit quam clementia, quocumque modo is et quocumque iure praepositus ceteris erit. eo scilicet

formosius id esse magnificentiusque fatebitur, quo in ma-  
 iori praestabitur potestate, quam non oportet noxiam  
 esse, si ad naturae legem conponitur. Natura enim com- 2  
 menta est regem, quod et ex aliis animalibus licet cogno-  
 scere et ex apibus, quarum regi amplissimum cubile est  
 medioque ac tutissimo loco. praeterea onere vacat ex-  
 actor alienorum operum, et amisso rege totum dilabitur  
 [*examen*], nec unquam plus unum patiuntur meliorem-  
 que pugna quaerunt. praeterea insignis regi forma est  
 dissimilisque ceteris tum magnitudine, tum nitore. hoc  
 tamen maxime distinguitur. Iracundissimae ac pro cor-  
 poris captu pugnacissimae sunt apes et aculeos in vol-  
 nere relinquunt: rex ipse sine aculeo est. Noluit illum 3  
 natura nec saevum esse nec ultionem magno constaturam  
 petere, telumque detraxit et iram eius inermem reliquit:  
 exemplar hoc magnis regibus ingens est. est enim illi mos  
 exercere se in parvis et ingentium rerum documenta *in*  
*minima cogere*. Pudeat ab exiguis animalibus non tra- 4  
 here mores, cum tanto hominum moderatior esse animus  
 debeat, quanto vehementius nocet. Utinam quidem ea-  
 dem homini lex esset, *ut* ira cum telo suo frangeretur  
 nec saepius liceret nocere quam semel, nec alienis viri-  
 bus exercere odia! facile enim lassaretur furor, si per  
 se sibi satisfaceret et si mortis periculo vim suam effun-  
 deret. Sed ne nunc quidem illi cursus tutus est. tantum 5  
 enim necesse est timeat, quantum timeri voluit, et manus  
 omnium observet et eo quoque tempore, quo non captatur,  
 peti se iudicet nullumque momentum immune a metu habe-  
 at: hanc aliquis agere vitam sustinet, cum liceat innoxium  
 aliis, ob hoc securum salutare potentiae ius laetis omni-  
 bus tractare? errat enim, si quis existimat tutum esse  
 ibi regem, ubi nihil a rege tutum, sed securitas securitate  
 mutua paciscenda est. Non opus est instruere in altum 6  
 editas arces nec in adscensum arduos colles emunire nec  
 latera montium abscidere, multiplicibus se muris turri-  
 busque sepire: salvum regem in aperto clementia prae-  
 stabit. Unum est inexpugnabile munimentum amor ci-  
 vium. Quid pulchrius est quam vivere optantibus cunctis 7

et vota non sub custode nuncupantibus? si paulum va-  
 litudo titubavit, non spem hominum excitari, sed metum?  
 nihil esse cuiquam tam pretiosum, quod non pro salute  
 8 praesidis sui commutatum velit? O nae illo, cui contingit  
 \*\*\* sibi quoque vivere debeat. in hoc adsiduis bonitatis  
 argumentis probavit non rempublicam suam esse, sed se  
 reipublicae. Quis huic audeat struere aliquod periculum?  
 quis ab hoc non, si possit, fortunam quoque avertere  
 velit, sub quo iustitia, pax, pudicitia, securitas, digni-  
 tas florent, sub quo opulenta civitas copia bonorum  
 9 omnium abundat? Nec alio animo rectorem suum intue-  
 tur, quam si di immortales potestatem visendi sui faciant.  
 [intueamur venerantes colentesque.] Quid autem? non  
 proximum illis locum tenet is, qui se ex deorum natura  
 gerit beneficus ac largus et in melius potens? Hoc ad-  
 fectare, hoc imitari decet, maximum ita haberi, ut opti-  
 mus simul habere.

- 1 XX. A duabus causis punire princeps solet:  
 [si] aut se vindicat aut alium. prius de ea parte  
 disseram, quae ipsum contingit: difficilius est  
 enim moderari, ubi dolori debetur ultio quam ubi exemplo.
- 2 Supervacuum est hoc loco admonere, ne facile credat,  
 ut verum excutiat, ut innocentiae faveat (et ut adpareat),  
 ut non minorem agi rem periclitantis quam iudicis sciat.  
 hoc enim ad iustitiam, non ad clementiam pertinet: nunc  
 illum hortamur, ut manifeste laesus animum in potestate  
 habeat et poenam, si tuto poterit, donet, sin minus,  
 temperet longaque sit in suis quam in alienis iniuriis ex-  
 3 orabilior. Nam quemadmodum non est magni animi, qui  
 de alieno liberalis est, sed ille qui quod alteri donat, sibi  
 detrahit, ita clementem vocabo non in alieno dolore fa-  
 cilem, sed eum, qui cum suis stimulis exagitetur, non  
 prosilit, qui intellegit magni animi esse iniurias in summa  
 potentia pati nec quicquam esse gloriosius principe in-  
 pune laeso.
- 1 XXI. Ultio duas res praestare solet, aut solatium ad-  
 fert ei, qui accepit iniuriam, aut in reliquum securitatem:  
 principis maior est fortuna, quam ut solatio egeat, ma-

nifestiorque vis, quam ut alieno malo opinionem sibi virium quaerat. hoc dico: cum ab inferioribus petitus violatusque est. nam si, quos pares aliquando habuit, infra se videt, satis vindicatus est. Regem et servus occidit et serpens et sagitta: servabit quidem nemo, nisi maior eo quem servavit. Uti itaque animose debet tanto munere deorum dandi auferendique vitam potens, in his praesertim, quos scit aliquando sibi [*par*] fastigium obtinuisse. hoc arbitrium adeptus ultionem inplevit perfecitque quantum verae poenae satis erat. perdidit enim vitam qui debet, et quisquis ex alto ad inimici pedes abiectus alienam de capite regnoque sententiam exspectavit, in servatoris sui gloriam vivit plusque nomini eius confert incolumis, quam si ex oculis ablatus esset. adsidium enim spectaculum alienae virtutis est: in triumpho cito transisset. Si vero regnum quoque suum tuto relinqui apud eum potuit reponique eo unde deciderat, ingenti incremento surgit laus eius, qui contentus fuit ex rege victo nihil praeter gloriam sumere. Hoc est etiam ex victoria sua triumphare testarique nihil se quod dignum esset victore apud victos invenisse. Cum civibus et ignotis atque humilibus eo moderatius agendum est, quo minoris est afflixisse eos. quibusdam libenter parcas, a quibusdam te vindicare fastidias et non aliter quam ab animalibus parvis et obterentem inquinantibus reducenda manus est: at in iis, qui in ore civitatis servati punitique erunt, occasione notae clementiae utendum est.

XXII. Transeamus ad alienas iniurias, in quibus vindicandis haec tria lex secuta est, quae princeps quoque sequi debet: aut ut eum, quem punit, emendet, aut ut poena eius ceteros meliores reddat, aut ut sublatis malis securiores ceteri vivant. Ipsos facilius emendabis minore poena: diligentius enim vivit cui aliquid integri superest. nemo dignitati perditae parcit. inpunitionis genus est iam non habere poenae locum. Civitatis autem mores magis corrigit parcitas animadversio-  
num. facit enim consuetudinem peccandi multitudo peccantium et minus gravis nota est, quam turba damnatio-

num levat, et severitas, quod maximum remedium habet,  
 3 adsiduitate amittit auctoritatem. Constituit bonos mores  
 civitati princeps et vitia eius facilius reprimit, si patiens  
 eorum est, non tamquam probet, sed tamquam invitus  
 et cum magno tormento ad castigandum veniat: verecun-  
 diam peccandi facit ipsa clementia regentis. gravior multo  
 poena videtur, quae a miti viro constituitur.

1 XXIII. Praeterea videbis ea saepe committi, quae  
 saepe vindicantur. Pater tuus plures intra quinquennium  
 culeo insuit, quam omnibus seculis insutos accepimus.  
 multo minus audebant liberi nefas ultimum admittere,  
 quamdiu sine lege crimen fuit. summa enim prudentia  
 altissimi viri et rerum naturae peritissimi maluerant velut  
 2 incredibile scelus et ultra audaciam positum praeterire  
 quam, dum vindicant, ostendere posse fieri. itaque par-  
 ricidae a lege coeperunt et illis facinus poena monstra-  
 vit. pessimo vero loco pietas fuit, postquam saepius cu-  
 leos vidimus quam cruces. In qua civitate raro homines  
 puniuntur, in ea consensus fit innocentiae et indulgetur  
 velut publico bono. putet se innocentem esse civitas:  
 erit. magis irascetur a communi frugalitate desciscantibus,  
 si paucos eos esse viderit. Periculosum est, mihi crede,  
 ostendere civitati, quanto plures mali sint.

1 XXIV. Dicta est aliquando a senatu sententia: ut ser-  
 vos a liberis cultus distingueret. deinde adparuit, quan-  
 tum periculum inmineret, si servi nostri numerare nos  
 coepissent: idem scito metuendum esse, si nulli igno-  
 scitur. cito adparebit, pars civitatis deterior quanto prae-  
 gravet. Non minus principi turpia sunt multa supplicia  
 quam medico multa funera. remissius imperanti melius  
 2 paretur. Natura contumax est humanus animus et in con-  
 trarium atque arduum nitens sequiturque facilius quam  
 ducitur. et ut generosi atque nobiles equi melius facili  
 freno reguntur, ita clementiam voluntaria innocentia in-  
 petu suo sequitur et dignam putat civitas, quam servet  
 3 sibi. Plus itaque hac via proficitur. crudelitas minime  
 humanum malum est indignumque tam miti animo. ferina

ista rabies est sanguine gaudere ac vulneribus, et abiecto homine in silvestre animal transire.

XXV. Quid enim interest, oro te, Alexander, leoni 1  
Lysimachum obicias an ipse laceres dentibus tuis? tuum  
os est, tua illa feritas. O quam cuperes tibi potius un-  
gues esse, tibi rictum illum edendorum hominum capa-  
cem? Non exigimus a te, ut manus ista, exitium fami-  
liarium certissimum, ulli salutaris sit, ut iste animus  
ferox, insatiabile gentium malum, citra sanguinem cae-  
demque satietur: clementiam voca, *ubi* ad occidendum  
amicum carnifex inter homines eligitur. Hoc est quare 2  
vel maxime abominanda sit saevitia, quod excedit fines  
primum solitos, deinde humanos. nova supplicia con-  
quiri, ingenium advocat, instrumenta excogitat, per quae  
varietur atque extendatur dolor, et delectetur malis ho-  
minum. Tunc ille dirus animi morbus ad insaniam per- 3  
venit ultimam, cum crudelitas versa est in voluptatem et  
iam occidere hominem iuvat: nam talem virum a tergo  
sequitur eversio, odia, venena, gladii. tam multis peri-  
culis petitur, quam multorum ipse periculum est, privatis-  
que nonnumquam consiliis, alias vero consternatione  
publica circumvenitur. levis enim et privata perniciēs non  
totas urbes movet: quod late furere coepit et omnes ad-  
petit, undique configitur. Serpentes parvulae fallunt nec 4  
publice conquiruntur: ubi aliqua solitam mensuram transi-  
iit et in monstrum excrevit, ubi fontes potu infecit et,  
si adflavit, deurit obteritque, quacumque incessit, bal-  
listis petitur. Possunt verba dare et evadere pusilla mala,  
ingentibus obviam itur. Sic unus aeger nec domum 5  
quidem perturbat. at ubi crebris mortibus pestilentiam  
esse adparuit, conclamatio civitatis ac fuga est et dis  
ipsis manus intentantur. Sub uno aliquo tecto flamma  
adparuit: familia vicinique aquam ingerunt. at incen-  
dium vastum et multas iam domos depastum parte urbis  
obruitur.

XXVI. Crudelitatem privatorum serviles quoque ma- 1  
nus sub certo crucis periculo ultae sunt: tyrannorum  
gentes populique et quorum erat malum et hi, quibus

imminebat, excindere adgressi sunt. aliquando sua prae-  
 sidia in ipsos consurrexerunt perfidiamque et impietatem  
 et feritatem et quicquid ab illis didicerant, in ipsos exer-  
 cuerunt. quid enim potest ab eo quisquam sperare, quem  
 malum esse docuit? Non diu adparet nequitia nec quan-  
 2 tum videtur peccat. Sed puta tutam esse crudelitatem:  
 quale eius regnum est? non aliud quam captarum urbium  
 forma et terribiles facies publici metus. omnia moesta,  
 trepida, confusa. voluptates ipsae timentur. non convivia  
 securi ineunt, in quibus lingua sollicite etiam ebriis custo-  
 dienda est. non spectacula, ex quibus materia criminis ac  
 periculi quaeritur. adparentur licet magna inpensa et re-  
 giis opibus et artificum exquisitis nominibus: quem tamen  
 3 ludi in carcere iuvent? Quod istud, di boni, malum est  
 occidere, saevire, delectari sono catenarum et civium  
 capita decidere, quocumque ventum est multum sangui-  
 nis fundere, adspectu suo terrere ac fugare? Quae alia  
 vita esset, si leones ursique regnarent? si serpentibus  
 in nos ac noxiosissimo cuique animali daretur potestas?  
 4 Illa rationis expertia et a nobis inmanitatis crimine da-  
 mnata abstinent suis et tuta est etiam inter feras simili-  
 tudo: horum ne a necessariis quidem sibi rabies tem-  
 perat, sed externa suaque in aequo habet, quo possit  
 exercitior a singulorum caedibus deinde in exitia gen-  
 tium serpere. et inicere tectis ignem, aratrum vetustis  
 urbibus inducere potentiam putat. et unum occidi iubere  
 aut alterum parum imperatorium credit. nisi eodem tem-  
 pore grex miserorum sub *ictu* stetit, crudelitatem suam  
 5 in ordinem coactam putat. Felicitas illa multis salutem  
 dare et ad vitam ab ipsa morte revocare et mereri cle-  
 mentia civicam. nullum ornamentum principis fastigio  
 dignius pulchriusque est quam illa corona ob cives ser-  
 vatos: non hostilia arma detracta victis, non currus bar-  
 barorum sanguine cruenti, non parta bello spolia. Haec  
 divina potentia est gregatim ac publice servare: mul-  
 tos quidem occidere et indiscretos incendii ac ruinae  
 potentia est.

---



# L. ANNAEI SENECAE

AD NERONEM CAESAREM

## D E C L E M E N T I A

### LIBER II.

---

I. Ut de clementia scriberem, Nero Caesar, una me 1  
vox tua maxime compulit, quam ego non sine admiratione  
et cum diceretur, audisse memini, et deinde aliis nar-  
rasse, vocem generosam, magni animi, magnae lenitatis,  
quae non composita nec alienis auribus [*sed*] subito data  
crepuit et bonitatem tuam cum fortuna tua litigantem in  
medium adduxit. Animadversurus in latrones duos Bur- 2  
rus praefectus tuus, vir egregius et tibi principi natus,  
exigebat a te, scriberes in quos et ex qua causa animad-  
verti velles. hoc saepe dilatum ut aliquando fieret insta-  
bat. Invitus invito cum chartam protulisset traderetque,  
exclamasti: *vellem nescirem literas!* O dignam vocem, 3  
quam audirent omnes gentes, quae Romanum imperium  
incolunt, quaeque iuxta iacent dubiae libertatis quaeque  
se contra viribus aut animis adtollunt! O vocem in con-  
cionem omnium mortalium mittendam, in cuius verba  
principes regesque iurarent! O vocem publicam generis  
humani [*innocentia*] dignam, cui redderetur antiquum illud  
seculum! Nunc profecto consentire decebat ad aequum 4  
bonumque expulsa alieni cupidine, ex qua omne animi  
malum oritur, pietatem integritatemque cum fide ac mo-  
destia resurgere: et vitia diuturno abusa regno tandem  
felici ac puro seculo darent locum.

II. Futurum hoc, Caesar, ex magna parte sperare et 1  
confiteri libet. Tradetur ista animi tui mansuetudo diffun-  
deturque paulatim per omne imperii corpus et cuncta in  
similitudinem tui formabuntur. A capite bona valitudo

in omnes [*exit: omnia*] vegeta sunt atque erecta aut languore demissa, prout animus eorum vivit aut marcet. Erunt cives, erunt socii digni hac bonitate et in totum orbem recti mores revertentur: parcetur ubique manibus  
 2 [tuis]. Diutius me morari hic patere, non ut blandum auribus tuis. nec enim hic mihi mos est. maluerim veris offendere quam placere adulando: quid ergo est? praeter id, quod bene factis dictisque tuis quam familiarissimum esse te cupio, ut quod nunc natura et inpetus est, fiat iudicium, illud mecum considero, multas voces magnas, sed detestabiles, in vitam humanam pervenisse celebresque volgo ferri, ut illam: *oderint, dum metuant.* cui Graecus versus similis est [*eius*], qui se mortuo ter  
 3 ram misceri ignibus iubet, et alia huius notae. ac nescio quomodo ingenia inmania et invisae materia secundiori expresserunt sensus vehementes et concitatos. nullam adhuc vocem audivi ex bono lenique animosam. quid ergo est? ut raro, invitus et cum magna cunctatione, ita aliquando scribas necesse est istud, quod tibi in odium literas adduxit, sed, sicut facis, cum magna cunctatione, cum multis dilationibus.

1 III. Et ne forte decipiat nos speciosum clementiae nomen aliquando et in contrarium abducat, videamus quid sit clementia qualisque sit et quos fines habeat.

Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi vel lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis poenis. Plura proponere tutius est, ne una finitio parum rem comprehendat et, ut ita dicam, formula excidat: itaque dici potest et inclinatio animi ad lenitatem in poena  
 2 exigenda. Illa finitio contradictiones inveniet, quamvis maxime ad verum accedat: si dixerimus clementiam esse moderationem aliquid ex merita ac debita poena remittentem, reclamabitur nullam virtutem cuiquam minus debito facere. atqui hoc omnes intellegunt clementiam esse, quae se flectit citra id, quod merito constitui posset.

1 IV. Huic contrariam inperiti putant severitatem: sed nulla virtus virtuti contraria est. quid ergo oppo-

nitur clementiae? Crudelitas, quae nihil aliud est quam atrocitas animi in exigendis poenis. Sed quidam non exigunt poenas, crudeles tamen sunt, tamquam qui ignotos homines et obvios non in compendium, sed occidendi causa occidunt. nec interficere contenti saeviunt, ut Busiris ille et Procrustes et piratae, qui captos verberant et in ignem vivos inponunt. Haec crudelitas 2 quidem: sed quia nec ultionem sequitur, non enim laesa est, nec peccato alicui irascitur, nullum enim antecessit crimen, extra finitionem nostram cadit. [finitio continebat in poenis exigendis intemperantiam animi.] Possumus dicere non esse hanc crudelitatem, sed feritatem, cui voluptati saevitia est. possumus insaniam vocare: nam varia sunt genera eius et nullum certius quam quod in caedes hominum et laniationes pervenit. Illos ergo cru- 3 deles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent, sicut in Phalari, quem aiunt non quidem in homines innocentes, sed super humanum ac probabilem modum saevisse. Possumus effugere cavillationem et ita finire, ut sit crudelitas inclinatio animi ad asperiora. Hanc clementia repellit longe *distare* a se: nam severitati *cum* illa convenit. Ad rem pertinet quaerere hoc 4 loco, quid sit misericordia. plerique enim ut virtutem eam laudant et bonum hominem vocant misericordem. Et haec vitium animi est: utraque circa severitatem circaque clementiam posita sunt, quae vitare debemus, [per speciem severitatis ne in crudelitatem incidamus, neve] per speciem clementiae in misericordiam. In hoc leviori periculo erratur, sed par error est a vero recedentium.

V. Ergo quemadmodum religio deos colit, superstitio 1 violat, ita clementiam mansuetudinemque omnes boni viri praestabunt, misericordiam autem vitabunt: est enim vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorum succidentis. itaque pessimo cuique familiarissima est: anus et mulierculae sunt, quae lacrimis nocentissimorum moventur, quae, si liceret, carcerem effringerent. Misericordia non causam, sed fortunam spectat: clementia rationi accedit. Scio male audire apud inperitos sectam 2

Stoicorum tamquam nimis duram et minime principibus regibusque bonum daturam consilium. obicitur enim illi quod sapientem negat misereri, negat ignoscere. Haec si per se ponantur, invisata sunt: videntur enim nullam spem relinquere humanis erroribus, sed omnia delicta ad poenam deducere. Quod si est, quidni [*invisata sit*] haec scientia, quae dediscere humanitatem iubet portumque adversus fortunam certissimum mutuo auxilio cludit? sed nulla secta benignior leniorque est, nulla amantior hominum et communis boni adtentior, ut [*cui*] propositum sit usui esse aut auxilio, nec sibi tantum, sed universis singulisque consulere. Misericordia est aegritudo animi ob alienarum miseriarum speciem, aut tristitia ex alienis malis contracta, quae accidere inmerentibus credit. aegritudo autem in sapientem virum non cadit. serena eius mens est nec quicquam incidere potest, quod illam obducat. nihilque aequè hominem quam magnus animus decet: non potest autem magnus esse idem ac *motus*. moeror contundit mentes, abicit, contrahit. Hoc sapienti ne in suis quidem accidet calamitatibus, sed omnem fortunae iram reverberabit et ante se franget. eamdem semper faciem servabit, placidam, inconcussam, quod facere non posset, si tristitiam reciperet.

1 VI. Adice quod sapiens providet et in expedito consilium habet: numquam autem liquidum sincerumque ex turbido venit. tristitia inhabilis est ad dispiciendas res, utilia excogitanda, periculosa vitanda, aequa aestimanda: ergo non miseretur, quia id sine miseria animi non fit. cetera omnia quae [*eos*], qui miserentur, volo facere, 2 libens et altus animo faciet. Succurret alienis lacrimis, non accedet. dabit manum naufrago, exuli hospitium, egenti stipem, non hanc contumeliosam, qua pars maior horum, qui se misericordes videri volunt, abicit et fastidit quos adiuvat contingique ab his timet, sed ut homo homini ex communi dabit. Donabit lacrimis maternis filium et catenas solvi iubebit et ludo eximet et cadaver etiam noxium sepeliet, sed faciet ista tranquilla mente, 3 voltu suo. Ergo non miserebitur sapiens, sed succurret,

sed proderit, in commune auxilium natus ac publicum bonum, ex quo dabit cuique partem: etiam ad calamitosos pro portione improbandos et emendandos bonitatem suam permittet. adflictis vero et sortis [*culpa*] laborantibus multo libentius subveniet. quotiens poterit, fortunae intercedet: ubi enim opibus potius utetur aut viribus quam ad restituenda quae casus inpulit? voltum quidem non deiciet nec animum ob erus alicuius aridum aut pannosam maciem et innixam baculo senectutem: ceterum omnibus dignis proderit et deorum more calamitosos propitius respiciet. Misericordia vicina est miseriae: 4 habet enim aliquid trahitque ex ea. inbecilles oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem et ipsi subfunduntur, tam mehercule quam morbum esse, non hilaritatem, semper adridere ridentibus et ad omnium oscitationem ipsum quoque os diducere: misericordia vitium est animorum nimis miseria paventium, quam si quis a sapiente exigit, prope est, ut lamentationem exigit et in alienis funeribus gemitus.

VII. [At quare non ignoscet? vacuum] Constitua- 1  
mus nunc quoque, quid sit venia, et sciemus dari illam a sapiente non debere. Venia est poenae meritae remissio. Hanc sapiens quare non debeat dare, reddunt rationem diutius, quibus hoc propositum est: ego ut breviter tamquam in alieno iudicio dicam: Ei ignoscitur, qui puniri debuit. sapiens autem nihil facit quod non debet, nihil praetermittit, quod debet: itaque poenam, quam exigere debet, non donat. sed illud quod ex venia consequi 2  
vis, honestiore tibi via tribuit: parcit enim sapiens, consulit et corrigit. idem facit quod, si ignosceret, nec ignoscit, quoniam qui ignoscit, fatetur aliquid se quod fieri debuit omisisse. Aliquem verbis tantum admonebit, poena non adficiet aetatem eius emendabilem intuens. aliquem invidia criminis manifeste laborantem iubebit incolumem esse, quia deceptus est, quia per vinum lapsus. hostes dimittet salvos, aliquando etiam laudatos, si honestis causis pro fide, pro foedere, pro libertate in bellum acciti sunt. Haec omnia non veniae, sed clemen- 3

tiae opera sunt. Clementia liberum arbitrium habet: non sub formula, sed ex aequo et bono iudicat. et absolvere illi licet et quanti vult taxare litem. Nihil ex his facit, tamquam iusto minus fecerit, sed tamquam id quod constituit iustissimum sit. ignoscere autem est quem iudicas puniendum non punire. venia debitae poenae remissio est: clementia hoc primum praestat ut quos dimittit, nihil aliud illos pati debuisse pronuntiet. plenior est ergo  
4 quam venia et honestior. De verbo, ut mea fert opinio, controversia est, de re quidem convenit. Sapiens multa remittet, multos parum sani, sed sanabilis ingenii servabit. agricolas bonos imitabitur, qui non tantum rectas procerasque arbores colunt: illis quoque, quas aliqua depravavit causa, adminicula quibus dirigantur adplicant, alias circumcidunt. ne proceritatem rami premant, quasdam infirmas vitio loci nutriunt, quibusdam aliena umbra  
5 laborantibus coelum aperiunt. [*Secundum haec*] videbit [*perfectus sapiens*], quod ingenium qua ratione tractandum sit, quo modo in rectum prava flectantur. \* \* \*

**L. ANNAEI SENECAE**

**OPERA**

**QUAE SUPERSUNT.**

**RECOGNOVIT ET RERUM INDICEM LOCUPLETISSIMUM  
ADIECIT**

**FRIDERICUS HAASE**

**PROF. VRATISLAV.**

**VOL. II.**



**LIPSIÆ**

**SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI.**

**MDCCCLII.**





## FRID. HAASII PRAEFATIO.

---

Quamquam non videtur in Senecae libris accurate definiri posse, quo quisque tempore conscriptus sit, praesertim cum de vita quoque Senecae post Lipsium nemo diligentius quaesiverit, nolui tamen e superioribus editionibus talem aliquem librorum ordinem retinere. quem a temporum ordine abhorrere satis constaret; quare cum mihi de XII Dialogorum libris otium quaerendi fecisset codicis Mediolanensis auctoritas, primo volumine cum iis ea Senecae opera conjunxi. quorum quae sunt aetate postrema, ad Neronis initia pertinent; sequuntur jam altero hoc volumine comprehensi de Beneficiis et Naturalium Quaestionum libri, quos et post illa scriptos esse et ante epistolas demonstrari potest aut certis aut probabilibus argumentis. Emendandi vero secutus sum rationem eandem, de qua primo volumine exposui, nisi quod Nat. Quaestionum libri maiorem nonnumquam audaciam requirere visi sunt; nam etsi in iis quoque, qui sunt de Beneficiis, reperiuntur loci aliquot corruptissimi, quos aut intactos reliqui aut recte jam a me aliisve emendatos esse non credo, multum tamen ibi ad inveniendam veram scripturam profuit praestantissimus cod. Nazarianus, plus etiam profuturus ille, si post Gruterum denuo conferri potuisset. Sed Nat. Quaestionum libris quantum ad integritatem desit, parum perspexisse editores videntur: nam primum majores quasdam partes periisse nemo animadvertit; ego lacunae signa posui lib. I, 8, 5, ubi necesse est exciderint ea, quae Seneca ad quaestiones eo ipso loco propositas responderat; deinde c, 15, 8 qui nunc locus mancus est, eum sperare licet aliquando restitui posse, si inventus fuerit codex aliquis integer, similis Berolinensi, quem testatur Fickertus ob amissa vel duo vel tria folia non habere totum illum locum inde a c. 11, 3, et deinde his verbis incipere: quantum in pravum. quod si ita est, apparet eum codicem longe aliud quid habuisse aut voces in pravum. quam quae nunc leguntur; illa certe, quae ego uncis inclusi, tolerari nullo modo possunt; pertinent enim ad specula, de quibus Seneca ibi nondum agit; quae nisi, ut mihi videtur, subditicia sunt. certe alieno loco intrusa esse nemo negabit. Praeterea lacunam indicavi lib. IV. inter c. 2 et 3. quo loco haud pauca interciderisse manifestum est; nam neque de Nilo quaestio potest ibi finita videri, neque quae deinde sequitur de nive et grandine, initium habet, sed

superest ejus tantum pars minima et extrema, id quod ipse Seneca satis indicat, qui postquam pauca de grandine dixit, c. 4, 1 peractam esse quaestionem ait et velle se quaedam velut in cumulum addere. Quare si de lacuna mihi conceditur, quam ego etiam fragmentis quibusdam ab ipso Seneca suppeditatis explere studui — leguntur ea paulo post c. 3, 6. c. 13, 2. — illud quoque intelligi arbitror, ne numerum quidem librorum, quos nunc septem habemus, verum esse posse; quis enim credibile putabit, quod et a consuetudine et ab arte Senecae plane alienum est, uno libro IV. duas quaestiones diversissimas copulatas esse ejusque rei neque in praefatione illius libri neque in epilogo ullam mentionem fieri? quare debuit illo loco quinti libri numerus poni et deinceps sequentium librorum numeri mutari, quod ego, ne nimis a vulgato more recederem, facere supersedi. Deinde libri V. praefationem amissam esse arbitror, neque id incertum cuiquam videbitur, qui consideraverit, quam studiose Seneca ea tractet, quae ad rem propositam non nimis necessaria sunt, adeo ut videri possit ipsos libros praefationum et epilogorum causa scripsisse. Denique libro VI deesse aliquem locum ex eo intelligitur, quod c. 14, 2 testatur se eorum, quibus placeat terram animal esse, sententiam commemorasse, quod quoniam dicit se paulo ante fecisse, credi non potest errorem eum esse vel memoriae lapsum.

Praeter majora haec horum librorum detrimenta multa est in verbis singulis incertitudo et depravatio; nam qui olim usurpati sunt codices Memmianus et Bongarsianus et si qui alii fuerunt his similes, vetusti et ab interpolandi libidine immunes, eorum nunc tenuis et ambigua memoria exstat; proxime ad hos accedit cod. Berolinensis, sec. XIII., qui quamquam est omnium, quos accuratius collatos habemus, longe optimus, ut ei merito a Fickerto summa auctoritas tribuatur, tamen omni vitiorum genere haud raro foedatus est; nam praeter foliorum aliquot defectum, quem supra memoravi, et minoribus lacunis laborat, maxime in lib. IV praefatione, et singularum vocum omissionibus, quae frequentissimae sunt in parte libri III, inde a c. 22. reperiuntur etiam aliquotiens librariorum additamenta et passim alii errores varii; ejusdem rursus libri in plurimis partibus mira integritas est atque in ipsis etiam vitiis plerumque proxima cum veritate necessitudo. Diversissimus est cod. Bambergensis, qui illum aetate superat; seculi enim XI esse perhibetur; ceterum habet Senecae libros primum ab aliquo haud indocto homine gravissime et audacissime interpolatos, deinde etiam vulgaribus librariorum peccatis corruptos; nec tamen desunt exempla scripturae ex aliquo vetustiore et integro libro propagatae; quare summa cautione opus est, ne aut quae proba sunt, immerito damnentur, aut quae speciose excogitavit falsarius, pro veris tibi imponant. In tanta dubitandi materia, quam duo hi codices diligenter inter se comparati praebent, raro accidit, ut in reliquis codicibus recentioribus boni consilii copiam nanciscaris. Proinde satis apparere arbitror, non posse nunc

in Nat. Quaestt. certa fide Senecae orationem constitui, nisi vetustiores illi et meliores libri, de quibus antea dixi, indagati fuerint et denuo diligentius excussi.

Ad hanc criticae operae difficultatem accedit etiam, quod qui adhuc Senecae opera ediderunt, si ab uno Fickerto discedas, qui collato maxime Berolinensi codice optime meritus est, plerique omnes in Nat. Quaestionibus minore cura versati esse videntur, argumenti credo natura deterriti; Koelerus contra, qui eas ipso argumento allectus singulatim pertractavit, emendationis officium aut parum diligenter aut infeliciter administravit. Quo fit, ut in hoc libro etiam nunc vitia talia resederint, quae vel sine codicum auxilio facili opera corrigi possint et quae mireris tam diu tolerari potuisse. Ex hoc genere illud est, quod lib. II, c. 59, 5 legebatur adhuc: nec de re sed de die queritur; scribendum enim erat quaeritur, quod nisi per se manifestum esset, docere poterat locus simillimus lib. VI, c. 32, 3. non de re sed de tempore est quaestio. Item lib. VII, c. 12, 4 vix credibile est quantas turbas moverit parvus et manifestus scribendi error; cum enim ibi jam olim sic legeretur: quemadmodum arcus, alterne sol visitur, quod et unus cod. Opsopoei habuit, qui fuit haud dubie Memmianus, et nunc praebuit cod. Berol., quoniam id intelligi sane non poterat, miris modis et interpolatores codicum mss. et deinde Fromondus, Gronovius, Vossius, Koelerus se torserunt, ut aut reperirent aliquid, quod in re proposita recte dici posset alterne fieri, aut ut importunum illud alterne aliquo modo tollerent; et Vossius quidem, qui recte perspiceret de parheliis agi, proxime ad verum accessit, sed cum conjecturam e depravato codice duceret, ternos soles produxit: quanto simplicius erat pro tot ambagibus in optimorum codd. scriptura unam litterulam leniter mutare, ut ex alterne fiat alterve sol. Pari facilitate corrigi potuit locus lib. II, c. 49, 2. cum eorum tangitur vel comitium aut principalia urbis liberae loca. Scripsi forum pro eorum; multo longius discessit vulgata reliquorum codd. scriptura: *quorum vi* tangitur vel comitium vel princ. Item lib. II, c. 59, 11 pro dilectione vel deiectione animi vel deiectione alvi in promptu erat scribere deiectione. Sed non possum hoc loco vel faciles ejusmodi emendationes persequi vel difficiliores et dubias commendare aut excusare, nec quomodo in lacunis explendis et ejiciendis glossematis versatus sim explicare licet quibusve adductus rationibus Bambergensis codicis fidem nonnumquam Berolinensi praetulerim. Unum hoc de leviore quadam neque tamen negligenda critici muneris parte admonere volo: multae res sunt ad scribendi rationem et formas usumque verborum pertinentes, quae totae pendent ex optimorum codicum mss. auctoritate; quae cum in Nat. Quaestt. exigua sit, fit necessarium, ut in iis nisi discedere velis a reliqua Senecae consuetudine, sequendi sint aliorum librorum codices meliores; atque id Fickertus fecit in orthographia, in qua ejus et exemplum secutus sum et ra-

tiones exspecto; in aliis rebus minus sibi constitit; neque ego omnia ad unam normam exaequavi; itaque intactam reliqui accusativi formam a *ĕrem* lib. III, c. 12, 2. VII, c. 24, 2, quamquam non dubito, quin semper Seneca *aĕra* scripserit. Contra quod in aliis libris recte restitutum est aliubi, veluti de Benef. I, 5, 5. III, 6, 2. VI, 33, 3. Dial. V, 6, 4. Epist. 92, 29. 99, 26. id ego in his quoque, ubi codd. mss. inter *alibi* et *alicubi* fluctuantur, restituendum duxi: vid. lib. V, c. 14, 1. lib. VI, c. 7, 1. c. 14, 1. c. 15. Item quod bis posita erat *ac* particula ante vocalem lib. II, c. 22, 3 et c. 31, 1 (ubi cf. c. 52, 1), ferendum non magis putavi quam quod semel legebatur *contrario* lib. VI, c. 13, 4, ubi scripsi *e contrario*, ut solet Seneca *alibi*; vid. lib. I, 4, 1. III, 20, 3. V, 1, 4. 3, 3. et in aliis libris saepe; nec movet me alterum exemplum Epist. 94, 2. potuit certe illo loco *e* post *idem* facile excidere. Sed quod Fickertus semel ponere ausus est *transiet* lib. III, c. 10, 4. miro ibi codicum mss. consensu firmatum, id ego adeo non aspernatus sum, ut ejus generis formas etiam aliis locis recte mihi restituisse videar; nam et de Benef. lib. II, 1, 2 habent *iniet* libri optimi, inter quos est Nazarianus, et in Epist. 17, 7 *exiet* est in cod. Paris. p. qui est in illa parte longe optimus, et in quinque aliis; nec longe discedit alius vetustus cod. Paris. P. in quo est *exhibet*; de utroque enim cod. Paris. Fickertus illo loco minus recte retulit; his confisus exemplis in Ludo c. 3, 1 *exiet* edidi, quo nihil videtur probabilius reperiri posse pro corrupta voce esset; et de Benef. lib. I, 2, 3 credo me rectius bis *rediet* scripturum fuisse pro eo quod nunc posui *redit*; et in Dial. XI, c. 8, 2 *exiet* scriptum malim quam vel *exit* vel *erit*.

Haec de Nat. Quaestionum libris haud inutile putavi admonere; de Epistolis et quae praeterea reliqua sunt, dicam volumine tertio.


Scribebam Vratislaviae d. XXIV. m. Decembr. a. MDCCCLI.

**L. ANNAEI SENECAE**

AD AEBUTIUM LIBERALEM

**D E B E N E F I C I I S**

LIBRI VII.



# L. ANNAEI SENECAE

AD AEBUTIUM LIBERALEM

## DE BENEFICIIS

### LIBER I.

---

I. Inter multos ac varios errores temere inconsulte- 1  
que viventium nihil propemodum [*indignius*], vir optime  
Liberalis, dixerim, [*quam*] quod beneficia nec dare  
scimus nec accipere. sequitur enim, ut male collo-  
cata male debeantur. de quibus non redditis sero que-  
rimur: ista enim perierunt, cum darentur. Nec mirum 2  
est inter plurima maximaque vitia nullum  
esse frequentius quam ingrati animi. id even-  
nire ex causis pluribus video: prima illa est,  
quod non eligimus dignos, quibus tribuamus. Sed nomina  
facturi diligenter patrimonium et vitam debitoris inquiri-  
mus. semina in solum effetum et sterile non spargimus:  
beneficia sine ullo defectu magis proicimus quam damus.  
Nec facile dixerim, utrum turpius sit infitari an repetere 3  
beneficium. id enim genus huius crediti est, ex quo tan-  
tum recipiendum sit quantum ultro refertur: decoquere  
vero foedissimum ob hoc ipsum, quia non opus est ad  
liberandam fidem facultatibus, sed animo. reddit enim  
beneficium qui libenter debet. Sed cum sit in ipsis cri- 4  
men, qui ne confessione quidem grati sunt, in nobis quo-  
que est. Multos experimur ingratos, plures facimus, quia  
alias graves exprobratores exactoresque sumus, alias  
leves et quos paulo post muneris sui poeniteat, alias  
queruli et minima momenta calumniantes gratiam omnem  
corrumpimus, non tantum postquam dedimus beneficia,  
sed dum damus. Quis nostrum contentus fuit aut leviter 5  
rogari aut semel? quis non, cum aliquid a se peti su-  
spicatus est, frontem adduxit, voltum avertit, occupa-

tiones simulavit, longis sermonibus et de industria non  
 invenientibus exitum occasionem petendi abstulit et variis  
 6 artibus necessitates properantis elusit? In angusto vero  
 compressus aut distulit, id est timide negavit, aut pro-  
 misit, sed difficulter, sed subductis superciliis, sed ma-  
 7 lignis et vix exeuntibus verbis? Nemo autem libenter de-  
 bet quod non accepit, sed expressit. gratus adversus  
 eum esse quisquam potest, qui beneficium aut superbe  
 abiecit aut iratus iniegit aut fatigatus, ut molestia care-  
 ret, dedit? Errat, si quis sperat responsurum sibi, quem  
 8 dilatione lassavit, expectatione torsit. Eodem animo  
 beneficium debetur, quo datur, et ideo non est neglegenter  
 dandum, sibi enim quisque debet quod a nesciente ac-  
 cepit. ne tarde quidem, quia, cum in omni officio magni  
 aestimetur dantis voluntas, qui tarde facit, diu noluit.  
 utique non contumeliose: nam cum ita a natura compa-  
 ratum sit, ut altius iniuriae quam merita descendant et  
 illa cito defluant, has tenax memoria custodiat, quid ex-  
 spectat, qui offendit, dum obligat? satis adversus illum  
 9 gratus est, si quis beneficio eius ignoscit. Non est au-  
 tem quod tardiores faciat ad bene merendum  
 turba ingratorum. Nam primum, ut dixi, nos illam  
 augemus: deinde ne deos quidem immortales ab hac tam  
 effusa *benignitate* sacrilegi neglegentesque eorum deter-  
 rent. utuntur natura sua et cuncta interque illa ipsos  
 munerum suorum malos interpretes iuvant. Hos sequa-  
 mur duces, quantum humana inbecillitas patitur: demus  
 beneficia, non feneremus. Dignus est decipi qui de re-  
 10 cipiendo cogitavit, cum daret. At male cesserit: et li-  
 beri et coniuges spem fefellerunt, tamen et educamus et  
 ducimus. adeoque adversus experimenta pertinaces su-  
 mus, ut bella victi et naufragi maria repetamus: quanto  
 magis permanere in dandis beneficiis decet? quae si quis  
 non dat, quia non recepit, dedit ut reciperet bonamque  
 ingratorum facit causam, quibus [ita demum] turpe est  
 11 non reddere, si licet. Quam multi indigni luce sunt? et  
 tamen dies oritur. Quam multi quod nati sunt querantur?  
 tamen natura sobolem novam gignit ipsosque, qui non



fuisse mallent, esse patitur. Hoc et magni animi et boni 12  
 proprium est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa,  
 et post malos quoque bonum quaerere. Quid magnifici  
 erat multis prodesse, si nemo deceperit? nunc est virtus  
 dare beneficia non utique reditura, quorum a viro egregio  
 statim fructus perceptus est. Adeo quidem ista res fu- 13  
 gare nos et pigriores ad rem pulcherrimam facere non  
 debet, ut si spes mihi praecidatur gratum hominem re-  
 periendi, malim non recipere beneficia quam non dare,  
 quia qui non dat, vitium ingrati antecedit. Dicam quod  
 sentio: qui beneficium non reddit, magis peccat. qui  
 non dat, citius.

II. *Beneficia in volgus cum largiri institueris, 1*  
*Perdenda sunt multa, ut semel ponas bene.*

In priore versu utrumque reprehendas: nam nec in vol-  
 gus effundenda sunt et nullius rei, minime beneficiorum  
 honesta largitio est. quibus si detraxeris iudicium, de-  
 sinunt esse beneficia, in aliud quodlibet incident nomen.  
 Sequens sensus mirificus est, qui uno bene posito bene- 2  
 ficio multorum amissorum damna solatur. Vide, oro te,  
 ne hoc et verius sit et magnitudini bene facientis aptius,  
 ut illum hortemur ad danda, etiamsi nullum bene posi-  
 turus est: illud enim falsum est *perdenda sunt multa*:  
 nullum perit, quia qui perdit computaverat. Beneficio- 3  
 rum simplex ratio est: tantum erogatur. si redit aliquid,  
 lucrum est. si non redit, damnum non est. Ego illud  
 dedi, ut darem. nemo beneficia in calendario scribit,  
 nec avarus exactor ad horam et diem adpellat. Num-  
 quam illa vir bonus cogitat nisi admonitus a reddente:  
 alioquin in formam crediti transeunt. turpis feneratio est  
 beneficium expensum ferre. Qualiscumque priorum even- 4  
 tus est, persevera in alios conferre: melius apud ingra-  
 tos iacebunt, quos aut pudor aut occasio aut imitatio  
 aliquando gratos poterit efficere. Ne cessaveris, opus  
 tuum perage et partes boni viri exsequere. alium re,  
 alium fide, alium gratia, alium consilio, alium prae-  
 ceptis salubribus adiuva: officia etiam ferae sentiunt, 5  
 nec ullum tam inmansuetum animal est, quod non cura

mitiget et in amorem sui vertat: leonum ora a magistris impune tractantur. elephantorum feritatem usque in servile officium demeretur cibus: adeo etiam quae extra intellectum atque aestimationem beneficii posita sunt, adsiduitas tamen meriti pertinacis evincit. Ingratus est adversus unum beneficium: adversus alterum non erit. duorum oblitus est: tertium etiam in eorum quae exciderunt memoriam reducet.

- 1 III. Is perdit beneficia qui cito se perdidisse credit. at qui instat et onerat priora sequentibus, etiam ex duro et inmemori pectore gratiam extundit. Non audebit adversus multa oculos adtollere. quocumque se convertit memoriam suam fugiens, ibi te videat. beneficiis tuis  
 2 illum cinge. Quorum quae vis quaeve proprietas sit dicam, si prius illa, quae ad rem non pertinent, transsilire mihi permiseris: quare tres Gratiae et quare sorores sint et quare manibus inplexis et quare ridentes [*iuvenes*] et virgines  
 3 solutaque ac perlucida veste. Alii quidem videri volunt unam esse quae det beneficium, alteram quae accipiat, tertiam quae reddat. alii beneficiorum tria genera, promerentium, reddentium, simul et accipientium  
 4 reddentiumque. Sed utrumlibet ex istis iudica verum, quid ista nos iuvat scientia? Quid ille consertis manibus in se redeuntium chorus? ob hoc, quia ordo beneficii per manus transeuntis nihilominus ad dantem revertitur et totius speciem perdit, si usquam interruptus est, pul-  
 5 cherrimus, si cohaeret et vices servat. [*Ideo*] *ridet*. est aliqua tamen maior his dignatio, sicut promerentium voltus hilari sunt [quales solent esse qui dant vel accipiunt beneficia]. *iuvenes*: quia non debet beneficiorum memoria senescere. *virgines*: quia incorrupta sunt et sincera et omnibus sancta. in quibus nihil esse adligati decet nec adstricti: solutis itaque tunicis utuntur. perlu-  
 6 cidis autem, quia beneficia conspici volunt. Sit aliquis usque eo Graecis emancipatus, ut haec dicat necessaria: nemo tamen erit, qui etiam illud ad rem iudicet pertinere, quae nomina illis Hesiodus inposuerit. Aeglen maximam

natu adpellavit, mediam Euphrosynen, tertiam Thalian.  
 Horum nominum interpretationem, prout cuique visum  
 est, deflectit et ad rationem aliquam conatur perducere,  
 cum Hesiodus puellis suis quod voluit nomen inposuerit.  
 Itaque Homerus uni mutavit, Pasitheat adpellavit et in 7  
 matrimonium produxit, ut scias illas Vestales non esse  
 [virgines]. Inveniam aliam poetam, apud quem praecin-  
 gantur et spissis aut Phryxianis prodeant. Ergo et Mer-  
 curius una stat, non quia beneficia ratio commendat vel  
 oratio, sed quia pictori ita visum est. Chrysippus quo- 8  
 que, penes quem subtile illud acumen est et in imam pe-  
 netrans veritatem, qui rei agenda causa loquitur et ver-  
 bis non ultra quam ad intellectum satis est utitur, totum  
 librum suum his ineptiis replet, ita ut de ratione dandi,  
 accipiendi reddendique beneficii pauca admodum dicat,  
 nec his fabulas, sed haec fabulis inserit. Nam praeter 9  
 ista, quae Hecaton transscribit, tres Chrysippus Gratias  
 ait Iovis et Eurynomes filias esse, aetate autem minores  
 quam Horas, sed meliuscula facie et ideo Veneri datas  
 comites. matris quoque nomen ad rem iudicat pertinere:  
 Eurynomen enim dictam, quia late patentis patrimonii  
 sit beneficia dividere: tamquam matri post filias soleat  
 nomen inponi aut poetae vera nomina reddant. Quemad- 10  
 modum nomenclatori memoriae loco audacia est et cui-  
 cunque nomen non potest reddere, inponit, ita poetae  
 non putant ad rem pertinere verum dicere, sed aut ne-  
 cessitate coacti aut decore corrupti id quemque vocari  
 iubent, quod belle facit ad versum. nec illis fraudi est,  
 [qua]si aliquid in censum detulerint: proximus enim  
 poeta suum illas ferre nomen iubet. hoc ut scias ita esse,  
 ecce Thalia, de qua cum maxime agitur, apud Hesiodum  
 Charis est, apud Homerum Musa.

IV. Sed ne faciam quod reprehendo, omnia ista, 1  
 quae ita extra rem sunt, ut nec circa rem quidem sint,  
 relinquam. tu modo nos tuere, si quis mihi obiciet, quod  
 Chrysippum in ordinem coegerim, magnum mehercule  
 virum, sed tamen Graecum, cuius acumen nimis tenue  
 retunditur et in se saepe replicatur. etiam cum agere

2 aliquid videtur, pungit, non perforat. Hic vero quod  
 acumen est? de beneficiis dicendum est et or-  
 dinanda res, quae maxime humanam societa-  
 tem adligat. danda lex vitae, ne sub specie benigni-  
 tatis inconsulta facilitas placeat nec liberalitatem, quam  
 nec deesse oportet nec superfluere, haec ipsa observa-  
 3 tio restringat, dum temperat. docendi sunt libenter ac-  
 cipere, libenter reddere et magnum ipsis certamen pro-  
 ponere, eos quibus obligati sunt re animoque non tan-  
 tum aequare, sed vincere: quia qui referre gratiam de-  
 bet, numquam consequitur, nisi praecessit. hi docendi  
 4 sunt nihil inputare, illi plus debere. Ad hanc honestis-  
 simam contentionem beneficiis beneficia vincendi sic nos  
 adhortatur Chrysippus, ut dicat verendum esse ne, quia  
 Charites Iovis filiae sunt, parum se grate gerere sacrile-  
 5 gium sit et tam bellis puellis fiat iniuria. Tu me aliquid  
 eorum doce, per quae beneficentior graviorque adversus  
 bene merentes fiam, per quae obligantium obligatorum-  
 que animi certent, ut qui praestiterunt obliviscantur, per-  
 tinax sit memoria debentium. istae vero ineptiae poetis  
 relinquuntur, quibus aures oblectare propositum est et  
 6 dulcem fabulam nectere. at qui ingenia sanare et fidem  
 in rebus humanis retinere, memoriam officiorum ingerere  
 animis volunt, serio loquantur et magnis viribus agant:  
 nisi forte existimas levi ac fabuloso sermone et anilibus  
 argumentis prohiberi posse rem perniciosissimam, be-  
 neficiorum novas tabulas.

1 V. Sed quemadmodum supervacua transcurram, ita  
 exponam necesse est hoc primum nobis esse  
 discendum, quid accepto beneficio debeamus:  
 dicit enim debere se alius pecuniam quam accepit, alius  
 consulatum, alius sacerdotium, alius provinciam. ista au-  
 2 tem sunt meritorum signa, non merita. Non potest benefi-  
 cium manu tangi sed animo geritur. multum interest  
 inter materiam beneficii et beneficium. itaque  
 nec aurum nec argentum nec quicquam eorum, quae pro  
 maximis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tri-  
 buentis voluntas. inperiti autem id quod oculis oc-

currit et quod traditur possideturque solum notant, cum contra illud, quod in re carum atque pretiosum est, *parvi pendunt*. Haec quae tenemus, quae adspicimus, in quibus cupiditas nostra haeret, caduca sunt. auferre nobis ea et fortuna et iniuria potest: beneficium vero etiam amisso eo, per quod datum est, durat. est enim recte factum, quod inritum nulla vis efficit. Amicum a piratis redemi. hunc alius hostis excepit et in carcerem condidit: non beneficium, sed usum beneficii mei sustulit. Ex naufragio alicui raptos vel ex incendio liberos reddidi. hos vel morbus vel aliqua fortuita iniuria eripuit: manet etiam sine illis quod in illis datum est. Omnia itaque quae falsum beneficii nomen usurpant, ministeria sunt, per quae se voluntas amica explicat. Hoc in aliis quoque rebus evenit, ut aliubi sit species rei, aliubi ipsa res. Imperator aliquem torquibus, murali et civica donat: quid habet per se corona pretiosum? quid praetexta? quid fasces? quid tribunal et currus? nihil horum honor est, sed honoris insigne: sic non est beneficium id quod sub oculos venit, sed beneficii vestigium et nota.

VI. Quid est ergo beneficium? benevola actio tribuens gaudium capiensque tribuendo, in id quod facit prona et sponte sua parata. Itaque non quid fiat aut quid detur refert, sed qua mente, quia beneficium non in eo quod fit aut datur consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo. Magnum autem esse inter ista discrimen vel ex hoc intelligas licet, quod beneficium utique bonum est, id autem quod fit aut datur, nec bonum nec malum est. Animus est qui parva extollit, sordida inlustrat, magna et in pretio habita dehonestat: ipsa quae adpetuntur, neutram naturam habent, nec boni nec mali. refert, quo illa rector impellat, a quo forma rebus datur. Non est beneficium ipsum, quod numeratur aut traditur: sicut ne in victimis quidem, licet opimae sint auroque praefulgeant, deorum est honor, sed pia ac recta voluntate venerantium. itaque boni etiam farre ac fitilla religiosi sunt, mali rursus non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo cruentaverint.

1 VII. Si beneficia in rebus, non in ipsa benefaciendi  
 voluntate consistenterent, eo maiora essent, quo maiora  
 sunt, quae accipimus. id autem falsum est: nonnumquam  
 enim magis nos obligat qui dedit parva magnifice, qui  
 „*regum aequavit opes animo*“, qui exiguum tribuit sed li-  
 benter, qui paupertatis suae oblitus est dum meam re-  
 spicit, qui non voluntatem tantum iuvandi habuit, sed  
 cupiditatem, qui accipere se putavit beneficium cum da-  
 ret, qui dedit tamquam recepturus, recepit tamquam non  
 dedisset, qui occasionem qua prodesset et occupavit et  
 2 quaesivit. Contra ingrata sunt, ut dixi, licet re ac specie  
 magna videantur, quae danti aut extorquentur aut exci-  
 dunt, multoque gratius venit, quod facili quam quod ple-  
 3 na manu datur. Exiguum est quod in me contulit: sed  
 amplius non potuit. At hic quod dedit magnum est: sed  
 dubitavit, sed distulit, sed cum daret, gemit, sed su-  
 perbe dedit, sed circumtulit et placere non ei cui prae-  
 stabat voluit. ambitioni dedit, non mihi.

1 VIII. Socrati cum multa [multi] pro suis quisque fa-  
 cultatibus offerrent, Aeschines, pauper auditor: *nihil,*  
*inquit, dignum te, quod dare tibi possim, invenio et hoc*  
*uno modo pauperem me esse sentio? itaque dono tibi quod*  
*unum habeo, me ipsum. hoc munus rogo qualecunque est*  
*boni consulas cogitesque alios, cum multum tibi darent,*  
 2 *plus sibi reliquisse.* Cui Socrates: *quidni tu, inquit, [mihi]*  
*magnum munus dederis, nisi forte te parvo aestimas? ha-*  
*bebo itaque curae, ut te meliorem tibi reddam quam ac-*  
*cepi.* Vicit Aeschines hoc munere Alcibiadis parem di-  
 vitiis animum et omnem iuvenum opulentorum munifi-  
 centiam.

1 IX. Vides quomodo animus inveniat liberalitatis ma-  
 teriam etiam inter angustias? Videtur mihi dixisse: „ni-  
 hil egisti fortuna, quod me pauperem esse voluisti: ex-  
 pediam nihilominus dignum huic viro munus et, quia de  
 tuo non possum, de meo dabo.“ Neque est quod existi-  
 mes illum vilem sibi fuisse: pretium se sui fecit. inge-  
 niosus adulescens invenit, quemadmodum Socratem sibi  
 2 daret.\* Non quanta quaeque sint, sed a quali [den-

tur], prospiciendum.\* Callidus non difficilem aditum  
 praebuit inmodica cupientibus spesque improbas nihil re  
 adiuturus verbis fovet. At peior, opinor, si lingua asper,  
 voltu gravis cum invidia fortunam suam explicuit. colunt  
 enim detestanturque felicem et, si potuerint, eadem fa- 3  
 cturi, odere facientem.\*\*\* Coniugibus alienis ne clam qui-  
 dem, sed aperte ludibrio aditis suas aliis permisere. Ru-  
 sticus, inhumanus ac mali moris et inter matronas abo-  
 minanda condicio est, si quis coniugem suam in sella  
 prostare vetuit et volgo admissis inspectoribus vehi per-  
 spicuum undique. Si quis nulla se amica fecit insignem 4  
 nec alienae uxori annum praestat, hunc matronae humi-  
 lem et sordidae libidinis et ancillariolum vocant. [Inde]  
 decentissimum sponsaliorum genus est adulterium. et in  
 consensu vidui caelibatus nemo uxorem duxit, nisi qui  
 abduxit. Iam rapta spargere, sparsa *acri* avaritia recol-  
 ligere certant. nihil pensi habere, paupertatem alienam con-  
 temnere, suam [*plus*] quam ullum aliud vereri malum. pa-  
 cem iniuriis perturbare. inbecilliores vi ac metu premere:  
 nam provincias spoliari et nummarium tribunal audita  
 utrimque licitatione alteri addici non mirum, quoniam  
 quae emeris vendere gentium ius est.

X. Sed longius nos inpetus evehit provocante materia. 1  
 itaque sic finiamus, ne in nostro seculo culpa subsidat.  
 Hoc maiores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc  
 posterum nostri querentur, eversos mores, regnare nequi-  
 tiam, in deterius res humanas et omne nefas labi: at ista  
 eodem stant loco stabuntque, paulum dumtaxat ultra aut  
 citra mota, ut fluctus quos aestus accedens longius ex-  
 tulit, recedens interiore litorum vestigio tenuit. Nunc 2  
 in adulteria magis quam in alia peccabitur abruptetque  
 frenos pudicitia. nunc convivorum vigeat furor et foe-  
 dissimum patrimoniorum exitium, culina. nunc cultus  
 corporum nimius et formae cura prae se ferens animi de-  
 formitatem. nunc in petulantiam et audaciam erumpet  
 male dispensata libertas. nunc in crudelitatem privatam  
 ac publicam ibitur bellorumque civilium insaniam, qua  
 omne sanctum ac sacrum profanetur. habebitur aliquando

3 ebrietati honor et plurimum meri cepisse virtus erit. Non  
 exspectant uno loco vitia, sed mobilia et inter se dis-  
 sidentia tumultuantur, pellunt invicem fuganturque: ce-  
 terum idem semper de nobis pronuntiare debebimus, ma-  
 los esse nos, malos fuisse, invitus adiciam et futuros  
 4 esse. Erunt homicidae, tyranni, fures, adulteri, raptor-  
 res, sacrilegi, proditores: infra omnia ista ingratus est,  
 nisi quod omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo vix  
 ullum magnum facinus aderevit. Hoc tu cave tamquam  
 maximum crimen, ne admittas: ignosce tamquam levis-  
 simo, si admissum est. haec est enim iniuriae summa:  
 beneficium perdidisti. salvum est tibi ex illo, quod est  
 5 optimum: dedisti. Quemadmodum autem curan-  
 dum est, ut in eos potissimum beneficia con-  
 feramus, qui grate responsuri erunt, ita quae-  
 dam, etiamsi male de illis sperabitur, facie-  
 mus tribuemusque, non solum si iudicabimus  
 ingratos fore, sed si sciemus fuisse: tamquam  
 si filios alicui restituere potero magno periculo liberatos  
 sine ullo meo, non dubitabo. dignum etiam inpendio san-  
 guinis mei tuebor et in partem discriminis veniam: in-  
 dignum si eripere latronibus potero clamore sublato, sa-  
 lutarem vocem homini non pigebit emittere.

1 XI. Sequitur ut dicamus, quae beneficia danda  
 sint et quemadmodum. Primum demus neces-  
 saria, deinde utilia, deinde iucunda, utique  
 mansura. Incipiendum est autem a necessa-  
 riis. aliter enim ad animum pervenit quod vitam con-  
 tinet, aliter quod exornat aut instruit. Potest in eo aliquis  
 fastidiosus esse aestimator, quo facile cariturus est, de  
 quo dicere licet: „recipe, non desidero. meo contentus  
 sum.“ interim non reddere tantum libet quod acceperis,  
 2 sed abicere. Ex his quae necessaria sunt, quaedam pri-  
 mum obtinent locum, sine quibus non possumus vivere,  
 quaedam secundum, sine quibus non debemus, quaedam  
 tertium, sine quibus nolumus. Prima huius notae sunt  
 hostium manibus eripi et tyrannicae irae et proscriptio*n*i  
 et aliis periculis, quae varia et incerta humanam vitam



obsident: quicquid horum discussimus quo maius ac 3  
 terribilius erit, hoc maiorem inibimus gratiam. subit enim  
 cogitatio, quantis sint liberati malis, et lenocinium est mu-  
 neris antecedens metus. nec tamen ideo debemus tardius  
 quemquam servare quam possumus, ut muneri nostro  
 timor inponat pondus. Proxima ab his sunt, sine quibus 4  
 possumus quidem vivere, sed ut mors potior sit: tam-  
 quam libertas et pudicitia et mens bona. post haec habe-  
 bimus coniunctione ac sanguine usuque et consuetudine  
 longa cara, ut liberos, coniuges, penates ceteraque, quae  
 usque eo animus sibi adplicuit, ut ab illis quam a vita  
 divelli gravius existimet. Subsequuntur utilia, quo- 5  
 rum varia et lata materia est. Hic erit pecunia non su-  
 perfluens, sed ad sanum modum habendi parata. hic  
 erit honor et processus ad altiora tendentium: nec enim  
 utilius quicquam est quam sibi utilem fieri. Iam cetera  
 ex abundanti veniunt delicatos factura. in his se-  
 quemur, ut opportunitate grata sint, ut non volgaria,  
 quaeque aut pauci habuerint aut pauci intra hanc aetatem  
 aut hoc modo, quae etiamsi natura pretiosa non sunt,  
 tempore aut loco fiant. Videamus quid oblatum maxime 6  
 voluptati futurum sit, quid frequenter occurrurum ha-  
 bent, ut totiens nobiscum, quotiens cum illo sit. utique  
 cavebimus ne munera supervacua mittamus, ut feminae  
 aut seni arma venatoria aut rustico libros aut studiis ac  
 literis dedito retia. aequae ex contrario circumspiciemus  
 ne, dum grata mittere volumus, suum cuique morbum  
 exprobratura mittamus, sicut ebrioso vina et valitudina-  
 rio medicamenta. maledictum enim incipit esse, non  
 munus, in quo vitium accipientis agnoscitur.

XII. Si arbitrium dandi penes nos est, praecipue 1  
 mansura quaeremus, ut quam minime mortale munus sit.  
 pauci enim sunt tam grati, ut quid acceperint, etiamsi  
 non vident, cogitent. ingratos quoque memoria cum ipso  
 munere incurrit, ubi ante oculos est et oblivisci sui non  
 sinit, sed auctorem suum ingerit et inculcat. Eo quidem  
 magis duratura quaeramus, quia numquam admonere  
 debemus: ipsa res evanescentem memoriam excitet. Li- 2

bentius donabo argentum factum quam signatum, libentius statuas quam vestem et quod usus brevis deterat. Apud paucos post rem manet gratia, plures sunt, apud quos non diutius in animo sunt donata quam in usu: ergo, si fieri potest, consumi munus meum nolo. exstet,  
 3 haereat amico meo, convivat. Nemo tam stultus est, ut monendus sit, ne cui gladiatores aut venationem iam munere edito mittat et vestimenta aestiva bruma, hiberna solstitio: sit in beneficio sensus communis. tempus, locum observet, [personas,] quia momentis quaedam grata et ingrata sunt. quanto acceptius est, si id damus quod  
 4 quaerit nec invenit quam quod ubique visurus est? Munera non tam pretiosa quam rara et exquisita sint, quae etiam apud divitem sui locum faciant, sicut gregalia quoque poma et post paucos dies itura in fastidium delectant, si provenere maturius. illa quoque non erunt sine honore, quae aut nemo illis alius dedit aut nos nulli alii.

1 XIII. Alexandro Macedoni, cum victor orientis animos supra humana tolleret, Corinthii per legatos gratulati sunt et civitate illum sua donaverunt. cum risisset Alexander hoc officii genus, unus ex legatis, *nulli*, inquit, *civitatem umquam dedimus alii quam tibi et Herculi*. libens accepit delatum honorem et legatos invitatione aliaque humanitate prosecutus cogitavit non qui sibi civitatem da-  
 2 rent, sed cui dedissent. Et homo gloriae deditus, cuius nec naturam nec modum noverat, Herculis Liberique vestigia sequens ac ne ibi quidem resistens, ubi illa defecerant, ad socium honoris sui respexit a dantibus, tamquam coelum, quod mente vanissima complectebatur, te-  
 3 neret, quia Herculi aequabatur. Quid enim ille simile habebat vesanus adulescens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi vicit: orbem terrarum transivit non concupiscendo, sed vindicando. quid vinceret malorum hostis, honorum vindex, terrarum marisque pacator? At hic a pueritia latro gentiumque vastator, tam hostium pernicies quam amicorum, qui summum bonum duceret terrori esse cunctis mortalibus, oblitus non fero-

cissima tantum, sed ignavissima quoque animalia timeri ob virus malum.

XIV. Ad propositum nunc revertamur. Beneficium 1  
 qui quibus libet, dat nulli gratum: nemo se stabularii aut  
 cauponis hospitem iudicat nec convivam dantis epulum,  
 ubi dici potest: „quid enim in me contulit? nempe hoc  
 quod et in illum vix bene notum sibi et in illum etiam  
 inimicum ac turpissimum hominem. numquid enim me  
 dignum iudicavit? morbo suo morem gessit.“ Quod voles  
 gratum esse, rarum effice, *quod* quis patitur sibi inpu-  
 tari. Nemo haec ita interpretetur, tamquam reducam 2  
 liberalitatem et frenis artioribus reprimam: illa vero in  
 quantum libet exeat, sed eat, non erret. Licet ita lar-  
 giri, ut unusquisque, etiamsi cum multis accepit, in po-  
 pulo se esse non putet. nemo non habeat aliquam fami-  
 liarem notam, per quam speret se propius admissum. Di- 3  
 cat: „accepi idem quod ille, sed ultro. accepi quod ille,  
 sed ego intra breve tempus, cum ille diu meruisset. sunt  
 qui idem habeant, sed non eisdem verbis datum, non  
 eadem comitate tribuentis. ille accepit, cum rogasset,  
 ego non rogaram. ille accepit, sed facile redditurus, sed  
 cuius senectus et libera orbitas magna promittebat. mihi  
 plus dedit, quamvis idem dederit, quia sine spe recipi-  
 endi dedit.“ Quemadmodum meretrix ita inter multos se 4  
 dividet, ut nemo non aliquod signum familiaris animi  
 ferat, ita qui beneficia sua amabilia vult esse, excogitet  
 quomodo multi obligentur et tamen singuli habeant ali-  
 quid, quo se ceteris praeferant.

XV. Ego vero beneficiis non obicio moras: quo plura 1  
 maioraque fuerint, plus afferent laudis. Adsit iudicium:  
 neque enim cordi esse cuiquam possunt forte ac temere  
 data. Quare si quis existimat nos, cum ista praecipimus, 2  
 benignitatis fines introrsus referre et illi minus laxum limi-  
 tem aperire, ne perperam monitiones nostras exaudiat.  
 quam enim virtutem magis veneramur? cui magis stimu-  
 los addimus? quibusve tam convenit haec adhortatio  
 quam nobis societatem humani generis sancientibus?  
 Quid ergo est? cum sit nulla honesta vis animi, etiamsi 3

a recta voluntate inceptit, nisi quam virtutem modus fecit, veto liberalitatem nepotari. Tunc iuvat accepisse beneficium et supinis quidem manibus, ubi illud ratio ad dignos perducit, non quo libet casus et consilii indigens inpetus differt. quod ostentare libet et inscribere sibi.

4 Beneficia tu vocas quorum auctorem fateri pudet? at illa quanto gratiora sunt quantoque in partem interiorem animi nunquam exitura descendunt, cum delectant cogitan-

5 tem magis a quo quam quid acceperis? Crispus Passienus solebat dicere quorundam se iudicium malle quam beneficium, quorundam beneficium malle quam iudicium. et subiciebat exempla: *malo*, aiebat, *divi Augusti iudi-*

6 *cium*, *malo Claudii beneficium*. Ego vero nullius puto expetendum esse beneficium, cuius vile iudicium est. quid ergo? non erat accipiendum a Claudio quod dabatur? erat, sed sicut a fortuna, quam scires statim posse malam fieri. Quid ista inter se mixta dividimus? non est beneficium, cui deest pars optima, datum esse iudicio: alioquin pecunia ingens, si non ratione nec recta voluntate donata est, non magis beneficium est quam thesaurus. multa sunt autem, quae oportet accipere nec debere.

---

## L. ANNAEI SENECAE

AD AEBUTIUM LIBERALEM

# DE BENEFICIIS

LIBER II.

---

1 I. Inspiciamus, Liberalis virorum optime, id quod ex priori parte adhuc superest, quemadmodum dandum sit beneficium, cuius rei expeditissimam videor monstraturus viam: sic demus, quomodo vellemus accipere. ante omnia libenter,

cito, sine ulla dubitatione. Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis haesit, quod quis aegre dimittere visus est et sic dare tamquam [sibi] eriperetur. Etiam si quid morae intervenit, evitemus omnimodo ne deliberasse videamur. proximus est a negante qui dubitavit, nullamque iniet gratiam. nam cum in beneficio iucundissima sit tribuentis voluntas, qui nolentem se tribuisse ipsa cunctatione testatus est, non dedit, sed adversus ducentem male retinuit: multi autem sunt quos liberalis facit frontis infirmitas. Gratissima sunt beneficia parata, facilia, occurrentia, ubi nulla mora fuit nisi in accipientis verecundia. Optimum est antecedere desiderium cuiusque, proximum sequi. illud melius, occupare antequam rogemur, quia, cum homini probo ad rogandum os concurrat et subfundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis qui, cum rogasset, accepit, quoniam quidem, ut maioribus nostris, gravissimis viris, visum est, nulla res carius constat quam quae precibus empta est. Vota homines parcius facerent, si palam facienda essent: adeo etiam deos, quibus honestissime supplicamus, tacite malumus et intra nosmetipsos precari.

II. Molestum verbum est, onerosum, demisso voltu dicendum, rogo. huius facienda est gratia amico et cui-cumque, quem amicum sis promerendo facturum. properet licet, sero beneficium dedit qui roganti dedit. Ideo divinanda cuiusque voluntas et, cum intellecta est, necessitate gravissima rogandi liberanda est: illud beneficium iucundum victurumque in animo scias, quod obviam venit. Si non contingit praevenire, plura rogantis verba intercidamus, ne rogati videamur, sed certiores facti statim promittamus, facturosque nos etiam antequam interpellemur, ipsa festinatione adprobemus. Quemadmodum in aegris opportunitas cibi salutaris est et aqua tempestive data remedii locum obtinuit, ita, quamvis leve et vulgare beneficium sit, si praesto fuit, si proximam quamque horam non perdidit, multum sibi adiecit gratiamque pretiosi sed lenti et diu cogitati muneris vin-

cit: qui tam parate fecit, non est dubium quin libenter faciat. itaque laetus facit et induit sibi animi sui voltum.

- 1 III. Ingentia quorundam beneficia silentium aut loquendi tarditas imitata gravitatem et tristitiam corrumpit, cum promitterent voltu negantium. quanto melius adicere bona verba rebus bonis et praedicatione humana benignaque commendare quae praestes! Ut ille se castiget, quod tardior in rogando fuit, adicias licet familiarem querelam: „irascor tibi, quod cum aliquid desiderasses, non olim scire me voluisti, quod tam diligenter rogasti, quod quemquam adhibuisti. ego vero gratulor mihi, quod experiri animum meum libuit: postea quicquid desiderabis, tuo iure exiges. semel rusticitati tuae ignoscitur.“
- 2 3 Sic efficies, ut animum tuum pluris aestimet quam illud, quicquid est, ad quod petendum venerat. Tunc est summa virtus tribuentis, tunc benignitas, ubi ille, qui discessit, dicet sibi: „magnum hodie lucrum feci. malo quod illum talem inveni, quam si multiplicatum hoc ad me [de quo loquebar] alia via pervenisset. huic eius animo numquam parem referam gratiam.“
- 1 IV. At plerique sunt, qui beneficia asperitate verborum et supercilio in odium adducunt eo sermone usi, ea superbia, ut inpetrasse poeniteat. aliae deinde post rem promissam sequuntur morae: nihil autem est acerbius,
- 2 quam ubi quoque quod inpetrasti, rogandum est. Repraesentanda sunt beneficia, quae a quibusdam accipere difficilius est quam inpetrare: hic rogandus est, ut admoneat, ille ut consummet: sic unum munus per multorum teritur manus, ex quo gratiae minimum apud promittentem remanet, quia auctori detrahit quisquis post
- 3 illum rogandus est. Hoc itaque curae habebis, si grate aestimari quae praestabis voles, ut beneficia tua inlibata, ut integra ad eos, quibus promissa sunt, perveniant, sine ulla quod aiunt deductione. nemo illa intercipiat, nemo detineat: nemo in eo, quod daturus es, gratiam suam facere potest, ut non tuam minuat.
- 1 V. Nihil aequae amarum quam diu pendere. aequiore quidam animo ferunt praecidi spem suam quam trahi.

plerisque autem hoc vitium est ambitione prava differendi promissa, ne minor sit rogantium turba, quales regiae potentiae ministri sunt, quos delectat potentiae suae longum spectaculum minusque se iudicant posse, nisi diu multumque singulis quid possint ostenderint. nihil confestim, nihil semel faciunt. iniuriae illorum praecipites, lenta beneficia sunt. Quare verissimum existima, quod <sup>2</sup> ille comicus dixit:

*Quid? tu non intellegis*

*tantum gratiae te demere, quantum morae adicis?*

Inde illae voces, quas ingenuus dolor exprimit: „*Fac, si quid facis*“ et „*nihil est tanti: malo mihi iam neges.*“ Ubi in taedium adductus animus incipit beneficium odisse, dum exspectat, potest ob id gratus esse? Quemadmodum <sup>3</sup> acerbissima crudelitas est, quae trahit poenam, et misericordiae genus est cito occidere, quia tormentum ultimum finem sui secum adfert, quod antecedit tempus maxima venturi supplicii pars est: ita maior est muneris gratia quo minus diu pependit. est enim etiam bonarum rerum sollicitis exspectatio, et cum plurima beneficia remedium alicuius rei adferant, qui aut diutius torqueri patitur quem protinus potest liberare, aut tardius gaudere, beneficio suo manus adfert. Omnis benignitas properat et <sup>4</sup> proprium est libenter facientis cito facere. qui tarde et diem de die extrahens profuit, non ex animo fecit: ita duas res maximas perdidit, et tempus et argumentum amicae voluntatis. tarde velle nolentis est.

VI. In omni negotio, Liberalis, non minima portio <sup>1</sup> est, quomodo quidque aut dicatur aut fiat. multum celeritas fecit, multum abstulit mora. sicut in telis eadem ferri vis est, sed infinitum interest, utrum excusso la-certo torqueantur an remissa manu effluant. gladius idem stringit et transforat. quam presso articulo venerit, refert: [*ita*] idem est quod datur, sed interest quomodo detur. Quam dulce, quam pretiosum est, si gratias sibi agi non <sup>2</sup> est passus qui dedit, si dedisse, dum dat, oblitus est! nam corripere eum cui cum, maxime aliquid praestes, dementia est et inserere contumeliam meritis. itaque non

sunt exasperanda beneficia nec quicquam illis triste miscendum. etiamsi quid erit, de quo velis admonere, aliud tempus eligo.

- 1 VII. Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro aspere datum *panem lapidosum* vocabat, *quem esurienti*  
 2 *accipere necessarium sit, esse acerbum.* Tiberius Caesar rogatus a Nepote Mario praetorio, ut aeri alieno eius succurreret, edere illum sibi nomina creditorum iussit: hoc non est donare, sed creditores convocare. cum edita essent, scripsit Nepoti iussisse se pecuniam solvi. adiecta contumeliosa admonitione effecit, ut Nepos nec aes alienum haberet nec beneficium: liberavit illum a creditoribus, sibi non obligavit. Aliquid Tiberius secutus est: puto, noluit plures esse, qui idem rogaturi concurrerent. ista fortasse efficax ratio fuerit ad hominum improbas cupiditates pudore reprimendas, beneficium vero dandi tota alia sequenda est via: omni genere quod des, quo sit acceptatius, adornandum est, hoc vero non est beneficium dare, deprehendere est.

- 1 VIII. Et ut in transitu de hac quoque parte dicam quid sentiam, ne principi quidem satis decorum est donare ignominiae causa. „Tamen, inquit, effugere Tiberius ne hoc quidem modo quod vitabat potuit. nam aliquot postea qui idem rogarent inventi sunt, quos omnes iussit reddere in senatu aeris alieni causas et ita  
 2 illis certas summas dedit.“ Non est illud liberalitas: censura est. auxilium est? principale tributum est. Beneficium non est, cuius sine rubore meminisse non possum. ad iudicem missus sum. ut inpetrarem, causam dixi.

- 1 IX. Praecipunt itaque omnes auctores sapientiae quaedam [beneficia] palam danda, quaedam secreto: palam quae consequi gloriosum [est], ut militaria dona, ut honores et quicquid [aliud] notitia pulchrius fit. rursus quae non producant nec honestiorem faciunt, sed succurrunt infirmitati, egestati, ignominiae, tacite danda sunt, ut nota sint solis quibus prosunt.

- 1 X. Interdum etiam ipse, qui iuvatur, fallendus est, ut habeat nec a quo acceperit sciat. Ar-



cesilas, ut aiunt, amico pauperi et paupertatem suam dissimulanti, aegro autem et ne hoc quidem confitenti, deesse sibi in sumptum ad necessarios usus, cum clam succurrendum iudicasset, pulvino eius ignorantis sacculum subiecit, ut homo inutiliter verecundus, quod desiderabat, inveniret potius quam acciperet. „Quid ergo? ille nesciet a quo acceperit?“ primum nesciat, si hoc ipsum beneficii pars est, deinde multa alia faciam, multa tribuam, per quae intellegat et illius auctorem. denique ille nesciet accepisse se: ego sciam me dedisse. „Parum est,“ inquis. Parum, si fenerare cogitas: sed si, [dare] quo genere accipienti maxime profuturum erit, dabis, contentus eris te teste. alioquin non benefacere delectat, sed videri benefecisse. „Volo, inquis, sciat.“ Debitorem quaeris. „Volo utique sciat.“ Quid, si illi utilius est nescire? si honestius, si gratius? non in aliam partem abibis? „Volo sciat.“ Ita tu hominem non servabis in tenebris? Non nego, quod patitur res, percipiendum gaudium ex accipientis voluntate. sin adiuvari illum et oportet et pudet, si quod praestamus offendit, nisi absconditur: beneficium in acta non mitto. Quidni? Ego illi non sum indicaturus me dedisse, cum inter prima praecepta ac maxime necessaria sit, ne unquam exprobrem, immo ne admoneam quidem. Haec enim beneficii inter duos lex est: alter statim oblivisci debet dati, alter accepti numquam.

XI. Lacerat animum et premit frequens meritum commemoratio. Libet exclamare quod ille triumphali proscriptione servatus a quodam Caesaris amico exclamavit, cum superbiam eius ferre non posset: „Redde me Caesari. quousque dices: ego te servavi, ego eripui morti? istud, si meo arbitrio memini, vita est, si tuo, mors est. nihil tibi debeo, si me servasti, ut haberes quem ostenderes. quousque me circumducis? quousque oblivisci fortunae meae non sinis? semel in triumpho ductus essem.“ Non est dicendum quid tribuerimus: qui admonet repetit. non est instandum, non est memoria renovanda, nisi ut aliud dando prioris admo-  
neas. Ne aliis quidem narrare debemus. qui dedit be-

- necium taceat, narret qui accepit. dicetur enim quod illi ubique iactanti beneficium suum: „non negabis, inquit, te recepisse.“ et cum respondisset, „quando?“ „Saepe quidem, inquit, et multis locis: id est, quotiens 3 et ubicumque narrasti.“ Quid opus est eloqui? quid alienum occupare officium? est qui istud facere honestius possit. quo narrante et hoc laudabitur, quod ipse non narras. Ingratum me iudicas, si istud te tacente nemo sciturus est? Quod adeo non est committendum, ut etiam si quis coram nobis narrabit, respondendum sit: „dignissimus quidem ille est maioribus beneficiis, sed ego magis velle me scio omnia illi praestare quam adhuc praestitisse.“ et haec ipsa non verniliter nec ea figura, qua quidam reiciunt, quae magis ad se volunt adtrahere.
- 4 Deinde adicienda omnis humanitas. Perdet agricola quod sparsit, si labores suos destituet in semine. multa cura sata perducuntur ad segetem. nihil in fructum pervenit, quod non a primo usque ad extremum aequalis cultura prosequitur: eadem beneficiorum condicio est.
- 5 Numquid ulla maiora possunt esse quam quae in liberos patres conferunt? haec tamen inrita sunt, si in infantia deserantur, nisi longa pietas munus suum nutriat. Eadem ceterorum beneficiorum condicio est: nisi illa adiueris, perdes. parum est dedisse, fovenda sunt. si gratos vis habere quos obligas, non tantum des oportet beneficia, sed ames. Praecipue, ut dixi, parcamus auribus. admonitio taedium facit, exprobratio odium. Nihil aequè in beneficio vitandum est quam superbia. quid opus adrogantia voltus? quid tumore verborum? ipsa res te extollit. detrahenda est inanis iactatio: res loquentur nobis tacentibus. Non tantum ingratum, sed invisum est beneficium superbe datum.
- 1 XII. C. Caesar dedit vitam Pompeio Penno, si dat qui non aufert: deinde absoluto et agenti gratias porrexit osculandum sinistrum pedem. Qui excusant et negant id insolentiae causa factum, aiunt socculum auratum, immo aureum margaritis distinctum ostendere eum voluisse. ita prorsus: quid hic contumeliosum est, si vir consula-

ris aurum et margaritas osculatus est et alioquin nullam partem in corpore eius electurus, quam purius oscularetur? Homo natus in hoc, ut mores liberae civitatis 2 Persica servitute mutaret, parum iudicavit, si senator senex submissis honoribus in conspectu principum supplex sibi eo more iacuisset, quo hostes victi hostibus iacuerunt: invenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet. non hoc est rempublicam calcare? et quidem, dicet aliquis, nam potest ad rem pertinere, sinistro pede? parum enim foede furioseque insolens fuerat, qui de capite consularis viri soccatus audiebat, nisi in os senatoris ingessisset imperator epigros suos.

XIII. O superbia magnae fortunae! o stultissimum 1 malum! ut a te nihil accipere iuvat! ut omne beneficium in iniuriam convertis! ut te omnia nimia delectant! ut te omnia dedecent! quoque altius te sublevasti, hoc depressior es ostendisque tibi non *datum* agnoscere ista bona, quibus tantum inflaris. quicquid das corrumpis. Libet itaque interrogare, quid se tantopere resupinet, 2 quid voltum habitumque oris pervertat, ut malit habere personam quam faciem? Iucunda sunt, quae humana fronte, certe leni placidaque tribuuntur, quae cum daret mihi superior, non exsultavit supra me, sed quam potuit benignissimus fuit descenditque in aequum et detraxit muneri suo pompam. [si] observavit idoneum tempus, ut in occasione potius quam in necessitate succurreret. Uno modo istis persuadebimus, ne beneficia sua inso- 3 lentia perdant, si ostenderimus non ideo videri maiora, quia tumultuosius data sunt. ne ipsos quidem ob id cuiquam posse maiores videri. vanam esse superbiae magnitudinem et quae in odium etiam amanda perducant.

XIV. Sunt quaedam nocitura inpetrantibus, 1 quae non dare, sed negare beneficium est: aestimabimus itaque utilitatem potius quam voluntatem petentium. saepe enim noxia concupiscimus nec dispicere quam pernicioosa sint licet, quia iudicium interpellat adfectus. sed cum subsedit cupiditas, cum inpetus ille flagrantis animi, qui consilium fu-

gat, cecidit, detestamur perniciosos malorum munerum  
 2 auctores. Ut frigidam aegris negamus et lugentibus ac  
 sibi iratis ferrum aut amantibus quicquid contra se usu-  
 rus ardor petit, sic omnia quae nocitura sunt, impense  
 ac submisse, nonnumquam etiam miserabiliter rogantibus  
 perseverabimus non dare. Cum initia beneficiorum suo-  
 3 rum spectare tum etiam exitus decet et ea dare, quae  
 non tantum accipere, sed etiam accepisse delectet. Multi  
 sunt qui dicant: „scio hoc illi non profuturum, sed quid  
 faciam? rogat, resistere precibus eius non possum. vi-  
 derit. de se, non de me queretur.“ Falsum est: immo  
 de te et merito quidem, cum ad mentem bonam redierit,  
 cum accessio illa, quae animum inflammabat, remiserit:  
 4 quidni eum oderit, a quo in damnum ac periculum suum  
 adiutus est? Exorari in perniciem rogantium saeva boni-  
 tas est. quemadmodum pulcherrimum opus est etiam  
 invitos nolentesque servare, ita rogantibus pestifera lar-  
 giri blandum et affabile odium est. Beneficium demus,  
 quod in usu magis ac magis placeat, quod numquam in  
 malum vertat. Pecuniam non dabo, quam numeraturum  
 adulterae sciam, ne in societate turpis facti aut consilii  
 inveniar. si potero, revocabo: si minus, non adiuvabo  
 5 scelus. Sive illum ira quo non debebat impellit, sive am-  
 bitionis calor abducit a tutis, in nullum malum vires a  
 semet ipso [*aut a me petere*] patiar, nec committam, ut  
 possit quandoque dicere: „ille amando me occidit.“ Sae-  
 pe nihil interest inter amicorum munera et hostium vota.  
 quicquid illi accidere optant, in id horum intempestiva  
 indulgentia impellit atque instruit: quid autem turpius  
 quam quod evenit frequentissime, ut nihil intersit inter  
 odium et beneficium?

1 XV. Numquam in turpitudinem nostram re-  
 ditura tribuamus. Cum summa amicitiae sit amicum  
 sibi aequare, utrique simul consulendum est: dabo egenti,  
 sed ut ipse non egeam. succurram perituro, sed ut ipse  
 non peream, nisi si futurus ero magni hominis aut ma-  
 2 gnae rei merces. Nullum beneficium dabo, quod turpi-  
 ter peterem. nec exiguum dilatabo nec magna pro par-

vis accipi patiar. Nam ut qui inputat gratiam, destruit, ita qui quantum det, ostendit, munus suum commendat, non exprobrat. Respiciendae sunt cuique facultates suae viresque, ne aut plus praestemus quam possumus aut minus. aestimanda est eius persona cui damus: quaedam enim minora sunt, quam ut exire a magnis viris debeant, quaedam accipiente maiora sunt. Utriusque itaque personam confer et ipsum inter illas quod donabis examina, numquid aut danti grave sit aut parum, numquid rursus qui accepturus est, aut fastidiat aut non capiat.

XVI. Urbem cuidam Alexander donabat vesanus et 1 qui nihil animo nisi grande conciperet. Cum ille, cui donabatur, se ipse mensus tanti muneris invidiam refugisset dicens non convenire fortunae suae: *non quaero*, inquit, *quid te accipere deceat, sed quid me dare*. Animosa vox videtur et regia, cum sit stultissima. nihil enim per se quemquam decet: refert quid, cui, quando, quare, ubi, et cetera, sine quibus facti ratio non constabit. Turmidissimum animal! si illum accipere hoc non decet, nec te dare: habetur personarum ac dignitatum portio et, cum sit ubique virtutis modus, aequè peccat quod excedit quam quod deficit. Liceat istud sane tibi et te in tantum fortuna sustulerit, ut congiaria tua urbes sint, quas quanto maioris animi fuit non capere quam spargere? est tamen aliquis minor, quam ut in sinu eius condenda sit civitas.

XVII. Ab Antigono Cynicus petit talentum. respon- 1 dit plus esse quam quod Cynicus petere deberet. repulsus petit denarium. respondit minus esse quam quod regem deceret dare. Turpissima est eiusmodi cavillatio: invenit quomodo neutrum daret. in denario regem, in talento Cynicum respexit, cum posset et denarium tamquam Cynico dare et talentum tamquam rex. Ut sit aliquid maius quam quod Cynicus accipiat, nihil tam exiguum est, quod non honeste regis humanitas tribuat. Si 2 me interrogas, probo. est enim intolerabilis res poscere nummos et contemnere. Indixisti pecuniae odium. hoc

- professus es, hanc personam induisti: agenda est. ini-  
 quissimum est te pecuniam sub gloria egestatis acquirere.  
 Adspicienda ergo non minus sua cuique persona est  
 3 quam eius, de quo iuvando quis cogitat. Volo Chrysippi  
 nostri uti similitudine de pilae lusu: quam cadere non  
 est dubium aut mittentis vitio aut excipientis. tunc cur-  
 sum suum servat, ubi inter manus utriusque apte ab  
 utroque et iactata et excepta versatur. necesse est autem  
 lusor bonus aliter illam conlusori longo, aliter brevi mit-  
 tat. Eadem beneficii ratio est: nisi utrique personae dan-  
 tis et accipientis aptatur, nec ab hoc exhibit nec ad illum  
 4 perveniet, ut debet. Si cum exercitato et docto nego-  
 tium est, audacius pilam mittemus. utcumque enim ve-  
 nerit, manus illam expedita et agilis repercutiet. si cum  
 tirone et indocto, non tam rigide nec tam excusse, sed  
 languidius et in ipsam eius dirigentes manum remisse  
 occurremus. Idem faciendum est in beneficiis: quosdam  
 doceamus et satis iudicemus, si conantur, si audent, si  
 5 volunt. Facimus autem plerumque ingratos et ut sint fa-  
 vemus, tamquam ita demum magna sint beneficia nostra,  
 si gratia illis referri non potuit: ut malignis lusoribus  
 propositum est conlusorem traducere, cum damno scilicet  
 ipsius lusus, qui non potest, nisi consentitur, ex-  
 6 tendi. Multi sunt tam pravae naturae, ut malint perdere  
 quae praestiterunt, quam videri recepisse, superbi et in-  
 putatores: quanto melius quantoque humanius id agere,  
 ut illis quoque partes suae constent, et favere, ut gratia  
 sibi referri possit, benigne omnia interpretari, gratias  
 agentem non aliter quam si referat audire, praebere se  
 facilem ad hoc, ut quem obligavit, etiam exsolvi velit?  
 7 Male audire solet fenerator, si acerbe exigit, aequae, si  
 in recipiendo tardus ac difficilis moras quaerit: benefi-  
 cium tam recipiendum est quam non exigendum. Opti-  
 mus ille, qui dedit facile, numquam exegit, reddi gavi-  
 sus est, bona fide quid praestitisset oblitus, qui accipien-  
 tis animo recepit.
- 1 XVIII. Quidam non tantum dant beneficia superbe,  
 sed etiam accipiunt, quod non est committendum: iam

enim transeamus ad alteram partem tractaturi, quomodo se gerere homines in accipiendis beneficiis debeant. Quodcumque ex duobus constat officium, tantumdem ab utroque exigit. qualis pater esse debeat cum inspexeris, scies non minus operis illic superesse, ut dispicias, qualem esse oporteat filium. sunt aliquae partes mariti, sed non minores uxoris. In 2  
vicem ista quantum exigunt, praestant et parem desiderant regulam; quae, ut ait Hecaton, difficilis est. omne enim honestum in arduo est, etiam quod vicinum honesto est, non enim tantum fieri debet, sed ratione fieri. hac duce per totam vitam eundem est. minima maximaque ex huius consilio gerenda sunt: quomodo haec suaserit, dandum. Haec autem hoc primum censebit non ab omnibus accipiendum. A quibus ergo acci- 3  
piemus? ut breviter tibi respondeam: ab his, quibus dedisse videamur. Num etiam maiore delectu quaerendus est, cui debeamus quam cui praestemus? nam ut non sequantur ulla incommoda, sequuntur autem plurima, grave tamen tormentum est debere cui nolis. contra iucundissimum ab eo accepisse beneficium, quem amare etiam post iniuriam possis, ubi amicitiam alioqui iucundam causa fecit et iustam. Illud vero homini ve- 4  
recundo et probo miserrimum est, si eum amare oportet, quem non iuvat. Totiens admoneam necesse est non loqui me de sapientibus, quos quicquid oportet et iuvat, qui animum in potestate habent et legem sibi quam volunt dicunt, quam dixerunt servant, sed de imperfectis hominibus honestam viam sequi volentibus, quorum adfectus saepe contumaciter parent. Itaque eligendum est, a 5  
quo beneficium accipiam. et quidem diligentius quaerendus beneficii quam pecuniae creditor. Huic enim reddendum est quantum accepi, et si reddidi, solutus sum ac liber. at illi plus solvendum est, et nihilominus etiam relata gratia cohaeremus: debeo enim, cum reddidi, rursus incipere manetque amicitia. [et ut in amicitiam] non receperim indignum, sic ne in beneficiorum quidem sacratissimum ius, ex quo amicitia oritur. „Non semper, 6

inquit, mihi licet dicere: nolo. aliquando beneficium accipiendum est et invito: dat tyrannus crudelis et iracundus, qui munus suum fastidire te iniuriam iudicaturus est. non accipiam? eodem loco latronem pone, piratam, regem animum latronis ac piratae habentem. quid faciam? parum dignus est cui debeam.“ Cum eligendum dico, cui debeas, vim maiorem et metum excipio, quibus adhibitis electio perit. si liberum est tibi, si arbitrii tui est, utrum velis an non, id apud te ipse perpendes. si necessitas tollit arbitrium, scies te non accipere, sed parere. nemo in id accipiendo obligatur, quod illi repudiare non licuit. si vis scire an velim, effice ut possim nolle. „Vitam tamen tibi dedit.“ non refert quid sit quod datur, nisi a volente volenti datur. si servasti me, non ideo servator es. Venenum aliquando pro remedio fuit, non ideo numeratur inter salubria. Quaedam prosunt nec obligant: tuber quidam tyranni gladio divisit, qui ad occidendum eum venerat: non ideo illi tyrannus gratias egit, quod rem, quam medicorum manus reformidaverant, nocendo sanavit.

1 XIX. Vides non esse magnum in ipsa re momentum, quoniam non videtur dedisse beneficium, qui malo animo profuit. casus enim beneficium est, hominis iniuria. Leonem in amphitheatro spectavimus, qui unum e bestiariis agnitum, cum quondam eius fuisset magister, protexit ab inpetu bestiarum: num ergo est beneficium ferae auxilium? minime, quia nec voluit facere nec benefaciendi animo fecit. Quo loco feram posui, tyrannum pone. et hic vitam dedit et illa, nec hic nec illa beneficium. Quia non est beneficium accipere cogi, non est beneficium debere cui nolis. Ante des oportet mihi arbitrium mei, deinde beneficium.

1 XX. Disputari de M. Bruto solet, an debuerit accipere a divo Iulio vitam, cum occidendum eum iudicaret.

2 Quam rationem in occidendo secutus sit, alias tractabimus. mihi enim, cum vir magnus fuerit in aliis, in hac re videtur vehementer errasse nec ex institutione Stoica se egisse: qui aut regis nomen extimuit, cum optimus ci-



vitatis status sub rege iusto sit, aut ibi speravit libertatem futuram, ubi tam magnum praemium erat et imperandi et serviendi, aut existimavit civitatem in priorem formam posse revocari amissis pristinis moribus futuramque ibi aequalitatem civilis iuris et staturas suo loco leges, ubi viderat tot milia hominum pugnancia, non an servirent, sed utri. Quanta vero illum aut rerum naturae aut urbis suae tenuit oblivio, qui uno interempto defuturum credidit alium, qui idem vellet, cum Tarquinius esset inventus post tot reges ferro ac fulminibus occisos. Sed vitam accipere debuit, ob hoc tamen non habere illum parentis loco, qui in ius dandi beneficii iniuria venerat. non enim servavit is, qui non interfecit, nec beneficium dedit, sed missionem.

XXI. Illud magis venire in disputationem potest aliam, quid faciendum sit captivo, cui redemptionis pretium homo prostituti corporis et infamis ore promittit. patiar me ab impuro servari? servatus deinde quam illi gratiam referam? vivam cum obsceno? non vivam cum redemptore? Quid ergo placeat dicam: etiam ab aliquo tali accipiam pecuniam, quam pro capite dependam, accipiam autem tamquam creditum, non tamquam beneficium. solvam illi pecuniam et, si occasio fuerit servandi, periclitantem servabo: in amicitiam, quae similes iungit, non descendam, nec servatoris illum loco numerabo, sed feneratoris, cui sciam reddendum quod accepi. Est aliquis dignus, a quo beneficium accipiam, sed danti nociturum est: ideo non accipiam, quia ille paratus est mihi cum incommodo aut etiam periculo suo prodesse. Defensurus est me reum, sed illo patrocinio regem sibi facturum inimicum: inimicus sum, si, cum ille pro me periclitari velit, ego quod facilius est non facio, ut sine illo periclititer. Ineptum et frivolum hoc Hecaton ponit exemplum Arcesilai, quem ait a filio familiae adlatam pecuniam non accepisse, ne ille patrem sordidum offenderet: quid fecit laude dignum, quod furtum non recepit? quod maluit non accipere quam reddere? quae est

5 enim alienam rem non accipere moderatio? Si exemplo  
 magni animi opus est, utamur Graecini Iulii, viri egregii,  
 quem C. Caesar occidit ob hoc unum, quod melior vir  
 erat quam esse quemquam tyranno expedit. is cum ab  
 amicis conferentibus ad inpensam ludorum pecunias ac-  
 ciperet, magnam pecuniam a Fabio Persico missam non  
 accepit et obiurgantibus his, qui non aestimabant mit-  
 tentes, sed missa, quod repudiasset: *ego, inquit, ab eo*  
*beneficium accipiam, a quo propinationem accepturus non*  
 6 *sum?* Cum illi Rebilus consularis, homo eiusdem infa-  
 miae, maiorem summam misisset instaretque, ut accipi  
 iuberet: *rogo, inquit, ignoscas, et a Persico non accipi.*  
 Utrum hoc munera accipere est an senatum legere?

XXII. Cum accipiendum iudicaverimus, hi-  
 lares accipiamus, profitentes gaudium et id  
 danti manifestum sit, ut fructum praesentem capiat. iusta  
 enim causa laetitiae est laetum amicum videre, iustior  
 fecisse, quam grate ad nos pervenisse indicemus effusis  
 adfectibus. quod non ipso tantum audiente, sed ubique  
 testemur. Qui grate beneficium accipit, primam eius  
 pensionem solvit.

1 XXIII. Sunt quidam, qui nolunt nisi secreto  
 accipere. testem beneficii et conscium vitant: quos  
 scias licet male cogitare. quomodo danti in tantum pro-  
 ducenda notitia est muneris sui, in quantum delectatura  
 est eum, cui datur, ita accipienti adhibenda concio est:  
 2 quod pudet debere, ne acceperis. Quidam furtive  
 agunt gratias et in angulo et ad aurem: non est ista  
 verecundia, sed infitiandi genus. ingratus est, qui re-  
 motis arbitris agit gratias. Quidam nolunt nomina secum  
 fieri nec interponi pararios nec signatores advocari nec  
 chirographum dare: idem faciunt, qui dant operam, ut  
 3 beneficium in ipsos collatum quam ignotissimum sit. Ve-  
 rentur palam ferre, ut sua potius virtute quam alieno  
 adiutorio consecuti dicantur. rariores in eorum officiis  
 sunt, quibus vitam aut dignitatem debent, et dum opi-  
 nionem clientium timent, graviores subeunt ingratorum.

1 XXIV. Alii pessime loquuntur de optime me-

ritis. tutius est quosdam offendere quam demeruisse, argumentum enim nihil debentium odio quaerunt: atqui nihil magis praestandum est, quam ut memoria nobis meritorum haereat. quae subinde reficienda est, quia nec referre potest gratiam, nisi qui meminit, et qui meminit eam refert. Nec delicate accipiendum est nec submissee et humiliter. nam qui neglegens est in accipiendo, cum omne beneficium recens [*magis*] pateat, quid faciet, cum prima eius voluptas refrixerit? Alius accepit fastidiose, tamquam qui dicat: „non quidem mihi opus est, sed quia tam valde vis, faciam tibi mei potestatem.“ alius supine, ut dubium praestanti relinquat, an senserit. alius vix labra diduxit et ingrator, quam si tacuisset, fuit. Loquendum est pro magnitudine rei inpensius et illa adicienda: „pluris quam putas obligasti.“ nemo enim non gaudet beneficium suum latius patere. „nescis quid mihi praestiteris, sed scire te oportet, quanto plus sit quam existimas.“ Statim gratus est, qui se onerat. „numquam tibi gratiam referre poterō. illud certe non desinam ubique confiteri me referre non posse.“

XXV. Nullo magis Caesarem Augustum demeruit et ad alia inpetranda facilem sibi reddidit Furnius, quam quod, cum patri Antonianas partes secuto veniam inpetrasset, dixit: *hanc unam, Caesar, habeo iniuriam tuam: effecisti ut viverem et morerer ingratus.* Quid est tam grati animi quam nullo modo sibi satisfacere? quam ne ad spem quidem exaequandi umquam beneficii accedere? His atque eiusmodi vocibus id agamus, ut voluntas nostra non lateat, sed aperiat et luceat. Verba cessent licet, si quemadmodum debemus adfecti sumus, conscientia eminebit in voltu. Qui gratus futurus est, statim dum accipit, de reddendo cogitet. Chrysippus quidem dicit illum velut in certamen cursus compositum et carceribus inclusum opperiri debere tempus suum, ad quod velut dato signo prosiliat. et quidem magna illi celeritate opus est, magna contentione, ut consequatur antecedentem.

XXVI. Videndum est nunc, quid maxime faciat ingratos: facit aut nimius sui suspectus et insitum mortalitati vitium se suaque mirandi, aut aviditas, aut invidia.

Incipiamus a primo. Nemo non benignus est sui iudex. inde est, ut omnia meruisse se existimet et in solutum accipiat nec satis suo pretio se aestimatum putet. „Hoc mihi dedit, sed quam sero, sed post quot labores? quanto consequi plura potuissem, si illum aut illum aut me colere maluissem? non hoc speraveram. in turbam coniectus sum. tam exiguo dignum me iudicavit? honestius praeteriri fuit.“

- 1 XXVII. Cn. Lentulus augur, divitiarum maximum exemplum, antequam illum libertini pauperem facerent, hic qui quater milies sestertium suum vidit (proprie dixi: nihil enim amplius quam vidit), ingenii fuit sterilis, tam pusilli quam animi. cum esset avarissimus, nummos citius emittebat quam verba: tanta illi inopia erat sermonis.
- 2 Hic cum omnia incrementa sua divo Augusto deberet, ad quem adtulerat paupertatem sub onere nobilitatis laborantem, princeps iam civitatis et pecunia et gratia subinde de Augusto solebat queri dicens a studiis se abductum. nihil tantum in se congestum esse, quantum perdidisset relicta eloquentia. At illi inter alia hoc quoque divus Augustus praestiterat, quod illum derisu et labore inrito
- 3 liberaverat. Non patitur aviditas quemquam esse gratum. numquam enim improbae spei quod datur, satis est, et maiora cupimus, quo maiora venerunt multoque concitator est avaritia in magnarum opum congestu conlocata, ut flammae infinito acrior vis est, quo
- 4 ex maiore incendio emicuit. Aequae ambitio non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere, quae quondam eius fuit impudens votum: nemo agit de tribunatu gratias, sed queritur, quod non est ad praeturam usque perductus. nec haec grata est, si deest consulatus. ne hic quidem satiat, si unus est. Ultra se cupiditas porrigit et felicitatem suam non intellegit, quia non unde venerit respicit, sed quo tendat.

XXVIII. Omnibus his vehementius et inpor-  
 tunius malum est invidia, quae nos inquietat,  
 dum comparat: „hoc mihi praestitit, sed illi plus, sed  
 illi maturius.“ et deinde nullius causam agit, contra  
 omnes sibi favet. Quanto est simplicius, quanto pruden-  
 tius beneficium acceptum augere, scire neminem tanti ab  
 alio quanti a se ipso aestimari? „Plus accipere debui, 2  
 sed illi facile non fuit plus dare. in multos dividenda  
 liberalitas erat. hoc initium est, boni consulamus et ani-  
 mum eius grate excipiendo evocemus. parum fecit, sed  
 saepius faciet. illum mihi praetulit, et me multis. ille non  
 est mihi par virtutibus nec officiis, sed habuit suam Ve-  
 nerem. querendo non efficiam, ut maioribus dignus sim,  
 sed ut datis indignus. plura illis hominibus turpissimis  
 data sunt: quid ad rem? quam raro fortuna iudicat?“  
 Cotidie querimur malos esse felices: saepe quae agellos 3  
 pessimi cuiusque transierat, optimorum virorum segetem  
 grandio percussit. fert sortem suam quisque ut in ceteris  
 rebus ita in amicitiiis. Nullum est tam plenum beneficium, 4  
 quod non vellicare malignitas possit, nullum tam an-  
 gustum, quod non bonus interpret extendat. Numquam  
 deerunt causae querendi, si beneficia a deteriore parte  
 spectaveris.

XXIX. Vide quam iniqui sint divinorum munerum 1  
 aestimatores et quidem professi sapientiam. queruntur,  
 quod non magnitudine corporum aequemus elephantos,  
 velocitate cervos, levitate aves, inpetu tauros. quod so-  
 lidior sit cutis beluis, decentior damis, densior ursis,  
 mollior fibris. quod sagacitate nos narium canes vincant,  
 quod acie luminum aquilae, spatio aetatis corvi, multa  
 animalia nandi facilitate. Et cum quaedam ne coire qui- 2  
 dem in idem natura patiat, ut velocitatem corporum et  
 vires, ex diversis ac dissidentibus bonis hominem non  
 esse compositum iniuriam vocant et neglegentes nostri  
 deos, quod non bona validudo etiam vitiiis inexpugnabilis  
 data sit, quod non futuri scientia. vix sibi temperant,  
 quin eo usque inpudentiae provehantur, ut naturam ode-  
 rint, quod infra deos sumus, quod non in aequo illis

3 stetimus. Quanto satius est ad contemplationem tot tan-  
 torumque beneficiorum reverti et agere gratias, quod nos  
 in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt secundas sortiri,  
 quod terrenis praefecerunt? aliquis ea animalia comparat  
 nobis, quorum potestas penes nos est? Quicquid nobis  
 4 negatum est dari non potuit. Proinde quisquis es iniquus  
 aestimator sortis humanae, cogita, quanta nobis tribue-  
 rit parens noster, quanto valentiora animalia sub iugum  
 miserimus, quanto velociora consequamur, quam nihil  
 5 sit mortale non sub ictu nostro positum. Tot virtutes ac-  
 cepimus, tot artes, animum denique, cui nihil non eo-  
 dem, quo intendit, momento pervium est, sideribus  
 velociorem, quorum post multa secula futuros cursus  
 antecedit. tantum deinde frugum, tantum opum, tantum  
 rerum aliarum super alias acervatarum. circumeas licet  
 cuncta et, quia nihil totum invenies quod esse te malles,  
 ex omnibus singula excerpas, quae tibi dari velles: bene  
 aestimata naturae indulgentia confitearis necesse est in  
 6 deliciis te illi fuisse. Ita est: carissimos nos habuerunt  
 di immortales habentque, et qui maximus tribui honos  
 potuit, ab ipsis proximos conlocaverunt: magna acce-  
 pimus, maiora non cepimus.

1 XXX. Haec, mi Liberalis, necessaria credidi, et quia  
 loquendum aliquid de magnis beneficiis erat, cum de  
 minutis loqueremur, et quia inde manat etiam in cetera  
 huius detestabilis vitii audacia. Cui enim respondebit  
 grate, quod munus existimabit aut magnum aut reddend-  
 dum, qui summa beneficia spernit? cui salutem, cui spi-  
 ritum debet, qui vitam accepisse se a dis negat, quam  
 2 cotidie ab illis petit? Quicumque ergo gratos esse docet,  
 et hominum causam agit et deorum, quibus nullius rei  
 indigentibus, positis extra desiderium, referre nihilo-  
 minus gratiam possumus. Non est quod quisquam  
 excusationem mentis ingratae ab infirmitate  
 atque inopia petat et dicat: „quid enim faciam et  
 quomodo? quando superioribus dominisque rerum omni-  
 um gratiam referam?“ Referre facile est: si avarus es,  
 sine inpendio. si iners, sine opera. Eodem quidem mo-

mento quo obligatus es, si vis, cum quolibet paria fecisti, quoniam quilibet beneficium accipit, reddidit.

XXXI. Hoc ex paradoxis Stoicae sectae minime mirabile, ut mea fert opinio, aut incredibile est, eum qui libenter accipit beneficium reddidisse. nam cum omnia ad animum referamus, fecit quisque quantum voluit. et cum pietas, fides, iustitia, omnis denique virtus intra se perfecta sit, etiamsi illi manum exserere non licuit, gratus quoque potest esse homo voluntate. Quotiens quod proposuit quisque consequitur, capit operis sui fructum. qui beneficium dat, quid proponit? prodesse ei cui dat et voluptati sibi esse. si quod voluit effecit pervenitque ad me animus eius ac mutuo gaudio adfecit, tulit quod petiit. non enim sibi invicem aliquid reddi voluit: aut non fuit beneficium, sed negotiatio. Bene navigavit, qui quem destinavit portum tenuit. teli iactus certae manus peregit officium, si petita percussit. beneficium qui dat, vult excipi grate. habet quod voluit, si bene acceptum est. Sed speravit emolumentum aliquid: non fuit hoc beneficium, cuius proprium est nihil de reditu cogitare. Quod accipiebam, eo animo accepi, quo dabatur: reddidi. alioquin pessima optimae rei condicio est: ut gratus sim, ad fortunam mittor. si illa invita respondere non possum, sufficit animus animo. Quid ergo? non, quicquid potuero, et faciam et reddam, et temporum rerumque occasionem sequar et implere eius sinum cupiam, a quo aliquid accepi? Sed malo loco beneficium est, nisi et excussis manibus esse grato licet.

XXXII. „Qui accepit, inquit, beneficium, licet animo benignissimo acciperet, nondum consummavit officium suum, restat enim pars reddendi. sicut in lusu est aliquid pilam scite ac diligenter excipere, sed non dicitur bonus lusor, nisi qui apte et expedite remisit quam acceperat.“ Exemplum hoc dissimile est. quare? quia huius rei laus in corporis motu est et in agilitate, non in animo. explicari itaque totum debet, de quo oculis iudicatur, nec tamen ideo non bonum lusorem dicam, qui pilam, ut oportet

tebat, exceptit, si per ipsum mora quo minus remitteret  
 3 non fuit. „Sed quamvis, inquit, arti ludentis nihil desit,  
 quia partem quidem fecit, sed et partem quam non fecit,  
 potest facere, lusus ipse imperfectus est, qui consumma-  
 4 tur vicibus mittendi ac remittendi.“ Nolo diutius hoc re-  
 fellere. existimemus ita esse, desit aliquid lusui, non  
 lusori: sic et in hoc, de quo disputamus, deest aliquid  
 rei datae, cui par alia debetur, non animo. Qui animum  
 parem sibi nactus est, quantum in illo est, quod voluit  
 effecit.

1 XXXIII. Beneficium mihi dedit, accepi non aliter  
 quam ipse accipi voluit: iam habet quod petit et quod  
 unum petit, ergo gratus sum. Post haec usus mei restat  
 et aliquod ex homine grato commodum. Hoc non inper-  
 2 feci officii reliqua pars est, sed perfecti accessio. Facit  
 Phidias statuam: alius est fructus artis, alius artificii:  
 artis est fecisse quod voluit, artificii fecisse cum fructu.  
 perfecit opus suum Phidias, etiamsi non vendidit. Tri-  
 plex illi fructus est operis sui. unus conscientiae: hunc  
 absoluto opere percipit. alter famae, tertius utilitatis,  
 quem adlatura est aut gratia aut venditio aut aliqua com-  
 3 moditas. Sic beneficii fructus primus ille est conscientiae.  
 hunc percipit, qui quo voluit munus suum pertulit.  
 secundus [et tertius] est [et famae et] eorum, quae prae-  
 stari invicem possunt: itaque cum benigne acceptum est,  
 beneficium est. qui dedit, gratiam quidem iam recepit,  
 mercedem nondum: debeo itaque, quod extra beneficium  
 est, ipsum quidem bene accipiendo persolvi.

1 XXXIV. „Quid ergo? inquit, retulit gratiam qui nihil  
 fecit?“ Primum fecit: bono animo bonum obtulit, et,  
 quod est amicitiae, ex aequo. post deinde aliter benefi-  
 cium, aliter creditum solvitur: non est quod exspectes,  
 ut solutionem tibi ostendam: res inter animos geritur.  
 2 Quod dico non videbitur durum, quamvis primo contra  
 opinionem pugnet tuam, si te commodaveris mihi et cogitaveris  
 plures esse res quam verba. Ingens copia est rerum sine nomine,  
 quas non propriis adpellationibus notamus sed alienis commodatisque: pedem et nostrum



dicimus et lecti et veli et carminis, canem et venaticum et marinum et sidus. quia non sufficimus, ut singulis singula adsignemus, quotiens opus est, mutuamur. Fortitudo est virtus pericula iusta contemnens aut scientia periculorum repellendorum, excipiendorum, provocandorum: dicimus tamen et gladiatorem fortem virum et servum nequam, quem in contemptum mortis temeritas inpulit. Parsimonia est scientia vitandi sumptus supervacuos aut ars re familiari moderate utendi: parcissimum tamen hominem vocamus pusilli animi et contracti, cum infinitum intersit inter modum et angustias. haec alia sunt natura, sed efficit inopia sermonis, ut et hunc et illum parcum vocemus, ut et ille fortis dicatur cum ratione fortuita despiciens et hic sine ratione in pericula excurrens. Sic beneficium est et actio, ut diximus, benefica et ipsum quod datur per illam actionem, ut pecunia, ut domus, ut praetexta: unum utrique nomen est, vis quidem ac potestas longe alia.

XXXV. Itaque adtende, iam intelleges nihil me, quod opinio tua refugiat, dicere: illi beneficio, quod actio perficit, relata gratia est, si illud benevole excipimus. illud alterum, quod re continetur, nondum reddidimus et volumus reddere. Voluntati voluntate satisfacimus, rei rem debemus. Itaque quamvis retulisse illum gratiam dicamus, qui beneficium libenter accipit, iubemus tamen aliquid ei, quod accepit, reddere. A consuetudine quaedam quae dicimus abhorrent, deinde alia via ad consuetudinem redeunt: negamus iniuriam accipere sapientem, tamen qui illum pugno percusserit, iniuriarum damnabitur. negamus stulti quicquam esse, et tamen eum, qui rem aliquam stulto subripuit, furti condemnabimus. insanire omnes dicimus, nec tamen omnes curamus elleboro. his ipsis, quos vocamus insanos, et suffragium et iurisdictionem committimus. Si dicimus eum, qui beneficium bono animo accipit, gratiam retulisse, nihilominus illum in aere alieno relinquimus gratiam relaturum, etiam cum retulit: exhortatio est illa, non infitatio beneficii. Timea-

mus, ne *velut* intolerabili sarcina depressi deficiamus animo? „bona mihi donata sunt et fames defensa, deductae sordes, [*servatus*] spiritus et libertas potior spiritu: et quomodo referre gratiam potero? quando ille  
 4 veniet dies, quo illi animum meum ostendam?“ Hic ille est, quo ipse suum ostendit. excipe beneficium, amplectare. gaude, non quod accipias, sed quod reddas debiturusque sis. non adibis tam magnae rei periculum, ut casus ingratum facere te possit. Nullas tibi proponam difficultates, ne despondeas animo, ne laborum ac longae servitutis exspectatione deficias. non differo te: de praesentibus fiat. Numquam eris gratus, nisi statim es.  
 5 Quid ergo facies? non arma sumenda sunt: et fortasse erunt. non maria emetienda: fortasse etiam ventis mivantibus solves. vis reddere beneficium? benigne accipe: retulisti gratiam, non ut solvisse te putes, sed ut securior debeas.

---

## L. ANNAEI SENECAE

AD AEBUTIUM LIBERALEM

# D E B E N E F I C I I S

LIBER III.

---

- 1 I. Non referre beneficiis gratiam et est turpe et apud omnes habetur, Aebuti Liberalis. ideo de ingratis etiam ingrati queruntur, cum interim hoc omnibus haeret, quod omnibus displicet, adeoque in contrarium itur, ut quosdam habeamus infestissimos non post beneficia tantum,  
 2 sed propter beneficia. Hoc pravitate naturae accidere quibusdam non negaverim: pluribus, quia memoriam tempus interpositum subducit. nam quae recentia apud illos vigerunt, ea interiecto spatio obsolescunt. de quibus fuisse mihi tecum disputationem scio, cum tu illos non

ingratos vocares, sed oblitos: tamquam ea res ingratum excuset quae facit, aut quia hoc accidit alicui, non sit ingratus, cum hoc non accidat nisi ingrato. Multa sunt 3 genera ingratorum, ut furum, ut homicidarum, quorum una culpa est, ceterum in partibus varietas magna: ingratus est, qui beneficium accepisse se negat quod accepit, ingratus est qui dissimulat, ingratus qui non reddit, ingratisimus omnium, qui oblitus est. Illi enim si non solvunt, tamen debent et exstat apud 4 illos vestigium certe meritorum intra malam conscientiam inclusorum. aliquando ad referendam gratiam converti ex aliqua causa possunt, si illos pudor admonuerit, si subita honestae rei cupiditas, qualis solet ad tempus etiam in malis pectoribus exurgere, si invitaverit facilis occasio: hic numquam fieri gratus potest, cui beneficium totum elapsum est. et utrum tu peiorem vocas, apud quem gratia beneficii intercudit an apud quem etiam memoria? Viliosi oculi sunt qui lucem reformidant, caeci 5 qui non vident. et parentes suos non amare impietas est, non adgnosere insania.

II. Quis tam ingratus est quam qui, quod in prima 1 parte animi positum esse debuit et semper occurrere, ita seposuit et abiecit, ut in ignorantiam verteret? adparet illum non saepe de reddendo cogitasse, cui obrepsit oblivio. Denique ad reddendam gratiam et virtute 2 opus est et tempore et facultate et adspirante fortuna: qui meminit, sine inpendio gratus est. Hoc, quod non operam exigit, non opes, non felicitatem, qui non praestat, nullum habet quo lateat patrociniū. numquam [enim] voluit gratus esse, qui beneficium tam longe proiecit, ut extra conspectum suum poneret. Quemadmo- 3 dum quae in usu sunt et manum cotidie tactumque patiuntur, numquam periculum situs adeunt, illa quae ad oculos non revocantur, sed extra conversationem ut supervacua iacuerunt, sordes ipsa colligunt vetustate: ita quicquid frequens cogitatio exercet ac renovat, memoriae numquam subducitur, quae nihil perdit, nisi ad quod non saepe respexit.

- 1 III. Praeter hanc causam aliae quoque sunt, quae nobis merita nonnumquam maxima velant. prima omnium ac potentissima, quod novis semper cupiditatibus occupati non quid habeamus, sed quid petamus inspiciamus. in id quod adpetitur intentis quicquid domi est, vile est.
- 2 Sequitur autem ut, ubi quod acceperis leve novorum cupiditas fecit, auctor quoque eorum non sit in pretio. Amavimus aliquem et suspeximus et fundatum ab illo statum nostrum professi sumus, quamdiu nobis placebant ea, quae consecuti sumus. deinde inrumpit animum aliorum admiratio et ad ea inpetus factus est, uti mortalibus mos est ex magnis maiora cupiendi: protinus excidit, quicquid ante apud nos beneficium vocabatur, nec ea intuemur, quae nos aliis praeposuerit, sed ea sola, quae
- 3 fortuna praecedentium ostentat. Non potest autem quisquam et invidere et gratias agere, quia invidere querentis et moesti est, gratias agere gaudentis, deinde quia nemo nostrum novit nisi *id* tempus, quod cum maxime
- 4 transit, ad praeterita rari animum retorquent. Sic fit ut praeceptores eorumque beneficia intercidant, quia totam pueritiam reliquimus. sic fit ut in adolescentiam nostram collata pereant, quia ipsa numquam retractatur. Nemo quod fuit tamquam in praeterito, sed tamquam in perdito ponit, ideoque caduca memoria est futuro imminentium.
- 1 IV. Hoc loco reddendum est Epicuro testimonium, qui adsidue queritur, quod adversus praeterita simus ingrati, quod quaecumque perceperimus bona non reducamus nec inter voluptates numeremus, cum certior nulla sit vo-
- 2 luptas quam quae iam eripi non potest. Praesentia bona nondum tota in solido sunt, potest illa casus aliquis incidere. futura pendent et incerta sunt: quod praeteriit inter tuta sepositum est. Quomodo gratus esse quisquam adversus beneficia potest, qui omnem vitam suam transilit praesentium totus ac futurorum? Memoria gratum facit: memoriae minimum tribuit, quisquis spei plurimum.

V. Quemadmodum, mi Liberalis, quaedam res semel perceptae haerent, quaedam ut scias, non est satis didicisse, intercidit enim eorum scientia, nisi continuetur. geometriam dico et sublimium cursum et si qua alia propter subtilitatem lubrica sunt: ita beneficia quaedam magnitudo non patitur excidere, quaedam minora, sed numero plurima et temporibus diversa effluunt, quia, ut dixi, non subinde illa tractamus nec libenter quid cuique debeamus recognoscimus. Audi voces petentium: nemo non victuram semper in animo suo memoriam dixit. nemo non deditum se et devotum professus est, et si quod aliud humiliter verbum quo se obpigneret invenit. post exiguum tempus iidem illi verba priora quasi sordida et parum libera evitant. perveniunt deinde eo quo, ut ego existimo, pessimus quisque atque ingratus pervenit, ut obliviscantur: adeo enim ingratus est, qui oblitus est, ut ingratus sit, cui beneficium in mentem venit.

VI. Hoc tam invisum vitium an impunitum esse debeat quaeritur et an haec lex, quae in scholis exercetur, etiam in civitate ponenda sit, qua ingrati datur actio, quae videtur aequa omnibus. „Quidni? cum urbes quoque urbibus quae praestitere exprobrent et in maiores collata a posteris exigant.“ Nostri maiores, maximi scilicet viri, ab hostibus tantum res repetierunt, beneficia magno animo dabant, magno perdebant. excepta Macedonum gente non est in ulla data adversus ingratum actio, magnumque hoc argumentum est dandam non fuisse, quia adversus maleficium omne consensimus, et homicidii, veneficii, parricidii, violatarum religionum aliubi atque aliubi diversa poena est, sed ubique aliqua: hoc frequentissimum crimen nusquam punitur, ubique improbatur. neque absolvimus illud, sed cum difficilis esset incertae rei aestimatio, tantum odio damnavimus et inter ea reliquimus, quae ad iudices deos mittimus.

VII. Rationes autem multae mihi occurrunt, 1 propter quas crimen hoc in legem cadere non debeat. Primum omnium pars optima benefi-

eii perit, si actio sicut *creditae* pecuniae aut ex con-  
 ducto et locato datur. hoc enim in illo speciosissimum  
 est, quod dedimus vel perdituri, quod totum permisimus  
 accipientium arbitrio: si adpello, si ad iudicem voco,  
 2 incipit non beneficium esse, sed creditum. Deinde cum  
 res honestissima sit referre gratiam, desinit esse honesta,  
 si necessaria est. non enim magis laudabit quisquam gra-  
 tum hominem quam eum, qui depositum reddidit aut quod  
 3 debebat citra iudicem solvit. Ita duas res, quibus in vita  
 humana nihil pulchrius est, corrumpimus, gratum homi-  
 nem et beneficium. quid enim aut in hoc magnificum est,  
 si beneficium non dat, sed commodat? aut in illo, qui  
 reddit, non quia vult, sed quia necesse est? Non est  
 gloriosa res gratum esse, nisi tutum est ingratum fuisse.  
 4 Adice nunc quod huic uni legi omnia fora vix  
 sufficient. quis erit qui non agat? quis cum quo non  
 agatur? omnes sua extollunt, omnes etiam minima, quae  
 5 in alios contulere, dilatant. Praeterea quaecumque in co-  
 gnitionem cadunt, comprehendi possunt et non dare infinitam  
 licentiam iudicii. ideo melior videtur condicio causae bo-  
 nae, si ad iudicem quam si ad arbitrum mittitur, quia  
 illum formula includit et certos, quos non excedat, ter-  
 minos ponit, huius libera et nullis adstricta vinculis re-  
 ligio et detrahere aliquid potest et adicere et sententiam  
 suam, non prout lex aut iustitia suadet, sed prout hu-  
 6 manitas aut misericordia inpulit, regere. Ingrati actio  
 non erat iudicem adligatura, sed regno liberrimo  
 positura. quid sit enim beneficium non constat. deinde  
 quantum sit: refert quam benigne illud interpretetur  
 iudex. Quid sit ingratus nulla lex monstrat: saepe [et]  
 qui reddidit quod accepit ingratus est et qui non reddidit  
 7 gratus. De quibusdam et inperitus iudex dimittere ta-  
 bellam potest, ubi fecisse aut non fecisse pronuntiandum  
 est, ubi prolatis cautionibus controversia tollitur: ubi *vero*  
 inter disputantes ratio ius dicit, ubi animi coniectura capien-  
 da est, ubi id, de quo sola sapientia decernit, in contro-  
 versiam incidit, non potest ad haec sumi iudex ex turba sele-  
 ctorum, quem census in album et equestris hereditas misit.

VIII. Itaque non haec parum idonea res visa est, quae 1  
 deduceretur ad iudicem, sed nemo huic rei satis idoneus  
 iudex inventus est. quod non admiraberis, si excusseris,  
 quid habiturus fuerit difficultatis quisquis in eiusmodi  
 reum exisset. Donavit aliquis magnam pecuniam, sed 2  
 dives, sed non sensurus inpendium. donavit alius, sed  
 toto patrimonio cessurus. summa eadem est, beneficium  
 idem non est. Etiamnunc adice: hic pecuniam pro ad-  
 dicto dependit, sed cum illam domo protulisset. ille de-  
 dit eandem, sed mutuam sumpsit aut rogavit et se obli-  
 gari ingenti merito passus est: eodem existimas loco  
 esse illum, qui beneficium ex facili largitus est, et hunc,  
 qui accepit ut daret? Tempore quaedam magna fiunt, 3  
 non summa: beneficium est donata possessio, cuius fer-  
 tilitas laxare possit annonam, beneficium est unus in fa-  
 me panis. beneficium est donare regiones, per quas ma-  
 gna flumina et navigabilia decurrant, beneficium est aren-  
 tibus siti et vix spiritum per siccas fauces ducentibus  
 monstrare fontem. Quis inter se ista comparabit? quis  
 expendet? difficilis est sententia, quae non rem, sed vim  
 rei quaerit. eadem licet sint, aliter data non idem pen-  
 dent. Dedit mihi hic beneficium, sed non libenter, sed 4  
 dedisse se questus est, sed superbius me quam solebat  
 aspexit, sed tam tarde dedit, ut plus praestaturus fuerit,  
 si cito negasset: horum quomodo iudex inibit aestima-  
 tionem, cum sermo et dubitatio et voltus meriti gratiam  
 destruant?

IX. Quid quod quaedam beneficia vocantur, quia nimis 1  
 concupiscuntur, quaedam non sunt ex hac vulgari nota,  
 sed maiora, etiamsi minus adparent? Beneficium vocas 2  
 dedisse potentis populi civitatem, in quatuordecim de-  
 duxisse et defendisse capitis reum: quid utilia suasisse?  
 quid retinuisse, ne in scelus rueret? quid gladium ex-  
 cussisse morituro? quid efficacibus remediis [refocillasse]  
 lugentem et quos desiderabat volentem sequi ad vitae  
 consilium reduxisse? quid adsedissee aegro et, cum va-  
 litudo eius ac salus momentis constaret, excepisse ido-  
 nea cibo tempora et cadentes venas vino refecisse et me-

3 dicum adduxisse morienti? Haec quis aestimabit? quis dissimilibus beneficiis iubebit beneficia pensari? „Donavi tibi domum:“ „sed ego tuam supra te ruere praedixi.“ „Dedi tibi patrimonium:“ „sed ego naufrago tabulam.“ „Pugnavi pro te et volnera excepi:“ „at ego vitam tibi silentio dedi.“ Cum aliter beneficium detur, aliter reddatur, paria facere difficile est.

1 X. Dies praeterea beneficio reddendo non dicitur, sicut pecuniae creditae. itaque potest qui nondum reddidit reddere. dic enim intra quod tempus deprehendatur ingratus. Maxima beneficia probationem non habent, saepe intra tacitam duorum conscientiam latent. an hoc inducimus, ut non demus beneficia sine  
2 teste? Quam deinde poenam ingratis constituimus? unam omnibus, cum disparia beneficia sint? an inaequalem et pro cuiusque beneficio maiorem aut minorem? Age, intra pecuniam versabitur taxatio: quid quod quaedam vitae beneficia sunt et maiora vita? his quae pronuntiabitur poena? minor beneficio? iniqua est. par et capitalis? quid inhumanius quam cruentos esse beneficiorum exitus?

1 XI. „Quaedam, inquit, privilegia parentibus data sunt. quomodo horum extra ordinem habita ratio est, sic aliorum quoque beneficiorum haberi debet.“ Parentum condicionem sacravimus, quia expediebat liberos tolli: sollicitandi ad hunc laborem erant incertam adituri fortunam. non poterat illis dici, quod beneficia dantibus dicitur: „cui des elige. ipse tecum, si deceptus es, querere. dignum adiuva.“ in liberis tollendis nihil iudicio tollentium licet: tota res voti est: itaque ut aequiore animo adirent aleam, danda illis aliqua potestas fuit.  
2 Deinde alia condicio est parentum, qui beneficia quibus dederunt, dant nihilominus daturique sunt, nec est periculum, ne dedisse ipsos mentiantur. in ceteris quaeri debet non tantum an receperint, sed an dederint: horum in confesso merita sunt. et quia utile est iuventuti regi, inposuimus illi quasi domesticos magistratus, sub quo-  
3 rum custodia contineretur. Deinde omnium parentum



unum erat beneficium: itaque aestimari semel potuit. alia diversa sunt, dissimilia, infinitis inter se intervallis distantia: itaque sub nullam regulam cadere potuerunt, cum aequius esset omnia relinquere quam omnia aequari.

XII. Quaedam magno dantibus constant, quaedam 1 accipientibus magna sunt, sed gratuita tribuentibus. quaedam amicis data sunt, quaedam ignotis. plus est, quamvis idem detur, si ei datur, quem nosse a beneficio tuo incipis. Hic auxilia tribuit, ille ornamenta, ille solatia. Invenies qui nihil putet esse iucundius, nihil maius 2 quam habere, in quo calamitas adquiescat. invenies rursus, qui dignitati suae quam securitati consuli malit et qui plus ei debere se iudicet, per quem tutior est quam ei, per quem honestior: proinde ista maiora aut minora erunt, prout fuerit iudex aut ad haec aut ad illa inclinatus animo. Praeterea creditorem mihi ipse eligo, benefi- 3 cium saepe ab eo accipio, a quo nolo et aliquando ignorans obligor: quid facies? ingratum vocabis eum, cui beneficium in scio et, si scisset, non accepturo inpositum est? non vocabis eum, qui utcumque acceptum non reddidit? Aliquis dedit mihi beneficium, sed idem postea 4 fecit iniuriam: utrum uno munere ad patientiam omnium iniuriarum adstringor, an perinde erit ac si gratiam retulerim, quia beneficium suum ipse insequentem iniuria rescidit? Quomodo deinde aestimabis, utrum plus sit, quod accepit aut in quo laesus est? Dies me deficiet omnes difficultates persequi temptantem.

XIII. „Tardiores, inquit, ad beneficia danda facimus 1 non vindicando data nec infitiores eorum adficiendo poena.“ Sed illud quoque tibi e contrario occurrat, multo tardiores futuros ad accipienda beneficia, si periculum causae dicundae adituri erunt et innocentiam sollicitiore habituri loco. Deinde erimus per hoc ipsi quoque ad 2 danda tardiores. nemo enim libenter dat invitis, sed quicumque ad benefaciendum bonitate invitatus est et ipsa pulchritudine rei, etiam libentius dabit nihil debitoris nisi quod volunt. minuitur enim gloria eius officii, cui diligenter cautum est.

- 1 XIV. „Deinde pauciora erunt beneficia, sed veriora: quid autem mali est inhiberi beneficiorum temeritatem?“ Hoc enim ipsum secuti sunt, qui nullam legem huic constituerunt, ut circumspectius donaremus, circumspectius  
 2 eligeremus eos, in quos merita conferuntur. Etiam atque etiam cui des considera: nulla actio erit, nulla repetitio. erras, si existimas succursurum tibi iudicem. nulla lex te in integrum restituet: solam accipientis fidem specta. Hoc modo beneficia auctoritatem suam tenent et magni-  
 3 fica sunt: pollues illa, si materiam litium feceris. Aquis-  
 4 sima vox est et ius gentium prae se ferens, redde quod debes. haec turpissima est in beneficio, redde. Quid? reddet vitam quam debet? dignitatem? securitatem? sa-  
 4 nritatem? reddi maxima quaeque non possunt. „Aut pro his, inquit, aliquid quod tanti sit.“ Hoc est quod dicebam, interituram tantae rei dignitatem, si beneficium mer-  
 cem facimus. Non est inritandus animus ad avaritiam, ad querelas, ad discordiam: sua sponte in ista fertur. quantum possumus resistamus et quaerenti occasiones amputemus.
- 1 XV. Utinam quidem persuadere possemus, ut pecu-  
 2 nias creditas tantum a volentibus acciperent! utinam nulla stipulatio emptorem venditori obligaret! nec pacta con-  
 2 ventaque inpressis signis custodirentur! fides potius illa  
 2 servaret et aequum colens animus! Sed necessaria opti-  
 2 mis praetulerunt et cogere fidem quam spectare malunt: adhibentur ab utraque parte testes: ille per tabulas plu-  
 3 rium nomina interpositis parariis facit. ille non est inter-  
 3 rogatione contentus, nisi reum manu sua tenuit. O turpem humani generis [et] fraudis ac nequitiae publicae confessionem! anulis nostris plus quam animis creditur. In quid isti viri ornati adhibiti sunt? in quid imprimunt signa? nempe ne ille neget accepisse se quod accepit. Hos incorruptos viros et vindices veritatis existimas? at his ipsis non aliter statim pecuniae committentur. Ita non honestius erat a quibusdam fidem falli quam ab om-  
 4 nibus perfidiam timeri? Hoc unum deest avaritiae, ut beneficia sine sponsore non demus. Generosi animi est et

magnifici iuvare, prodesse: qui dat beneficia deos imitatur, qui repetit, feneratores. Quid illos, dum vindicamus, in turbam sordidissimam redigimus?

XVI. „Plures, inquit, ingrati erunt, si nulla adversus ingratum datur actio.“ Immo potius pauciores, quia maiore delectu dabuntur beneficia. Deinde non expedit notum omnibus fieri quam multi ingrati sint: pudorem enim rei tollet multitudo peccantium et desinet esse probri loco commune maledictum. Numquid iam ulla re-  
 pudio erubescit, postquam inlustres quaedam ac nobiles feminae non consulum numero, sed maritorum annos suos computant et exeunt matrimonii causa, nubunt repudii? Tamdiu istuc timebatur quamdiu rarum erat: quia vero nulla sine divortio acta sunt, quod saepe audiebant, facere didicerunt. Numquid iam ullus adulterii pudor est, 3  
 postquam eo ventum est, ut nulla virum habeat, nisi ut adulterum inritet? argumentum est deformitatis pudicitia. Quam invenies tam miseram, tam sordidam, ut illi satis sit unum adulterorum par, nisi singulis divisit horas? et non sufficit dies omnibus, nisi apud alium gestata est, apud alium mansit. infrunita et antiqua est, quae nesciat matrimonium vocari unum adulterium. Quemadmodum 4  
 horum delictorum iam evanuit pudor, postquam res latius evagata est, ita ingratos plures efficies et avidiores, si numerare se coeperint.

XVII. „Quid ergo? inpunitus erit ingratus?“ Quid 1  
 ergo, inpunitus erit inpius? quid malignus? quid avarus? quid inpotens? quid crudelis? Inpunita tu credis esse, quae invisa sunt? aut ullum supplicium gravius existimas publico odio? Poena est, quod non audet ab ullo 2  
 beneficium accipere, quod non audet ulli dare, quod omnium designatur oculis aut designari se iudicat, quod intellectum optimae rei ac dulcissimae amisit. An tu infelicem vocas, qui caret acie oculorum, cuius aures morbus obstruxit, non vocas miserum eum, qui sensum beneficiorum amisit? Testes ingratorum omnium deos me- 3  
 tuit, urit illum et angit intercepti beneficii conscientia: denique satis haec ipsa poena magna est, quod rei, ut

dicebam, iucundissimae fructum non percipit. At quem iuvat accepisse, aequali perpetuaque voluptate fruitur et animum eius, a quo accepit, non rem intuens gaudet. gratum hominem semper beneficium delectat, ingratum  
 4 semel. Comparari autem potest utriusque vita: cum alter tristis sit et sollicitus, qualis esse infitiator ac fraudulentus solet, apud quem non parentum, qui debet, honor est, non educatoris, non praeceptorum, alter laetus, hilaris, occasionem referendae gratiae exspectans et ex hoc ipso adfectu gaudium grande percipiens nec quaerens quomodo decoquat, sed quemadmodum plenius uberiusque respondeat non solum parentibus et amicis, sed humilioribus quoque [personis]. nam etiamsi a servo suo beneficium accepit, aestimat non a quo, sed quod acceperit.

- 1 XVIII. Quamquam quaeritur a quibusdam sicut ab Hecatone, an beneficium dare servus domino possit. sunt enim qui ita distinguant: quaedam beneficia esse, quaedam officia, quaedam ministeria. beneficium esse quod alienus det: alienus est, qui potuit sine reprehensione cessare. officium esse filii, uxoris, earum personarum, quas necessitudo suscitatur et ferre opem iubet. ministerium esse servi, quem condicio sua eo loco posuit, ut nihil eorum quae praestat, inputet superiori.
- 2 \* Praeterea servum qui negat dare aliquando domino beneficium, ignarus est iuris humani. refert enim, cuius animi sit qui praestat, non cuius status: nulli praeclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, ingenuos, libertinos, servos, reges, exules. non eligit domum nec censum, nudo homine contenta est. Quid enim erat tuti adversus repentina, quid animus magnum promitteret sibi, si certam virtutem fortuna mutaret? Si non dat beneficium servus domino, nec regi quisquam suo nec duci suo miles. quid enim interest, quali quis teneatur imperio, si summo teneatur? nam si servo, quo minus in nomen meriti perveniat, necessitas obest et patiendi ultima timor, idem istuc obstabit et ei qui regem habet et ei qui ducem, quoniam

sub dispari titulo paria in illos licent. atqui dant regibus suis, dant imperatoribus beneficia: ergo et [servi] dominis. Potest servus iustus esse, potest fortis, potest magni animi: ergo et beneficium dare potest. nam et hoc virtutis est. Adeo quidem dominis servi beneficia possunt dare, ut ipsos saepe beneficii sui fecerint.

XIX. Non est dubium, quin servus beneficium dare possit cuilibet: quare ergo non et domino suo possit? „Quia non potest, inquit, creditor domini sui fieri, si pecuniam illi dederit. Alioquin cotidie dominum suum obligat: peregrinantem sequitur, aegro ministratur eius labore summo [colit]: omnia tamen ista, quae alio praestante beneficia dicerentur, praestante servo ministeria sunt. beneficium enim id est, quod quis dedit, cum illi liceret et non dare. servus autem non habet negandi potestatem: ita non praestat, sed paret, nec id se fecisse iactat, quod non facere non potuit.“ Jam sub ista lege vincam et eo perducam servum, ut in multa liber sit: interim dic mihi, si tibi ostendero aliquem [servum] pro salute domini sui sine respectu sui dimicantem et confossum vulneribus, reliquias tamen sanguinis ab ipsis vitalibus fundentem et, ut ille effugiendi tempus habeat, moram sua morte quaerentem: hunc tu negabis beneficium dedisse, quia servus est? Si tibi ostendero aliquem, ut secreta domini prodat, nulla tyranni pollicitatione corruptum, nullis territum minis, nullis cruciatibus victum avertisse quantum potuerit suspiciones quaerentis et inpendisse spiritum fidei: hunc tu negabis beneficium domino dedisse, quia servus est? Vide ne eo maius sit quo rarius est exemplum virtutis in servis eoque gratius quod, cum fere invisae imperia sint et omnis necessitas gravis, commune servitutis odium in aliquo domini caritas vicit. Ita non ideo beneficium non est, quia a servo profectum est, sed ideo maius, quia deterrere ab illo ne servitus quidem potuit.

XX. Errat, si quis existimat servitutem in totum hominem descendere: pars melior eius excepta est: corpora obnoxia sunt et adscripta dominis, mens quidem

sui iuris. quae adeo libera et vaga est, ut ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quo minus in petu suo utatur et ingentia agat et in infinitum comes  
 2 coelestibus exeat. Corpus itaque est quod domino fortuna tradidit. hoc emit, hoc vendit: interior illa pars mancipio dari non potest. Ab hac quicquid venit liberum est: nec enim aut nos omnia iubere possumus aut in omnia servi parere coguntur. contra rempublicam imperata non facient, nulli sceleri manus commodabunt.

1 XXI. Quaedam sunt quae leges nec iubent nec vetant facere: in his servus materiam beneficii habet: quamdiu praestatur quod a servo exigi solet, ministerium est. ubi plus quam quod servo necesse est, beneficium. ubi in  
 2 adfectum amici transit, desinit vocari ministerium. Est aliquid, quod dominus praestare servo debeat, ut cibaria, ut vestiarium. nemo hoc dixit beneficium: at indulsit liberalius, educavit, artes quibus erudiuntur ingenui tradidit: beneficium est. Idem e contrario fit in persona servi: quicquid est, quod servilis officii formulam excedit, quod non ex imperio, sed ex voluntate praestatur, beneficium est, si modo tantum est, ut hoc vocari potuerit quolibet alio praestante.

1 XXII. Servus, ut placet Chrysippo, perpetuus mercenarius est. Quemadmodum ille beneficium dat, ubi plus praestat quam in quod operas locavit, sic servus ubi benevolentia erga dominum fortunae suae modum transiit et altius aliquid ausus quod etiam feliciter natis decori esset [et] spem domini antecessit, beneficium est  
 2 intra domum inventum. An aequum tibi videtur, quibus si minus debito faciant, irascimur, non haberi gratiam, si plus debito solitoque fecerint? Vis scire, quando non sit beneficium? ubi dici potest: „quid si nollet?“ ubi vero id praestitit, quod nolle licuit, voluisse laudandum  
 3 est. Inter se contraria sunt beneficium et iniuria. potest dare beneficium domino, si a domino iniuriam accipere. atqui de iniuriis dominorum in servos qui audiat positus est, qui et saevitiam et libidinem et in praebendis ad vitium necessariis avaritiam conpescat. Quid ergo? bene-

ficium dominus a servo accipit? immo homo ab homine. Denique quod in illius potestate fuit fecit: beneficium 4 domino dedit. ne a servo acceperis, in tua potestate est. Quis autem tantus est, quem non fortuna indigere etiam infimis cogat?

XXIII. Multa iam beneficiorum genera referam et dis- 1 similia et quaedam inter se contraria. Dedit aliquis domino suo vitam, dedit mortem, servavit periturum: et hoc si parum est, pereundo servavit. alius mortem domini adiuvit, alius decepit. Claudius Quadrigarius in duodevicesimo 2 annalium tradit, cum obsideretur Grumentum et iam ad summam desperationem ventum esset, duos servos ad hostem transfugisse et operae pretium fecisse. Deinde urbe capta passim discurrente victore illos per nota itinera ad domum, in qua servierant, praecucurrisse et dominam suam ante se egisse. quaerentibus quaenam esset, dominam et quidem crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci professos esse. eductam deinde extra muros summa cura celsasse, donec hostilis ira consideret. deinde, ut satiatum miles cito ad Romanos mores rediit, illos quoque ad suos redisse et dominam sibi ipsos dedisse. Manumisit utrumque 3 e vestigio illa nec indignata est ab his se vitam accepisse, in quos vitae necisque potestatem habuisset. Potuit sibi hoc vel magis gratulari. aliter enim servata munus notae et vulgaris clementiae habuisset: sic servata nobilis fabula et exemplum duarum urbium fuit. In tanta confusione 4 captae civitatis cum sibi quisque consuleret, omnes ab illa praeter transfugas fugerunt. at hi, ut ostenderent, quo animo facta esset prior illa transitio, a victoribus ad captivam transfugerunt personam parricidarum ferentes, quod in illo beneficio maximum fuit: tanti iudicaverunt, ne domina occideretur, videri dominam occidisse. Non est, mihi crede, non est servilis animi, egregium factum fama sceleris emisse. Vettius, praetor Marsorum, duce- 5 batur ad Romanum imperatorem. servus eius gladium militi ipsi, a quo trahebatur, eduxit et primum dominum occidit, deinde: *tempus est, inquit, me et mihi consulere: iam dominum manumisi.* atque ita se uno ictu traiecit.

Da mihi quemquam, qui magnificentius dominum servaverit.

1 XXIV. Corfinium Caesar obsidebat. tenebatur inclusus Domitius: imperavit medico eidemque servo suo, ut sibi venenum daret. Cum tergiversantem videret, *quid cunctaris*, inquit, *tamquam tua in potestate totum istud sit? mortem rogo armatus*. Tum ille promisit et medicamentum innoxium bibendum illi dedit. quo cum sopitus esset, accessit ad filium eius: *iube*, inquit, *me adservari, dum ex eventu intellegas, an venenum patri tuo dederim*. Vixit Domitius et servatus a Caesare est. prior tamen illum servus servaverat.

1 XXV. Bello civili proscriptum dominum servus abscondit et, cum anulos eius sibi aptasset ac vestem induisset, speculatoribus occurrit nihilque se deprecari, quo minus imperata peragerent, dixit et deinde cervicem porrexit. Quanti viri est pro domino eo tempore mori velle, quo erat rara fides dominum mori nolle? in publica crudelitate mitem inveniri, in publica perfidia fidelem? cum praemia proditoris ingentia ostendantur, praemium fidei mortem concupiscere?

1 XXVI. Nostri seculi exempla non praeteribo. Sub Tiberio Caesare fuit accusandi frequens et paene publica rabies, quae omni civili bello gravius togatam civitatem confecit: excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium. nihil erat tutum. omnis saeviendi placebat occasio. nec iam reorum expectabatur eventus, cum esset unus. Coenabat Paulus praetorius in convivio quodam imaginem Tiberii Caesaris habens ectypam et eminentem  
2 gemma. Rem ineptissimam fecero, si nunc verba quaesiero, quemadmodum dicam illum matelam sumpsisse. quod factum simul et Maro ex notis illius temporis vestigatoribus notavit, et servus eius, quando nectebantur insidiae, ei ebrio anulum extraxit. et cum Maro convivas testaretur admotam esse imaginem obscoenis et iam subscriptionem conponeret, ostendit in manu sua servus anulum. Si quis hunc servum vocat, et illum convivam vocabit.



XXVII. Sub divo Augusto nondum hominibus verba 1  
sua periculosa erant, iam molesta. Rufus, vir ordinis  
senatorii, inter coenam optaverat, „ne Caesar salvus re-  
diret ex ea peregrinatione quam parabat.“ et adiecerat  
„idem omnes et tauros et vitulos optare.“ Fuerunt qui  
illa diligenter audirent. Ut primum diluxit, servus qui  
coenanti ad pedes steterat, narrat quae inter coenam  
ebrius dixisset et hortatur, ut Caesarem occupet atque  
ipse se deferat. Usus consilio descendenti Caesari oc- 2  
currit et, cum malam mentem habuisse se pridie iuras-  
set, id ut in se et in filios suos recideret, optavit et Cae-  
sarem, ut ignosceret sibi rediretque in gratiam secum,  
rogavit. Cum dixisset se Caesar facere: „nemo, inquit, 3  
credet te mecum in gratiam redisse, nisi aliquid mihi  
donaveris,“ petitque non fastidiendam a propitio sum-  
mam et inpetravit. Caesar ait: „Mea causa dabo operam,  
ne umquam tibi irascar.“ Honestè fecit Caesar, quod 4  
ignovit, quod liberalitatem clementiae adiecit. quicum-  
que hoc audierit exemplum, necesse est Caesarem lau-  
det, sed cum servum ante laudaverit. Non exspectas, ut  
tibi narrem manumissum, qui hoc fecerat. nec tamen  
gratis: pecuniam pro libertate eius Caesar numeraverat.

XXVIII. Post tot exempla num est dubium, quin be- 1  
neficio aliquando a servo dominus accipiat? Quare  
potius persona rem minuat quam personam res ipsa co-  
honestet? eadem omnibus principia eademque origo, ne-  
mo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium et artibus  
bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt et nomina 2  
familiae suae longo ordine ac multis stemmatum inligata  
flexuris in parte prima aedium collocant, non noti magis  
quam nobiles sunt? Unus omnium parens mundus est:  
sive per splendidos sive per sordidos gradus ad hunc  
prima cuiusque origo perducitur. Non est quod te isti  
decipiant, qui, cum maiores suos recensent, ubicumque  
nomen illustre fecit [*illorum vel fortuna vel virtus, suam*  
*superbiam*] illo fulciunt. Neminem despexeris, etiamsi 3  
circa illum obsoleta sunt nomina et parum indulgente  
adiuta fortuna, sive libertini ante vos habentur sive servi

sive exterarum gentium homines. Erigite audacter animos et quicquid in medio sordidi iacet transsilite: exspectat vos in summo magna nobilitas. Quid superbia in tantam vanitatem adtollimur, ut beneficia a servis indignemur accipere et sortem eorum spectemus obliti meritum? Servum tu quemquam vocas libidinis et gulae servus et adulterae, immo adulterarum commune mancipium? Servum vocas quemquam tu? Quo tandem ab istis gerulis raperis cubile istud tuum circumferentibus? quo te penulati isti in militum [et] quidem non volgarem cultum subornati, quo, inquam, te isti efferunt? ad ostium alicuius ostiarii, ad hortos alicuius ne ordinarium quidem habentis officium: et deinde negas tibi a servo tuo beneficium dari posse, cui osculum alieni servi beneficium est? Quae est tanta animi discordia? eodem tempore servos despicias et colis, imperiosus intra limen atque inpotens, humilis foris et tam contemptus quam contemnens: neque enim ulli magis abiciunt animos quam qui inprobe tollunt nullique ad calcandos alios paratiores quam qui contumelias facere accipiendo didicerunt.

1 XXIX. Dicenda haec fuerunt ad contundendam insolentiam hominum ex fortuna pendentium vindicandumque ius beneficii dandi servis, ut filiis quoque vindicaretur. quaeritur enim, an aliquando liberi maiora beneficia dare parentibus suis possint, quam acceperint.

2 Illud conceditur multos filios maiores potentioresque exstitisse quam parentes suos. aequae et illud, meliores fuisse. quod si constat, potest fieri, ut meliora tribuerint, cum et fortuna illis maior esset et melior voluntas.

3 „Quicquid, inquit, est, quod det patri filius, utique minus est, quia hanc ipsam dandi facultatem patri debet. Ita numquam beneficio vincitur, cuius beneficium est ipsum, quod vincitur.“ Primum quaedam initium ab aliis trahunt et tamen initiis suis maiora sunt, nec ideo aliquid non est maius eo quo coepit, quia non potuisset in tantum procedere, nisi coepisset. Nulla non res principia

sua magno gradu transit. Semina omnium rerum causae sunt et tamen minimae partes sunt eorum, quae gignunt. Adspice Rhenum, adspice Euphraten, omnes denique inclitos amnes: quid sunt, si illos illic unde effluunt aestimes? quicquid est quo timentur, quo nominantur, in processu paraverunt. †† Adspice trabes, sive proceritatem aestimes, altissimas, sive crassitudinem spatiumque ramorum, latissime fusas: quantulum est his comparatum illud, quod radix tenui fibra complectitur? † tolle radicem: nemora non surgent nec tanti montes vestientur. † Innituntur fundamentis suis templa et illa urbis moenia: tamen quae in firmamentum totius operis iacta sunt, latent. Idem in ceteris evenit: principia sua semper sequens magnitudo obruet. Non potuissem quicquam consequi, nisi parentum beneficium antecessisset: sed non ideo quicquid consecutus sum, minus est eo, sine quo consecutus non essem. Nisi me nutrix aluisset infantem, nihil eorum, quae consilio ac manu gero, facere potuissem nec in hanc emergere nominis claritatem, quam civili ac militari industria merui: numquid tamen ideo maximis operibus praeferes nutricis officium? aut quicquam interest, cum aeque sine patris beneficio quam sine nutricis non potueris ad ulteriora procedere? Quod si initio meo quicquid iam possum debeo, cogita non esse initium mei patrem, nec avum quidem. semper enim erit ulterius aliquid, ex quo originis proximae origo descendat: atqui nemo dicet me plus debere ignotis et ultra memoriam positis maioribus quam patri. plus autem debeo, si hoc ipsum, quod genuit me pater meus, maioribus debet.

XXX. „Quicquid praestiti patri, etiamsi magnum est, infra aestimationem paterni muneris est, quia non essem, si non genuisset.“ Isto modo etiam, si quis patrem meum aegrum ac moriturum sanaverit, nihil praestare ei potero, quod non beneficio eius minus sit: non enim genuisset me pater, nisi sanatus esset. sed vide, ne illud verius sit aestimari, an id quod potui et id quod feci, meum sit, mearum virium, meae voluntatis. Illud quod natus sum,

per se intuere quale sit: animadvertis exiguum et incertum et boni malique communem materiam, sine dubio primum ad omnia gradum, sed non ideo maiorem omnibus, 3 quia primus est. Servavi patrem et ad summam provexi dignitatem et principem urbis suae feci. nec tantum rebus a me gestis nobilitavi, sed ipsi quoque gerendarum ingentem ac facilem nec tutam minus quam gloriosam dedi materiam. honores, opes, quicquid humanos ad se animos rapit, congessi: et cum supra omnes starem, infra 4 illum steti. Dic nunc: „hoc ipsum, quod ista potuisti, patris munus est.“ respondebo tibi: „est prorsus, si ad ista facienda nasci satis est. sed si ad bene vivendum minima portio est vivere et id tribuisti, quod cum feris mihi et animalibus quibusdam minimis, quibusdam etiam foedissimis commune est: noli tibi adserere, quod non ex tuis beneficiis, etiam sine tuis oritur.“

1 XXXI. Puta me vitam pro vita reddidisse: sic quoque munus tuum vici, cum ego dederim sentienti, cum sentiens me dare, cum vitam tibi non voluptatis meae causa aut certe per voluptatem dederim, cum tanto maius sit retinere spiritum quam accipere, quanto levius mori ante 2 mortis metum: Ego vitam dedi statim illa usuro: tu nescituro an viveret. ego vitam dedi mortem timenti: tu vitam dedisti, ut mori possem. ego vitam tibi dedi consummatam, perfectam: tu me expertem rationis genuisti, 3 onus alienum. Vis scire, quam non sit magnum beneficium vitam sic dare? exposuisses: nempe iniuria erat genuisse. Quo quidem colligo minimum esse beneficium patris matrisque concubitus, nisi accesserint alia quae prosequerentur hoc initium muneris et aliis officiis ratum 4 facerent. Non est bonum vivere, sed bene vivere: at bene vivo, sed potui et male: ita hoc tantum est tuum, quod vivo. Si vitam inputas mihi per se, nudam, egentem consilii et id ut magnum bonum iactas: cogita te mihi 5 inputare muscarum ac vermium bonum. Deinde ut nihil aliud dicam quam bonis artibus me studuisse, ut cursum ad rectum iter vitae dirigerem, in ipso beneficio tuo maius quam quod dederas recepisti. tu enim me mihi rudem

et inperitum dedisti, ego tibi filium, qualem genuisse gauderes.

XXXII. Aluit me pater. Si idem praesto, plus reddo, 1  
quia non tantum ali se, sed a filio ali gaudet et maiorem  
ex animo meo quam ex ipsa re percipit voluptatem. illius  
alimenta ad corpus tantum meum pervenerunt. Quid si 2  
quis in tantum processit, ut aut eloquentia per gentes  
notesceret aut iustitia aut bellicis rebus et patri quoque  
ingentem circumfunderet famam tenebrasque natalium  
suorum clara luce discuteret: non inaestimabile in paren-  
tes suos beneficium contulit? An quisquam Aristonem 3  
et Gryllum nisi propter Xenophontem ac Platonem filios  
nosset? Sophroniscum Socrates exspirare non patitur.  
ceteros enumerare longum est, qui durant ob nullam  
aliam causam, quam quod illos liberorum eximia virtus  
tradidit posteris. Utrum maius beneficium dedit M. Agrip- 4  
pae pater ne post Agrippam quidem notus, an patri de-  
dit Agrippa navali corona insignis unicum adeptus inter  
dona militaria decus? qui tot in urbe maxima opera exci-  
tavit, quae et priorem magnificentiam vincerent et nulla  
postea vincerentur? Utrum Octavius maius ullum bene- 5  
ficiam dedit filio an patri divus Augustus, quamvis illum  
umbra adoptivi patris abscondit? quantam cepisset vo-  
luptatem, si illum post debellata arma civilia vidisset se-  
curae paci praesidentem non adgnosens bonum suum  
nec satis credens, quotiens respexisset ad se, potuisse  
illum virum in domo sua nasci? Quid nunc ceteros per-  
sequar, quos iam consumpsisset oblivio, nisi illos filio-  
rum gloria e tenebris eruisset et adhuc in luce retineret?  
Deinde cum quaeramus non quis filius patri maiora bene- 6  
ficia reddiderit quam a patre acceperat, sed an possit  
aliquis maiora reddere: etiamsi quae retuli exempla non-  
dum satisfaciunt nec beneficia parentum suorum super-  
iaciunt, capit tamen hoc natura, quod nondum ulla aetas  
tulit. Si singula paternorum meritorum magnitudinem  
exsuperare non possunt, plura in unum congesta supe-  
rabunt.

XXXIII. Servavit in proelio patrem Scipio et prae- 1

- textatus in hostes equum concitavit: parum est, quod ut perveniret ad patrem, tot pericula maximos duces cum maxime prementia contempsit, tot obpositas difficultates, quod ad primam pugnam exiturus tiro per veteranorum
- 2 corpora cucurrit, quod annos suos transsilivit. Adice ut idem patrem reum defendat et conspirationi inimicorum potentium eripiat, ut alterum illi consulatum ac tertium aliosque honores etiam consularibus concupiscendos congerat, ut pauperi raptas belli iure opes tradat et, quod est militaribus viris speciosissimum, divitem illum spoliis
- 3 etiam hostilibus faciat. Si adhuc parum est, adice ut provincias et extraordinaria imperia continuet. adice ut dirutis maximis urbibus Romani imperii sine aemulo ad ortus occasusque venturi defensor et conditor maiorem nobilitatem nobili viro adiciat, dici Scipionis patrem: [*an*] dubium est, quin generandi vulgare beneficium vicerit eximia pietas et virtus ipsi urbi nescio utrum maius praesidium adferens an decus? Deinde, si hoc parum est,
- 4 finge aliquem tormenta patris discussisse, finge in se transtulisse. Licet tibi in quantum velis extendere beneficia filii, cum paternum munus et simplex sit et facile, *et danti voluptarium*, quod necesse est ille multis dederit, etiam quibus dedisse se nescit, in quo consortem habet, in quo spectavit legem patriam, praemia patrum, domus ac familiae perpetuitatem, omnia potius quam eum, cui
- 5 dabat. Quid si quis sapientiam consecutus hanc patri tradiderit, etiam nunc disputabimus an maius aliquid dederit quam acceperat, cum vitam beatam patri reddiderit, acceperit tantum vitam?
- 1 XXXIV. „Sed patris, inquit, beneficium est quicquid praestare illi potes.“ Et praeceptoris mei, quod institutis liberalibus profeci. ipsos tamen, qui tradiderunt illa, transcendimus, utique eos, qui prima elementa docuerunt, et quamvis sine illis nemo quicquam adsequi posset, non tamen quantumcumque quis adsecutus est, infra illos est. Multum inter prima ac maxima interest. nec ideo prima maximorum instar sunt, quia sine primis maxima esse non possunt.

XXXV. Iam tempus est quaedam ex nostra, ut ita 1  
dicam, moneta proferri. Qui id beneficium dedit, quo  
est aliquid melius, potest vinci. pater dedit filio vitam.  
est autem aliquid vita melius: ita pater vinci potest, quia,  
dedit beneficium, quo est aliquid melius. Etiamnunc qui 2  
dedit alicui vitam, si semel et iterum liberatus est mortis  
periculo, maius accepit beneficium quam dedit. pater  
autem vitam dedit: potest ergo, si saepius periculo mor-  
tis liberatus a filio fuerit, maius beneficium accipere quam  
dedit. Qui beneficium accipit, maius accipit, quo magis 3  
eo indiget. magis autem indiget vita, qui vivit, quam qui  
natus non est, ut qui ne indigere quidem omnino possit:  
maius ergo beneficium accipit pater, si vitam a filio ac-  
cipit, quam filius a patre, quod natus est. „Patris be- 4  
neficia vinci a filii beneficiis non possunt. quare? quia  
vitam accepit a patre: quam nisi accepisset, nulla dare  
beneficia potuisset.“ Hoc commune est patri cum omni-  
bus, qui vitam alicui dederunt. non potuissent enim re-  
ferre gratiam, nisi vitam accepissent: ergo nec medico  
in maius gratia referri potest. solet enim medicus vitam  
dare. nec nautae, si naufragum sustulit. atqui et horum  
et aliorum, qui aliquo modo nobis vitam dederunt, be-  
neficia vinci possunt: ergo et patrum possunt. Si quis 5  
mihî beneficium dedit, quod multorum beneficiis ad-  
iuvandum esset, ego autem illi beneficium dedi id[em],  
quod nullius egeret adiutorio, maius dedi quam accepi.  
pater filio vitam dedit perituram, nisi multa accessissent  
quae illam tuerentur. filius patri si dedit vitam, dedit  
eam, quae nullius desideraret auxilium in hoc, ut per-  
maneret: ergo maius beneficium accepit a filio pater, qui  
vitam accepit, quam ipse illi dedit.

XXXVI. Haec non destruunt parentum venerationem 1  
nec deteriores illis liberos faciunt, immo etiam meliores:  
natura enim gloriosa virtus est et anteire priores cupit.  
Alacrior erit pietas, si ad reddenda beneficia cum vin-  
cendi spe venerit. Ipsis patribus id volentibus laetisque  
contigerit, quoniam pleraque sunt, in quibus nostro bono  
vincimur. Unde certamen tam optabile? unde tantam se- 2

licitatem parentibus, ut fateantur [se] ipsos liberorum beneficiis inpares? nisi hoc ita iudicamus, excusationem damus liberis et illos signiores ad referendam gratiam facimus, quibus stimulos adicere debemus et dicere: hoc agite, optimi iuvenes. proposita est inter parentes ac liberos honesta contentio, dederint maiora an receperint. Non ideo vicerunt, quia occupaverunt. sumite modo animum qualem decet et deficere nolite: vincetis optantes. nec desunt tam pulchro certamini duces, qui ad similia vos cohortentur ac per vestigia sua ire ad victoriam saepe iam partam ex parentibus iubeant.

1 XXXVII. Vicit Aeneas patrem, ipse eius in infantia leve tutumque gestamen, gravem senio per media hostium agmina et per cadentis circa se urbis ruinas ferens, cum complexus sacra ac penates deos religiosus senex non simplici vadentem sarcina premeret. tulit illum per ignes, et (quid non pietas potest?) pertulit colendumque  
 1 inter conditores Romani imperii posuit. Vicere Siculi iuvenes: cum Aetna maiore vi peragitata in urbes, in agros, in magnam insulae partem effudisset incendium, vexerunt parentes suos. discessisse creditum est ignes et utrimque flamma recedente limitem adapertum, per quem transcurrerent iuvenes dignissimi, qui magna tuto  
 3 auderent. Vicit Antigonus: qui cum ingenti proelio superasset hostem, praemium belli ad patrem transtulit et imperium illi Cypri tradidit. hoc est regnum, nolle regnare, cum possis. Vicit patrem imperiosum quidem  
 4 Manlius: qui cum ante ad tempus relegatus esset a patre ob adolescentiam brutam et hebetem, ad tribunum plebis, qui patri suo dixerat diem, venit petitoque tempore, quod ille dederat sperans fore proditorem parentis invisi, et bene meruisse se de iuvene credebat, cuius exilium pro gravissimo crimine inter alia Manlio obiciebat, nactus adolescens secretum stringit occultatum sinu ferrum et, *nisi iuras, inquit, te diem patri remissurum, hoc te gladio transfodiam. in tua potestate est, utro modo pater meus accusatorem non habeat.* Iuravit tribunus, nec fefellit et causam actionis remissae concioni red-



didit. Nulli alii licuit inpune tribunum in ordinem redigere.

XXXVIII. Alia ex aliis exempla sunt eorum, qui parentes suos periculis eripuerunt, qui ex infimo ad summa protulerunt et e plebe acervoque ignobili numquam taceos seculis dederunt. Nulla vi verbosum, nulla ingenii facultate exprimi potest, quantum opus sit, quam laudabile quamque numquam a memoria hominum exiturum, posse hoc dicere: „parentibus meis parui, cessi. imperio eorum, sive aequum sive iniquum ac durum fuit, obsequentem submissumque me praebui. ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis vincerer.“ Certate, obsecro vos, et fessi quoque restituite aciem. Felices qui vicerint, felices qui vincuntur. Quid eo adulescente praeclarius, qui sibi ipsi dicere poterit (neque enim fas est alteri dicere): patrem meum beneficiis vici? Quid eo fortunatius sene, qui omnibus ubique praedicabit a filio suo se beneficiis victum? Quid autem est felicius quam ibi cedere?

---

## L. ANNAEI SENECAE

AD AEBUTIUM LIBERALEM

# DE BENEFICIIS

LIBER IV.

---

I. Ex omnibus quae tractavimus, Aebuti Liberalis, potest videri nihil tam necessarium aut magis, ut ait Sallustius, cum cura dicendum quam quod in manibus est: an beneficium dare et invicem gratiam referre per se res expetendae sint. Inveniuntur qui honesta in mercedem colant quibusque non placeat virtus gratuita: quae nihil habet in se magnificentum, si quicquam venale. Quid enim est turpius quam aliquem computare, quanti vir bonus sit, cum virtus nec lucrum

invitet nec absterreat damno adeoque neminem spe ac pollicitatione corrumpat, ut contra inpendere in se iubeat et saepius in ultro tributis sit? Calcatis utilitatibus ad illam eundum est, quocumque vocavit, quocumque misit, sine respectu rei familiaris. interdum etiam sine ulla sanguinis sui parsimonia vadendum nec unquam imperium eius detractandum. „Quid consequar, inquit, si hoc fortiter, si hoc grate fecero?“ Quod feceris: nihil tibi extra promittitur. si quid forte obvenerit commodi, inter accessiones numerabis. rerum honestarum pretium in ipsis est. Si honestum per se expetendum est, beneficium autem honestum est, non potest alia eius condicio esse, cum eadem natura sit. Per se autem expetendum esse honestum saepe et abunde probatum est.

1 II. In hac parte nobis pugna est cum Epicureorum delicata et umbratica turba in convivio suo philosophantium. apud quos virtus voluptatum ministra est: illis paret, illis deservit, 2 illas supra se videt. „Non est, inquis, voluptas sine virtute.“ Sed quare ante virtutem est? De ordine putas disputationem esse? de re tota et de potestate eius ambigitur. non est virtus, si sequi potest. primae partes eius sunt: ducere debet, imperare, summo loco stare: 3 tu illam iubes signum petere. „Quid, inquit, tua refert? et ego sine virtute nego beatam vitam posse constare. Ipsam voluptatem quam sequor, cui me emancipavi, remota illa inprobo et damno.“ De hoc uno disputatur, utrum virtus summi boni causa sit an ipsa summum bonum. Ut hoc unum quaeratur, ordinis tantum existimas mutationem? ista vero confusio est et manifesta caecitas 4 primis postrema praeferre. Non indignor, quod post voluptatem ponitur virtus, sed quod omnino cum voluptate conferatur contemptrix eius et hostis et longissime ab illa resiliens, labori ac dolori familiarior, virilibus incommodis, quam isti effeminato bono.

1 III. Inserenda haec, mi Liberalis, fuerunt, quia beneficium, de quo nunc agitur, dare virtutis est et turpissimum id causa ullius alterius rei dare, quam ut datum

sit. Nam si recipiendi spe tribueremus, locupletissimo cuique, non dignissimo daremus. nunc vero diviti inportuno pauperem praeferamus. non est beneficium quod ad fortunam spectat. Praeterea, si ut prodessemus sola nos 2 invitaret utilitas, minime beneficia distribuere deberent, qui facillime possent, locupletes et potentes et reges aliena ope non indigentes. di vero tot munera, quae sine intermissione diebus ac noctibus fundunt, non darent. in omnia enim illis natura sua sufficit plenosque et tutos et inviolabiles praestat: nulli ergo beneficium dabunt, si una dandi causa est se intueri ac suum commodum. Istud non beneficium, sed 3 fenus est, circumspicere non ubi optime ponas, sed ubi quaestuosissime habeas, unde facillime tollas. quod cum longe a dis remotum sit, sequitur uti liberales sint: nam si una beneficii dandi causa sit dantis utilitas (nulla autem ex nobis utilitas deo speranda est), nulla deo dandi beneficii causa est.

IV. Scio quid hoc loco respondeatur: „itaque non 1 dat deus beneficia, sed securus et neglegens nostri, aversus a mundo aliud agit aut, quae maxima Epicuro felicitas videtur, nihil agit nec magis illum beneficia quam iniuriae tangunt.“ Hoc qui dicit non exaudit precantium 2 voces et undique sublatis in coelum manibus vota facientium privata ac publica. quod profecto non fieret nec in hunc furorem omnes mortales consensissent adloquendi surda numina et inefficaces deos, nisi nossemus illorum beneficia nunc oblata ultro, nunc orantibus data, magna, tempestiva, ingentes minas interventu suo solventia. Quis 3 est autem tam miser, tam neglectus, quis tam duro fato et in poenam genitus, ut non tantam deorum munificentiam senserit? Ipsos illos conplorantes sortem suam et querulos circumspice: invenies non ex toto beneficiorum coelestium expertes, neminem esse, ad quem non aliquid ex illo benignissimo fonte manaverit. Parum est autem id, quod nascentibus ex aequo distribuitur? ut quae sequuntur inaequali dispensata mensura transeamus, parum dedit natura, cum se dedit?

- 1 V. „Non dat deus beneficia.“ Unde ergo ista quae possides? quae das? quae negas? quae servas? quae rapis? unde haec innumerabilia oculos, aures, animum mulcentia? unde illa quoque luxuriam instruens copia? neque enim necessitatibus tantummodo nostris  
2 provisum est: usque in delicias amamur. Tot arbusta non uno modo frugifera, tot herbae salutare, tot varietates ciborum per totum annum digestae, ut inertiquoque fortuita terrae alimenta praeberent. Iam animalia omnis generis, alia in sicco solidoque, alia in humido nascentia, alia per sublime dimissa, ut omnis rerum natura  
3 turae pars tributum aliquod nobis conferret. Flumina haec amoenissimis flexibus campos cingentia, illa praebitura in commercia viam vasto et navigabili cursu vadentia, ex quibus quaedam statis diebus mirabile incrementum trahunt, ut arida et ferventi subiecta coelo loca subita vis aestivi torrentis inriget. Quid medicatorum torrentium venae? quid in ipsis litoribus aquarum calentium exundatio?

*Te, Lari maxime, teque,  
fluctibus et fremitu adsurgens Benace marino.*

- 1 VI. Si pauca quis tibi donasset iugera, accepisse te diceres beneficium: immensa terrarum late patentium spatia negas esse beneficium? Si pecuniam tibi aliquis donaverit et arcam tuam, quoniam id tibi magnum videtur, inpleverit, beneficium vocabis: tot metalla defodit, tot flumina emisit terra, super quam decurrunt solidum aurum  
2 ventia. argenti, aeris, ferri inmane pondus omnibus locis obrutum, cuius investigandi tibi facultatem dedit ac latentium divitiarum in summa terra signa disposuit: negas te accepisse beneficium? Si domus tibi donetur, in qua marmoris aliquid resplendeat et tectum nitidius auro aut coloribus sparsum, non mediocre munus vocabis: ingens tibi domicilium sine ullo incendii aut ruinae metu struxit, in quo vides non tenues crustas et ipsa qua secantur lamina graciliores, sed integras lapidis pretiosissimi moles, sed totas variae distinctaeque materiae, cuius tu parvula frustra miraris, tectum vero aliter nocte;

aliter interdiu fulgens: negas te ullum munus accepisse? Et cum ista, quae habes, magno aestimes, quod est in-3 grati hominis, nulli debere te iudicas? Unde tibi istum quem trahis spiritum? unde istam, per quam actus vitae tuaedisponis atque ordinas, lucem? unde sanguinem, cuius cursu vitalis continetur calor? unde ista palatum tuum saporibus exquisitis ultra satietatem lacescentia? unde haec inritamenta iam lassae voluptatis? unde ista quies, in qua putrescis ac marces? Nonne, si gratus es, dices: 4

*Deus nobis haec otia fecit.*

*Namque erit ille mihi semper deus, illius aram*

*Saepe tener nostris ab ovilibus inbuet agnus.*

*Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum*

*Ludere quae vellem calamo permisit agresti.*

Ille deus est non qui paucas boves, sed qui per totum 5 orbem armenta dimisit, qui gregibus ubique passim vagantibus pabulum praestat, qui pascua hibernis aestivalia substituit, qui non calamo tantum cantare et agreste atque inconditum carmen ad aliquam tamen observationem modulari docuit, sed tot artes, tot vocum varietates, tot sonos, alios spiritu nostro, alios externo cantus edituros commentus est. Neque enim nostra ista quae invenimus 6 dixeris, non magis, quam quod crescimus, quam quod ad constitutum temporum sua corpori officia respondent: nunc puerilium dentium lapsus, nunc ad surgentem iam aetatem et in robustiorem gradum transeuntem pubertas et ultimus ille dens surgenti iuventae terminum ponens. Insita sunt nobis omnium aetatum omniumque artium semina magisterque ex occulto deus producit ingenia.

VII. „Natura, inquit, haec mihi praestat.“ Non in-1 tellegis te, cum hoc dicis, mutare nomen deo? quid enim aliud est natura quam deus et divina ratio toti mundo partibusque eius inserta? Quotiens voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare: et Iovem illum optimum ac maximum rite dices et tonantem et statorem. qui non, ut historici tradiderunt, ex eo quod post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quod stant beneficio eius omnia, stator stabilitor-

2 que est. Hunc eundem et fatum si dixeris, non mentieris. nam cum fatum nihil aliud sit quam series inplexa causarum, ille est prima omnium causa, ex qua ceterae pendunt. Quaecumque voles illi nomina proprie aptabis vim aliquam effectumque coelestium rerum continentia: tot adpellationes eius possunt esse quot munera.

1 VIII. Hunc et Liberum patrem et Herculem ac Mercurium nostri putant. Liberum patrem, quia omnium parens sit, quod primum inventa seminum vis est\*\* consultura per voluptatem. Herculem, quia vis eius invicta sit, quandoque lassata fuerit operibus editis, in ignem  
2 recessura. Mercurium, quia ratio penes illum est numerusque et ordo et scientia. Quocumque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. nihil ab illo vacat: opus suum ipse inplet. Ergo nihil agis, ingratisse mortalium, qui te negas deo debere, sed naturae: quia nec natura sine deo est nec deus sine natura, sed idem est  
3 utrumque, [nec] distat officio. Si, quod a Seneca accepisses, Annaeo te debere diceres vel Lucio, non creditorem mutares, sed nomen, quoniam sive praenomen eius sive nomen dixisses sive cognomen, idem tamen ille esset: sic nunc naturam voca, fatum, fortunam, omnia eiusdem dei nomina sunt varie utentis sua potestate. Et iustitia, probitas, prudentia, fortitudo, frugalitas unius animi bona sunt: quicquid horum tibi placuit, animus placet.

1 IX. Sed ne aliam disputationem ex obliquo habeam, plurima beneficia ac maxima in nos deus confert sine spe recipiendi, quoniam nec ille collato eget nec nos ei quicquam conferre possumus: ergo beneficium per se expetenda res est. una spectatur in eo accipientis utilitas. ad  
2 hanc accedamus sepositis commodis nostris. „Dicitis, inquit, diligenter eligendos quibus beneficia demus, quia ne agricolae quidem semina arenis committant. quod si verum est, nostram utilitatem in beneficiis dandis sequimur, quemadmodum in arando serendoque: neque enim serere per se res expetenda est. Praeterea quaeritis, cui detis beneficium: quod non esset faciendum, si per se

beneficium dare expetenda res esset. *alioqui* enim quocumque loco et quocumque modo daretur, beneficium 3 erat.“ Honestum propter nullam aliam causam quam propter ipsum sequimur. tamen etiamsi nihil aliud sequendum est, quaerimus quid faciamus et quando et quemadmodum: per haec enim constat. Itaque cum eligo cui dem beneficium, id ago ut quandoque beneficium sit: quia si turpi datur, nec honestum esse potest nec beneficium.

X. Depositum reddere per se res expetenda est, non 1 tamen semper reddam, nec quolibet loco nec quolibet tempore. aliquando nihil interest utrum infitier an palam reddam: intuebor utilitatem eius, cui redditurus sum et nociturum illi depositum negabo. Idem in beneficio fa- 2 ciam: videbo quando dem, cui dem, quemadmodum, quare. nihil enim sine ratione faciendum est. non est autem beneficium nisi quod ratione datur, quoniam ratio omnis honesti comes est. Quam saepe hominum dona- 3 tionem suam inconsultam obiurgantium hanc exaudimus vocem: „malletm perdidisse quam illi dedisse?“ Turpissimum genus damni est inconsulta donatio multoque gravius male dedisse beneficium quam non recepisse. aliena enim culpa est, quod non recepimus: quod cui daremus non elegimus, nostra. In electione nihil minus quam hoc 4 quod tu existimas spectabo, a quo recepturus sim. eligo enim eum, qui gratus, non qui redditurus sit: saepe autem et non redditurus gratus est et ingratus qui reddidit. Ad animum tendit aestimatio mea. ideo locupletem, 5 sed indignum praeteribo: pauperi viro bono dabo. erit enim in summa inopia gratus et cum omnia illi deerunt, supererit animus.

XI. Non lucrum ex beneficio capto, non voluptatem, 1 non gloriam. uni placere contentus in hoc dabo, ut quod oportet faciam. quod oportet autem non est sine electione: quae qualis futura sit interrogas? Eligam virum integrum, simplicem, memorem, gratum, alieni abstinentem, sui non avare tenacem, benevolum. hunc ego cum elegero, licet nihil illi fortuna tribuat, ex quo re-

- 2 ferre gratiam possit, ex sententia res gesta erit. Si utilitas me et sordida computatio liberalem facit, si nulli prosum, nisi ut invicem ille mihi prosit, non dabo beneficium proficiscenti in diversas longinquasque regiones, abfuturo semper. non dabo sic adfecto, ut spes ei nulla sit convalescendi. non dabo ipse deficiens, non
- 3 enim habeo recipiendi tempus. Atqui ut scias rem per se expetendam esse benefacere, advenis modo in nostrum delatis portum et statim abituris succurrimus. ignoto naufrago navem, qua revehatur, et damus et struimus. discedit ille vix satis noto salutis auctore et numquam amplius in conspectum nostrum reversurus debitores nobis deos delegat precaturque, illi pro se gratiam reddant: interim nos iuvat sterilis beneficii conscientia.
- 4 Quid cum in ipso vitae fine constitimus, cum testamentum ordinamus, non beneficia nihil nobis profutura dividimus? quantum temporis consumitur, quamdiu secreto agitur, quantum et quibus demus? quid enim
- 5 terest, quibus demus a nullo recepturi? Atqui numquam diligentius damus, numquam magis iudicia nostra torquemus, quam ubi remotis utilitatibus solum ante oculos honestum stetit, tamdiu officiorum mali iudices, quamdiu illa depravat spes ac metus et inertissimum vitium, voluptas: ubi mors interclusit omnia et ad ferendam sententiam incorruptum iudicem misit, quaerimus dignissimos, quibus nostra tradamus nec quicquam cura sanctiore conponimus quam quod ad nos non pertinet.
- 6 Ac mehercule tunc magna voluptas subit cogitantem: hunc ego locupletiores faciam et huius dignitati adiectis opibus aliquid splendoris adfundam. Si non damus beneficia nisi recepturi, intestatis moriendum sit.
- 1 XII. „Dicitis, inquit, beneficium creditum insolubile esse: creditum autem non est res per se expetenda.“ Cum creditum dicimus, imagine et translatione utimur. sic enim et legem scimus iusti iniustique regulam esse: et regula non est res per se expetenda. ad haec verba demonstrandae rei causa descendimus: cum dico creditum, intellegitur tamquam creditum. vis scire? adicio



insolubile, cum creditum nullum non solvi aut possit aut debeat. Adeo beneficium utilitatis causa dandum non 2 est, ut saepe, quemadmodum dixi, cum damno aut periculo dandum sit. Sic latronibus circumventum defendo, ut tuto transire permittatur. reum gratia laborantem tueor et hominum potentium factionem in me converto, quas illi detraxero sordes, sub accusatoribus isdem fortasse sumpturus, cum abire in partem alteram possim et securus spectare aliena certamina. spondeo pro iudicio 3 et suspensis amici bonis libellum deicio creditoribus eius me obligaturus. ut possim servare proscriptum, ipse proscriptionis periculum adeo. Nemo Tusculanum aut Tiburtinum paraturus salubritatis causa et aestivi secessus quoto annuo empturus sit disputat: cum emerit, tuendum est. Eadem in beneficio ratio est. nam cum 4 interrogaveris, quid reddat, respondebo: bonam conscientiam. Quid reddat beneficium? dic tu mihi, quid reddat iustitia, quid innocentia, quid magnitudo animi, quid pudicitia, quid temperantia, si quicquam praeter ipsas, *ipsas* non petis. In quid mundus vices suas absolvit? in quid sol diem extendit et contrahit? omnia ista beneficia sunt. fiunt enim nobis profutura. Quomodo mundi officium est circumagere rerum ordinem, quomodo solis, loca mutare ex quibus oriatur, in quae cedat, et haec salutaria nobis facere sine praemio: ita viri officium est inter alia et beneficium dare. Quare ergo dat? ne non det, ne occasionem benefaciendi perdat.

XIII. Vobis voluptas est inertis otii, facere corpusculum et securitatem sopitis simillimam adpetere et sub densa umbra latitare tenerrimisque cogitationibus, quas tranquillitatem vocatis, animi marcentis oblectare torporem et cibis potionibusque intra hortorum latebram corpora ignavia pallentia saginare: nobis voluptas est dare 2 beneficia vel laboriosa, dum aliorum labores levent, vel periculosa, dum alios periculis extrahant, vel rationes nostras adgravatura, dum aliorum necessitates et angustias laxent. Quid mea interest an recipiam beneficia? 3 etiam cum recepero, danda sunt. Beneficium eius com-

modum spectat, cui praestatur, non nostrum: alioquin nobis illud damus. itaque multa, quae summam utilitatem aliis adferunt, pretio gratiam perdunt. Mercator urbibus prodest, medicus aegris, mango venalibus. sed omnes isti, quia ad alienum commodum pro suo veniunt, non obligant eos, quibus prosunt. Non est beneficium, quod in quaestum mittitur. Hoc dabo et hoc recipiam: auctio est.

- 1 XIV. Non dicam pudicam, quae amatorem ut incenderet repulit, quae aut legem aut virum timuit, ut ait Ovidius:

*Quae, quia non licuit, non dedit, illa dedit.*

- Non inmerito in numerum peccantium refertur, quae pudicitiam timori praestitit, non sibi. Eodem modo qui  
2 beneficium ut reciperet dedit, non dedit. Ergo et nos beneficium damus animalibus, quae aut usui aut alimento futura nutrimus? beneficium damus arbustis, quae colimus, ne siccitate aut inmoli et neglecti soli duritia laborent? Nemo ad agrum colendum ex aequo et bono venit nec ad ullam rem, cuius extra ipsam fructus est.  
3 Ad beneficium dandum non adducit cogitatio avara nec sordida, sed humana, liberalis, cupiens dare etiam cum dederit et augere novis ac recentibus vetera, unum habens propositum, quanto ei cui praestat bono futura sit: alioquin humile est, sine laude, sine gloria prodesse,  
4 quia expedit. Quid magnifici est se amare, sibi parcere, sibi acquirere? ab omnibus istis vera beneficii dandi cupiditas avocatur, ad detrimentum iniecta manu trahit et utilitates relinquit ipso benefaciendi opere laetissima.

- 1 XV. Numquid dubium est, quin contraria sit beneficio iniuria? Quomodo iniuriam facere per se vitanda ac fugienda res est, sic beneficium dare per se expectanda. Illic [nil] turpitudine contra omnia praemia in scelus hortantia valet: ad hoc invitat honesti per se efficacis  
2 species. Non mentiar, si dixero neminem non amare beneficia sua, neminem non ita compositum animo, ut libentius eum videat, in quem multa congestit, cui non causa sit iterum dandi beneficii semel dedisse. quod

non accideret, nisi nos ipsa delectarent beneficia. Quam 3  
 saepe dicentem audias: „non sustineo illum deserere, cui  
 dedi vitam, quem periculo eripui. rogat me ut causam  
 suam contra homines gratiosos agam. nolo: sed quid  
 faciam? iam illi semel iterumque adfui.“ Non vides in-  
 esse isti rei *maximam* quamdam vim, quae nos dare be-  
 neficia cogit? primum quia oportet, deinde quia dedimus.  
 Cui initio ratio non fuisset praestandi aliquid, ei prae- 4  
 stamus ob hoc, quia praestitimus. adeoque ad beneficia  
 nos non impellit utilitas, ut et inutilia tueri ac fovere per-  
 severemus sola beneficii caritate, cui etiam infeliciter  
*nato* indulgere tam naturale quam liberis parvis.

XVI. Iidem isti gratiam referre ipsos fa- 1  
 tentur, non quia honestum est, sed quia utile.  
 quod non esse ita minore opera probandum  
 est, quia quibus argumentis collegimus be-  
 neficium dare per se rem expetendam esse,  
 isdem etiam hoc colligimus. Fixum est illud, a 2  
 quo in cetera probationes nostrae exeunt, honestum ob  
 nullam aliam causam, quam quia honestum sit, coli.  
 Quis ergo controversiam facere audebit, an gratum esse  
 honestum sit? quis non ingratus detestetur, hominem  
 sibi ipsi inutilem? Quid autem? cum tibi narratur adver-  
 sus summa beneficia amici sui ingratus esse, quomodo  
 id fecerit? utrum tamquam rem turpem fecerit an tam-  
 quam rem utilem sibi et profuturam omiserit? puto, ne-  
 quam hominem existimas, cui poena, non cui curatore  
 opus sit. quod non accideret, nisi gratum esse per se  
 expetendum honestumque esset. Alia fortasse minus di- 3  
 gnitatem suam praeferunt et an sint honesta interprete  
 egent: hoc expositum est pulchriusque, quam ut splendor  
 eius dubie ac parum luceat. Quid tam laudabile, quid  
 tam aequaliter in omnium animos receptum quam referre  
 bene meritis gratiam?

XVII. Ad hoc, dic mihi, quae causa nos perducit? 1  
 lucrum? quod qui non contemnit, ingratus est. ambitio?  
 et quae iactatio est solvisse quod debebas? metus? nul-  
 lus ingrato: huic enim uni rei non posuimus legem, tam-

quam satis natura cavisset, quomodo nulla lex amare parentes, indulgere liberis iubet. supervacuum est enim, 2 in quod imus, inPELLI. Quemadmodum nemo in amorem sui cohortandus est, quem adeo dum nascitur trahit, ita ne ad hoc quidem, ut honesta per se petat: placent suapte natura adeoque gratiosa virtus est, ut insitum sit etiam malis probare meliora. Quis est qui non beneficus videri velit? qui non inter scelera et iniurias opinionem bonitatis adfectet? qui non ipsis quae, inpotentissime fecit, speciem aliquam induat recti velitque etiam his videri beneficium dedisse, quos laesit? Gratias itaque agi sibi ab 3 his, quos adflixere, patiuntur bonosque se ac liberales fingunt, quia praestare non possunt. quod non facerent, nisi illos honesti et per se expetendi amor cogeret moribus suis opinionem contrariam quaerere et nequitiam abdere, cuius fructus concupiscitur, ipsa vero odio pudorique est. nec quisquam tantum a naturali lege descivit 4 et hominem exuit, ut animi causa malus sit. Die enim cuilibet ex istis, qui raptō vivunt, an ad illa, quae latrociniiis et furtis consequuntur, malint ratione bona pervenire? optabit ille, cui grassari et transeuntes percutere quaestus est, potius illa invenire quam eripere: neminem reperies, qui non nequitiae praemiis sine nequitia frui malit. Maximum hoc habemus naturae meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum permittit: etiam qui non sequuntur illam, vident.

- 1 XVIII. Ut scias per se expetendam esse grati animi adfectionem, per se fugienda res est ingratum esse, quoniam nihil aequae concordiam humani generis dissociat ac distrahit quam hoc vitium. nam quo alio tuti sumus, quam quod mutuis iuvamur officiis? hoc uno instructior vita contraque incursiones subitas munitior est, 2 beneficiorum commercio. Fac nos singulos: quid sumus? praeda animalium et victimae ac bellissimus et facillimus sanguis. Quoniam ceteris animalibus in tutelam sui satis virium est, quaecumque vaga nascebantur et actura vitam segregem, armata sunt: hominem *inbecillitas coniungit*. non unguium vis, non dentium terribilem ceteris fecit:

nudum et infirmum societas munit. Duas [*deus*] res dedit, quae illum obnoxium validissimum facerent, rationem et societatem: itaque qui par esse nulli posset, si seduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit. societas terris genitum in alienae naturae transmisit imperium et dominari etiam in mari iussit. haec morborum inpetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit. haec fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc societatem tolle et unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes. tolletur autem, si efficis, ut ingratus animus non per se vitandus sit, sed quia aliquid illi timendum est. quam multi enim sunt, quibus ingratis esse tuto licet? Denique ingratum voco quisquis metu gratus est.

XIX. Deos nemo sanus timet. furor est enim metuere salutaria nec quisquam amat quos timet. Tu denique, Epicure, deum inermem facis, omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam et, ne cuiquam metuendus esset, proiecisti illum extra metum. Hunc igitur insepsum genti quidem et inexplicabili muro divisumque a contactu et a conspectu mortalium non habes quare verearis: nulla ibi nec tribuendi nec nocendi materia est. in medio intervallo huius et alterius coeli desertus sine animali, sine homine, sine re ruinas mundorum supra se circaque se cadentium evitat non exaudiens vota nec nostri curiosus. Atqui hunc vis videri colere non aliter quam parentem grato, ut opinor, animo: aut si non vis videri gratus, quia nullum habes illius beneficium, sed te atomi et istae micae tuae forte ac temere conglobaverunt, cur colis? „Propter maiestatem, inquis, eius eximiam singularemque naturam.“ Ut concedam tibi: nempe hoc facis nullo pretio inductus, nulla spe. est ergo aliquid per se expetendum, cuius te ipsa dignitas ducit: id est honestum. Quid est autem honestius quam gratum esse? huius virtutis materia tam late patet quam vita.

XX. „Sed inest, inquit, huic bono etiam utilitas aliqua.“ Cui enim virtuti non inest? sed id propter se expeti dicitur, quod, quamvis habeat aliqua extra commo-

da, sepositis quoque illis ac remotis placet. Prodest  
 2 gratum esse: ero tamen gratus, etiamsi nocet. Gratus  
 [est:] quid sequitur? ut haec res illi alios amicos, alia  
 beneficia conciliet? quid ergo, si quis sibi offensas con-  
 citaturus est? si quis intellegit, adeo per hoc se nihil  
 consecuturum, ut multa etiam ex reposito acquisitoque  
 3 perdenda sint? non libens in detrimenta descendit? In-  
 gratus est, qui in referenda gratia secundum datum videt,  
 qui sperat cum reddit. ingratum voco, qui aegro adsedit,  
 quia testamentum facturus est, cui de hereditate aut de  
 legato vacat cogitare. faciat licet omnia, quae facere bo-  
 nus amicus et memor officii debet, si animo eius obver-  
 satur spes, si lucri captator est et hamum iacit: ut aves  
 quae laceratione corporum aluntur, lassa morbo pecora  
 et casura e proximo speculantur, ita hic inminet morti et  
 circa cadaver volat.

1 XXI. Gratus animus ipsa virtute propositi sui capitur.  
 Vis scire hoc ita esse nec illum utilitate corrumpi? duo  
 genera sunt grati hominis: dicitur gratus, qui aliquid pro  
 eo, quod acceperat, reddit. hic fortasse ostentare se potest.  
 2 habet quod iacet, quod proferat. Dicitur gratus, qui bono  
 animo accepit beneficium, bono debet. hic intra consci-  
 entiam clusus est. quae illi contingere potest utilitas ex  
 adfectu latenti? atque hic, etiamsi ultra facere nil pot-  
 est, gratus est: amat, debet, referre gratiam cupit.  
 3 quicquid ultra desideras, non ipsi deest. Artifex est etiam  
 cui ad exercendam artem instrumenta non suppetunt. nec  
 minus canendi peritus, cuius vocem exaudiri fremitus  
 obstrepentium non sinit. Volo referre gratiam: post hoc  
 aliquid superest mihi, non ut gratus, sed ut solutus sim.  
 saepe enim et qui gratiam retulit, ingratus est et qui non  
 retulit, gratus. nam ut omnium aliarum virtutum, ita huius  
 ad animum tota aestimatio redit: hic si in officio est,  
 4 quicquid defuit, fortuna peccat. Quomodo est disertus  
 etiam qui tacet, fortis etiam qui compressis manibus vel  
 etiam adligatis, quomodo gubernator etiam qui in sicco  
 est, quia consummatae scientiae nihil deest, etiamsi  
 quid obstat, quo minus se utatur: ita gratus est etiam qui

vult tantum nec habet huius voluntatis suae ullum alium quam se testem. Immo amplius adiciam: est aliquando 5 gratus etiam qui ingratus videtur, quem mala interpret opinio in contrarium tradidit. Hic quid aliud sequitur quam ipsam conscientiam? quae etiam obruta delectat, quae concioni ac famae reclamat et in se omnia reponit, et cum ingentem ex altera parte turbam contra sentientium adspexit, non numerat suffragia, sed una sententia vincit. Si vero bonam fidem perfidiae suppliciiis adfici videt, 6 non descendit e fastigio, sed supra poenam suam consistit: „habeo, inquit, quod volui, quod petii: nec poenitet nec poenitebit nec ulla iniquitate me eo fortuna perducet, ut hanc vocem audiam: quid mihi volui? quid nunc mihi prodest bona voluntas?“ Prodest et in eculeo, prodest et in igne. qui si singulis membris admoveatur et paulatim vivum corpus circumbeat, licet ipsum cor plenum bona conscientia stillet: placebit illi ignis, per quem bona fides conlucebit.

XXII. Nunc illud quoque argumentum quamvis di- 1 etum iam reducatur: quid est quare grati velimus esse, cum morimur? quare singulorum perpendamus officia? quare id agamus in omnem vitam nostram memoria decurrente, ne cuius officii videamur obliti? nihil iam superest, quo spes porrigatur, in illo tamen cardine positi abire e rebus humanis quam gratissimi volumus. Est vi- 2 delictet magna in ipso opere merces rei et ad adliciendas mentes hominum ingens honesti potentia, cuius pulchritudo animos circumfundit et delinitos admiratione luminis ac fulgoris sui rapit. At multa hoc commoda ori- 3 untur, et tutior [est] vita melioribus amorque et secundum bonorum iudicium aetasque securior, quam innocentia, quam grata mens prosequitur. fuisset enim iniquissima rerum natura, si hoc tantum bonum miserum et anceps et sterile fecisset: sed illud intuere, an ad istam virtutem, quae saepe tuto ac facile aditur, etiam per saxa et rupes et feris ac serpentibus obsessum iter fueris iturus. Non ideo per se non est expetendum, cui 4 aliquid extra quoque emolumenti adhaeret: fere enim

pulcherrima quaeque multis et adventiciis comitata sunt dotibus, sed illas trahunt, ipsa praecedunt.

- 1 XXIII. Num dubium est quin hoc humani generis domicilium circuitus solis ac lunae vicibus suis temperet? quin alterius calore alantur corpora, terrae relaxentur, inmodici humores conprimantur, adligantis omnia hiemis tristitia frangatur: alterius tepore efficaci et penetrabili regatur maturitas frugum? quin ad huius cursum fecunditas humana respondeat? quin ille annum observabilem fecerit circumactu suo, haec mensem minoribus se spatiis
- 2 flectens? Ut tamen detrahas ista, non erat ipse sol idoneum oculis spectaculum dignusque adorari, si tantum praeteriret? non erat digna suspectu luna, etiamsi otiosum sidus transcurreret? Ipse mundus, quotiens per noctem ignes suos fudit et tantum stellarum innumerabilium refulsit, quem non intentum in se tenet? quis sibi
- 3 illa tunc cum miratur prodesse cogitat? Adspice ista tanto superne coetu labentia, quemadmodum velocitatem suam sub specie stantis atque inmoti operis abscondant. Quantum ista nocte, quam tu in numerum ac discrimen dierum observas, agitur? quanta rerum turba sub hoc silentio evolvitur? quantam fatorum seriem certus limes
- 4 educit? Ista quae tu non aliter quam in decorem sparsa consideras, singula in opere sunt. nec enim est quod existimes septem sola discurrere, cetera haerere: paucorum motus comprehendimus, innumerabiles vero longiusque a conspectu [nostro] seducti *di* eunt redeuntque, et ex his, qui oculos nostros patiuntur, plerique obscuro gradu pergunt et per occultum aguntur.
- 1 XXIV. Quid ergo? non caperis tantae molis adspectu, etiamsi te non tegat, non custodiat, non foveat generetque ac spiritu suo riget? Quemadmodum haec cum primum usum habeant et necessaria vitaliaque sint, maiestas tamen eorum totam mentem occupat: ita omnis illa virtus et in primis grati animi multum quidem praestat, sed non vult ob hoc diligi. amplius quiddam in se habet nec satis ab eo intellegitur, a quo inter utilia numeratur.
- 2 Gratus est, quia expedit? ergo et quantum expedit? non



recipit sordidum virtus amatorem: soluto ad illam sinu veniendum est. Ingratus hoc cogitat: „volebam gratiam referre, sed timeo inpensam, timeo periculum, vereor offensam. faciam potius quod expedit.“ Non potest eadem ratio et gratum facere et ingratum. ut diversa illorum opera, ita diversa inter se proposita sunt: ille ingratus est, quamvis non oporteat, quia expedit. hic gratus est, quamvis non expediat, quia oportet.

XXV. Propositum est nobis secundum rerum naturam vivere et deorum exemplum sequi: di autem, quodcumque faciunt, in eo quid praeter ipsam faciendi rationem sequuntur? nisi forte illos existimas fructum operum suorum ex fumo extorum et turis odore percipere. Vide quanta cotidie moliantur, quanta distribuunt, quantis terras fructibus impleant, quam opportunis et in omnes oras ferentibus ventis maria permoveant, quantis imbribus repente deiectis solum molliant venasque fontium arentes redintegrent et infuso per occulta nutrimento novent. Omnia ista sine mercede, sine ullo ad ipsos perveniente commodo faciunt. Hoc nostra quoque ratio, si ab exemplari suo non aberrat, servet, ne ad res honestas conducta veniat. Pudeat ullum venale esse beneficium: gratuitos habemus deos.

XXVI. „Si deos, inquit, imitaris, da et ingratum beneficia: nam et sceleratis sol oritur et piratis patent maria.“ Hoc loco interrogant, an vir bonus daturus sit beneficium ingrato, sciens ingratum esse. permitte mihi aliquid interloqui, ne interrogatione insidiosa capiamur. Duos ex constitutione Stoica accipe ingratos: alter est ingratus, quia stultus est. stultus etiam malus est. quia malus est, nullo vitio caret: ergo et ingratus est. Sic omnes malos dicimus, intemperantes, avaros, luxuriosos, malignos, non quia omnia ista singulis magna et nota vitia sunt, sed quia esse possunt: et sunt, etiamsi latent. Alter est ingratus, qui volgo dicitur, in hoc vitium natura propensus. Illi ingrato, qui sic hac culpa non caret, quomodo nulla caret, dabit beneficium vir bonus: nulli enim dare poterit, si tales homines sub-

moverit. huic ingrato, qui beneficiorum fraudator est et in hanc partem procubuit animo, non magis dabit beneficium quam [*de*] coctori pecuniam credit aut depositum committet ei, qui iam pluribus abnegavit.

1 XXVII. Timidus dicitur aliquis, quia stultus est: et hoc malos sequitur, quos indiscreta et universa vitia circumstant. dicitur timidus proprie natura etiam ad inanes sonos pavidus. Stultus omnia vitia habet, sed non in omnia natura pronus est: alius in avaritiam, alius in luxuriam, alius in petulantiam inclinatur. Itaque errant illi, qui interrogant Stoicos: quid ergo? Achilles timidus est? quid ergo? Aristides, cui iustitia nomen dedit, iniustus est? quid ergo? et Fabius qui „cunctando restituit rem“ temerarius est? quid ergo? Decius mortem timet? Mucius proditor est? Camillus desertor? Non hoc dicimus, sic omnia vitia esse in omnibus, quomodo in quibusdam singula eminent, sed malum ac stultum nullo vitio vacare. ne  
2 audacem quidem timoris absolvimus. ne prodigum quidem avaritia liberamus. Quomodo homo omnes sensus habet nec ideo tamen omnes homines aciem habent Lynceo similem, sic qui stultus est, non tam acria et concitata habet omnia quam quidam quaedam. Omnia in omnibus vitia sunt, sed non omnia in singulis exstant: hunc natura ad avaritiam impellit. hic vino, hic libidini deditus est aut, si nondum deditus, ita formatus,  
3 ut in hoc illum mores sui ferant. Itaque ut ad propositum revertar, nemo non ingratus est qui malus. habet enim omnia nequitiae semina. tamen proprie ingratus adpellatur, qui ad hoc vitium vergit: huic  
4 ergo beneficium non dabo. Quomodo male filiae suae consulit, qui illam contumelioso et saepe repudiato conlocavit. quomodo malus pater familiae habebitur, qui negotiorum gestorum damnato patrimonii sui curam mandaverit. quomodo dementissime testabitur, qui tutorem filio reliquerit pupillorum spoliatorem: sic pessime beneficia dare dicetur, quicumque ingratos eligit, in quos peritura conferat.

1 XXVIII. „Di quoque, inquit, multa ingratis tribuunt.“

Sed illa bonis paraverunt: contingunt etiam malis, quia separari non possunt. Satius est autem prodesse etiam malis propter bonos quam bonis deesse propter malos. Ita quae refers diem, solem, hiemis aestatisque cursus et media veris autumnique temperamenta, imbres et fontium haustus, ventorum statos flatus pro universis inveni-  
 nerunt: excerpere singulos non potuerunt. Rex honores <sup>2</sup> dignis dat, congiarium et indignis: frumentum publicum tam fur quam periurus et adulter accipiunt et sine delectu morum quisquis incisus est. quicquid aliud est, quod tamquam civi, non tamquam bono datur, ex aequo boni ac mali ferunt. Deus quoque quaedam munera uni-  
 verso humano generi dedit, a quibus excluditur nemo. nec enim poterat fieri ut ventus bonis viris secundus esset, contrarius malis: commune autem bonum erat patere commercium maris et regnum humani generis relaxari. nec poterat lex casuris imbribus dici, ne in malorum improborumque rura defluerent. Quaedam in medio <sup>4</sup> ponuntur: tam bonis quam malis conduntur urbes. monumenta ingeniorum et ad indignos perventura publicavit editio. medicina etiam sceleratis opem monstrat. compositiones remediorum salutarium nemo subpressit, ne sanarentur indigni. In his exige censuram et personarum <sup>5</sup> aestimationem, quae separatim tamquam digno dantur, non in his, quae promiscue turbam admittunt. multum enim refert, utrum aliquem non excludas an eligas. Ius et furi dicitur. pace etiam homicidae fruuntur. sua repetunt etiam qui aliena rapuerunt. percussores et domi ferrum exercentes murus ab hoste defendit. legum praesidio, qui plurimum in illas peccaverunt, proteguntur. Quaedam non poterant ceteris contingere, nisi universis <sup>6</sup> darentur: non est itaque quod de istis disputes, ad quae publice invitati sumus. illud quod iudicio meo ad aliquem pervenire debet, ei, quem ingratum sciam, non dabo.

XXIX. „Ergo, inquit, nec consilium deliberanti dabis <sup>1</sup> ingrato nec aquam haurire permittes? nec viam erranti monstrabis ingrato? an haec quidem facies, sed nihil

- donabis? “ Distinguam istud, certe temptabo distinguere.
- 2 Beneficium est opera utilis, sed non omnis opera utilis beneficium est. quaedam enim tam exigua sunt, ut beneficii nomen non occupent. Duae res coire debent, quae beneficium efficiant: primum rei magnitudo. quaedam enim sunt infra huius nominis mensuram. quis beneficium dixit quadram panis aut stipem aeris abiecti aut ignis accendendi factam potestatem? et interdum ista plus prosunt quam maxima: sed tamen vilitas sua illis, etiam ubi temporis necessitate facta sunt necessaria, de-
- 3 trahit pretium. Deinde hoc, quod potissimum est, oportet accedat, ut eius causa faciam, ad quem volam pervenire beneficium, dignumque eum iudicem et libens id tribuam percipiensque ex munere meo gaudium. quorum nihil est in istis, de quibus loquebamur. non enim tamquam dignis illa tribuimus, sed neglegenter tamquam parva, et non homini damus, sed humanitati.
- 1 XXX. Aliquando daturum me etiam indignis quaedam non negaverim in honorem aliorum, sicut in petendis honoribus quosdam turpissimos nobilitas industriis, sed novis praetulit non sine ratione: sacra est magnarum virtutum memoria et esse plures bonos
- 2 iuvat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat. Cicero-nem filium quae res consulem fecit nisi pater? Cinnam nuper quae res ad consulatum recepit ex hostium castris? quae Sextum Pompeium aliosque Pompeios nisi unius viri magnitudo tanta quondam, ut satis alte omnes suos etiam ruina eius adtolleret. Quid nuper Fabium Persicum cuius osculum etiam *inpudici devitabant*, sacerdotem non in uno collegio fecit nisi Verrucosi et Allobrogici et illi trecenti, qui hostium incursioni pro republica unam
- 3 domum obiecerant? Hoc debemus virtutibus, ut non praesentes solum illas, sed etiam ablatas e conspectu colamus: quomodo illae id egerunt, ut non in unam aetatem prodessent, sed beneficia sua etiam post ipsas
- 4 relinquerent, ita nos non una aetate grati sumus. Hic magnos viros genuit: dignus est beneficiis qualiscumque est, dignos dedit. Hic egregiis maioribus ortus est: qua-

liscumque est, sub umbra suorum lateat. Ut loca sordida repercussu solis inlustrantur, ita inertes maiorum suorum luce resplendeant.

XXXI. Excusare hoc loco tibi, mi Liberalis, deos 1 volo. interdum enim solemus dicere: quid sibi voluit providentia, quae Aridaeum regno inposuit? Illi putas hoc datum? patri eius datum est et fratri. Quare C. Caesa- 2 rem orbi terrarum praefecit, hominem humani sanguinis avidissimum, quem non aliter fluere in conspectu suo iubebat, quam si ore excepturus esset? Quid ergo? tu hoc illi datum existimas? patri eius Germanico datum, avo proavoque et ante hos aliis non minus claris viris, etiamsi privati paresque aliis vitam exegerunt. Quid tu, 3 cum Mamercum Scaurum consulem faceres, ignorabas ancillarum suarum illum menstruum ore hiante exceptare? numquid enim ipse dissimulabat? numquid purus videri volebat? Referam dictum eius in se, quod circumferri memini et ipso praesente laudari. Pollioni *Asinio* iacenti 4 obsceno verbo usus dixerat se facturum id, quod pati malebat. et cum Pollionis adtractiorem vidisset frontem: „Quicquid inquit, mali dixi, mihi et capiti meo.“ Hoc dictum suum ipse narrabat. Hominem tam palam obscenum ad 5 fasces et ad tribunal admisisti? nempe dum veterem illum Scaurum senatus principem cogitas, indigne fers sobolem eius iacere.

XXXII. Deos verisimile est, ut alios indulgentius 1 tractent propter parentes avosque, alios propter futuram nepotum pronepotumque ac longe sequentium posterorum indolem. nota enim illis est operis sui series omniumque illis rerum suas per manus iturarum scientia in aperto semper est, nobis ex abdito subit et quae repentina putamus, illis provisa veniunt ac familiaria. Sint hi 2 reges, quia maiores eorum [non] fuerunt, quia pro summo imperio habuerunt iustitiam, abstinentiam, quia non rempublicam sibi, sed se reipublicae dicaverunt. Regnent hi, quia vir bonus quidam ante proavus eorum fuit, qui animum supra fortunam gessit, qui in dissensione civili, quoniam ita expediebat reipublicae, vinci quam vincere

maluit. referri illi gratia tam longo spatio non potuit: in illius respectum iste populo praesideat, non quia scit aut  
 3 potest, sed quia alius pro illo meruit. Hic corpore deformis est, ad spectu foedus et ornamenta sua traducturus. iam me homines accusabunt, caecum et temerarium dicent, nescientem, quo loco quae summis atque excellentissimis debentur, ponam: at ego scio alio me istud dare,  
 4 alio olim debitum solvere. Unde isti norunt illum quondam gloriae sequentis fugacissimum, eo vultu ad pericula euntem, quo alii e periculo redeunt? numquam bonum suum a publico distinguentem? Ubi, inquis, iste aut quis est? unde vos scitis? Apud me istae expensorum acceptorumque rationes dispunguntur. ego quid cui debeam scio. aliis post longam diem repono, aliis in antecessum ac prout occasio et reipublicae meae facultas tulit.“ Ingrato ergo aliquando quaedam, sed non propter ipsum dabo.

1 XXXIII. „Quid si, inquit, nescis, utrum ingratus sit an gratus, exspectabis donec scias an dandi beneficii tempus non amittes? Exspectare longum est, nam, ut ait Platon, „difficilis humani animi coniectura est. non ex-  
 2 spectare temerarium est.“ Huic respondebimus, numquam exspectare nos certissimam rerum comprehensionem, quoniam in arduo est veri exploratio, sed ea ire, qua ducit veri similitudo. Omne hac via procedit officium. sic serimus, sic navigamus, sic militamus, sic uxores ducimus, sic liberos tollimus: cum omnium horum incertus sit eventus, ad ea accedimus, de quibus bene sperandum esse credimus. quis enim pollicetur serenti proventum, naviganti portum, militanti victoriam, marito pudicam uxorem, patri pios liberos? sequimur qua ratio,  
 3 non qua veritas trahit. Exspecta, ut nisi bene cessura non facias et nisi conperta veritate nihil moveris: relicto omni actu vita consistit. Cum verisimilia me in hoc aut in illud impellant, non vera, ei beneficium dabo, quem verisimile erit gratum esse.

1 XXXIV. „Multa, inquit, intervenient, propter quae et malus pro bono subrepat et bonus pro malo displiceat. fallaces enim sunt rerum species, quibus credimus.“ Quis

negat? sed nihil aliud invenio, per quod cogitationem regam. his veritas mihi vestigiis sequenda est. certiora non habeo. haec ut quam diligentissime aestimem, operam dabo nec cito illis adsentiar. Sic enim in proelio 2 potest accidere, ut telum meum in conmilitionem manus dirigat aliquo errore decepta et hosti tamquam meo parcam. sed hoc et raro accidet et non vitio meo, cuius propositum est hostem ferire, civem defendere. Si sciam ingratum esse, non dabo beneficium. „At obrepit, at inposuit.“ Nulla hic culpa tribuentis est, quia tamquam grato dedi. „Si promiseris, inquit, te daturum 3 beneficium et postea ingratum scieris esse, dabis an non? Si facis, sciens peccas: das enim cui non debes dare. si negas, et hoc modo peccas, quia non das ei, cui promisisti. conscientia vestra hoc loco titubat et illud superbum promissum, numquam sapientem facti sui poenitere nec umquam emendare quod fecerit nec mutare consilium.“ Non mutat sapiens con- 4 silium omnibus his manentibus, quae erant, cum sumeret. ideo numquam illum poenitentia subit, quia nihil melius illo tempore fieri potuit, quam quod factum est, nihil melius constitui, quam quod constitutum est. ceterum ad omnia cum exceptione venit: si nihil incidit, quod impediat. ideo omnia illi succedere dicimus et nihil contra opinionem accidere, quia praesumit animo posse aliquid intervenire, quod destinata prohibeat. Inprudantium ista fiducia est fortu- 5 nam sibi spondere: sapiens utramque partem eius cogitat. scit quantum liceat errori, quam incerta sint humana, quam multa consiliis obstant. ancipitem rerum ac lubricam sortem suspensus sequitur et consiliis certis incertos eventus [*expendit*]. Exceptio autem, sine qua nihil destinat, nihil ingreditur, et hic illum tuetur.

XXXV. Promisi beneficium, nisi si quid incidisset 1 quare non deberem dare. quid enim, si, quod illi pollicitus sum, patria sibi dare iusserit? si lex lata erit, ne id quisquam faciat, quod ego me amico meo facturum promiseram? Promisi tibi filiam in matrimonium. postea

peregrinus adparuisti: non est mihi cum externo connu-  
 2 bium. eadem res me defendit quae vetat. Tunc fidem  
 fallam, tunc inconstantiae crimen audiam, si, cum omnia  
 eadem sint quae erant promittente me, non praestitero  
 promissum: alioquin quicquid mutatur, libertatem facit  
 de integro consulendi et me fide liberat. Promisi advo-  
 cationem: postea adparuit per illam causam praeiudi-  
 cium in patrem meum quaeri. promisi me peregre una  
 exiturum: sed iter infestari latrociniiis nuntiatur. in rem  
 praesentem venturus fui: sed aeger filius et puerpera  
 3 uxor tenet. Omnia esse debent, quae fuerunt cum promit-  
 terem, ut promittentis fidem teneas. quae autem maior  
 fieri mutatio potest, quam si te malum virum et ingratum  
 conperi? quod tamquam digno dabam, indigno negabo  
 et irascendi quoque causam habebō deceptus.

1 XXXVI. Inspiciam tamen et quantum sit, de quo  
 agitur: dabit mihi consilium promissae rei modus. Si  
 exiguum est, dabo, non quia dignus es, sed quia pro-  
 misi. nec tamquam munus dabo, sed verba mea redimam  
 et aurem mihi pervellam. damno castigabo promittentis  
 temeritatem: „ecce ut doleat tibi, ut postea consideratius  
 2 loquaris, (quod dicere solemus,) linguarium dabo.“ Si ma-  
 ius erit, non committam, quemadmodum Maecenas ait, *ut*  
*sestertio centies obiurgatus sim.* inter sese enim utrumque  
 comparabo. Est aliquid, in eo quod promiseris perseve-  
 rare. est rursus multum in eo, ne indigno beneficium des.  
 hoc tamen quantum est? si leve, conniveamus. si vero  
 magno mihi aut detrimento aut rubori futurum, malo se-  
 mel excusare, quare negaverim, quam semper, quare  
 3 dederim. Totum, inquam, in eo est, quanti promissi mei  
 verba taxentur: non tantum quod temere promisi reti-  
 nebo, sed quod non recte dedi repetam. demens est, qui  
 fidem praestat errori.

1 XXXVII. Philippus Macedonum rex habebat militem  
 manu fortem, cuius in multis expeditionibus utilem ex-  
 pertus operam subinde ex praeda aliquid illi virtutis  
 causa donaverat et hominem venalis animae crebris au-  
 ctoramentis accendebat. Hic naufragus in possessiones



cuiusdam Macedonis expulsus est. quod ut nuntiatum est, accueurit, spiritum eius recollegit, in villam illum suam transtulit, lectulo suo cessit, adfectum semianimemque recreavit, diebus triginta impensa sua curavit, refecit, viatico instruxit, subinde dicentem: „gratiam tibi referam, videre tantum mihi imperatorem meum contingat.“ Narravit Philippo naufragium suum, auxilium tacuit et 2 protinus petiit, ut sibi cuiusdam praedia donaret. Ille quidem erat hospes eius is ipse, a quo receptus erat, a quo sanatus. Multa interim reges in bello praesertim opertis oculis donant. non sufficit homo iustus tot armatis cupiditatibus. non potest quisquam eodem tempore et bonum virum et bonum ducem agere. quomodo tot milia hominum insatiabilia satiabuntur? quid habebunt, si suum quisque habuerit? Haec Philippus sibi dixit, cum 3 illum induci in bona quae petebat iussit. Expulsus bonis suis ille non ut rusticus iniuriam tacitus tulit, contentus, quod non et ipse donatus esset, sed Philippo epistolam strictim ac liberaliter scripsit. qua accepta ita exarsit, ut statim Pausaniae mandaret, bona priori domino restitueret: ceterum improbissimo militi, ingratissimo hospiti, avidissimo naufrago stigmata inscriberet ingratum hominem testantia. Dignus quidem fuit, cui non inscriberentur 4 illae literae, sed inculperentur, qui hospitem suum nudo et naufrago similem in id [*in*] quo iacuerat ipse litus expulerat. Sed videbimus, quis modus poenae servandus 5 fuerit: auferendum utique fuit, quod summo scelere invaserat. Quis autem poena eius moveretur, qui id commiserat, per quod nemo misereri misericors posset?

XXXVIII. Dabit tibi Philippus, quia promisit, etiam- 1 si non debet, etiamsi iniuriam facturus est, etiamsi scelus facturus est, etiamsi uno facto praeclusurus est naufragis litora? Non est levitas a cognito et damnato errore discedere et ingenue fatendum est: „aliud putavi, deceptus sum.“ Haec vero superbae stultitiae perseverantia est: „quod semel dixi, qualecumque est, fixum ratumque sit.“ Non est turpe cum re mutare consilium. Age, si Philippus possessorem illum eorum litorum reli- 2

quisset, quae naufragio ceperat, non omnibus miseris aqua et igni interdixerat? Potius est, inquit, intra fines regni mei *te* literas istas oculis inscribendas durissima fronte circumferre. ostende, quam sacra res sit mensa hospitalis. praebe in facie tua legendum istuc decretum, quo cavetur, ne miseros tecto iuvare capital sit. Magis ista constitutio sic erit rata, quam si illam in aes incidissem.

- 1 XXXIX. „Quare ergo, inquit, Zeno vester, cum quin-  
 2 gentos denarios cuidam promisisset mutuos et ipse illum  
 3 parum idoneum conperisset, amicis suadentibus ne da-  
 4 ret, perseveravit credere, quia promiserat?“ Primum  
 alia condicio est in credito, alia in beneficio: pecuniae  
 etiam male creditae exactio est, et adpellare debitorem  
 ad diem possum, et, si foro cesserit, portionem feram.  
 beneficium et totum perit et statim. Praeterea hoc mali  
 viri est, illud mali patris familiae. Deinde ne Zeno qui-  
 dem, si maior fuisset summa, credere perseverasset.  
 quingenti denarii sunt, illud quod dici solet, „in morbo  
 3 consumat.“ fuit tanti non revocare promissum suum. Ad  
 coenam, quia promisi, ibo, etiamsi frigus erit: non qui-  
 dem, si nives cadent. Surgam ad sponsalia, quia pro-  
 misi, quamvis non concoxerim: sed non, si febricitavero.  
 Sponsum descendam, quia promisi: sed non si spon-  
 4 dere me incertum iubebis, si fisco obligabis. Subest,  
 inquam, tacita exceptio, si potero, si debebo, si haec ita  
 erunt. effice ut idem status sit, quo exigis, qui fuit cum  
 promitterem: destituere levitas erit. Si aliquid inter-  
 venit novi, quid miraris, cum condicio promittentis mu-  
 tata sit, mutatum esse consilium? eadem mihi omnia  
 praesta et idem sum. Vadimonium promittimus, tamen  
 deseritur. non in omnes datur actio: deserentem vis ma-  
 ior excusat.

- 1 XL. Idem etiam illa quaestione responsum  
 existima, an omni modo referenda sit gratia  
 et an beneficium utique reddendum sit. Ani-  
 mum praestare gratum debeo, ceterum aliquando me re-  
 ferre gratiam non patitur mea infelicitas, aliquando felici-

tas eius, cui debeo. quid enim regi pauper, quid diviti 2  
reddam, utique cum quidam recipere beneficium iniuriam  
iudicent et beneficia subinde aliis beneficiis onerent?  
quid amplius in horum persona possum quam velle? nec  
enim ideo beneficium novum reicere debeo, quia non-  
dum prius reddidi. Accipiam tam libenter quam dabitur  
et praebebo me amico meo exercendae bonitatis suae  
capacem materiam. qui nova accipere non vult, acceptis  
offenditur. Non refero gratiam: quid ad rem? non est 3  
per me mora, si aut occasio mihi deest aut facultas. Ille  
praestitit mihi, nempe cum occasionem haberet, cum fa-  
cultatem: utrum bonus vir est an malus? apud bonum  
virum bonam causam habeo, apud malum non ago. Nec 4  
illud quidem existimo faciendum, ut referre gratiam etiam  
invitis his, quibus refertur, properemus et instemus re-  
cedentibus: non est referre gratiam, quod volens acce-  
peris, nolenti reddere. Quidam, cum aliquod illis mis-  
sum est munusculum, subinde aliud intempestive remit-  
tunt et nihil se debere testantur: reiciendi genus est  
protinus aliud invicem mittere et munus munere expun-  
gere. Aliquando et non reddam beneficium, cum possim. 5  
quando? si plus mihi detractus ero quam illi collatu-  
rus, si ille non erit sensurus ullam accessionem recepto  
eo, quo reddito mihi multum abscessurum erit. Qui  
festinat utique reddere, non habet animum grati homi-  
nis, sed debitoris, et ut breviter, qui nimis cupit solvere,  
invitus debet. qui invitus debet, ingratus est.

---

# L. ANNAEI SENECAE

AD AEBUTIUM LIBERALEM

## DE BENEFICIIS

LIBER V.

---

1 In prioribus libris videbar consummasse propositum,  
cum tractassem, quemadmodum dandum esset beneficium,  
quemadmodum accipiendum. hi enim sunt huius officii  
fines: quicquid ultra moror, non servio materiae, sed  
indulgeo, quae quo ducit sequenda est, non quo invitat.  
subinde enim nascetur quo lacessat aliqua dulcedine ani-  
2 mum, magis non supervacuum quam necessarium. Ve-  
rum quia ita vis, perseveremus peractis, quae rem  
continebant, scrutaturi etiam ea, quae, si vis  
verum, connexa sunt, non cohaerentia. quae  
quisquis diligenter inspicit, nec facit operae pretium nec  
3 tamen perdit operam. Tibi autem, homini natura optimo  
et ad beneficia propenso, Liberalis Aebuti, nulla eorum  
laudatio satisfacit. neminem umquam vidi tam benignum  
etiam levissimorum officiorum aestimatorem. iam boni-  
tas tua eo usque prolapsa est, ut tibi dari putes benefi-  
cium, quod ulli datur. paratus es, ne quem beneficii  
4 poeniteat, pro ingratis dependere. Ipse usque eo abes ab  
omni iactatione, usque eo statim vis exonerare, quos  
obligas, ut quicquid in aliquem confers, velis videri non  
praestare, sed reddere, ideoque plenius ad te sic data  
revertentur. nam fere sequuntur beneficia non reposcen-  
tem et, ut gloria fugientes magis sequitur, ita fructus  
beneficiorum gratus respondet illis, per quos etiam esse  
5 ingratis licet. Per te vero non est mora, quo minus be-  
neficia qui acceperunt, ultro repetant, nec recusabis con-  
ferre alia et subpressis dissimulatisque plura ac maiora  
adicere: propositum optimi viri et ingentis animi, tam

diu ferre ingratum, donec feceris gratum. nec te ista ratio decipiet: subcumbunt vitia virtutibus, si illa non cito odisse properaveris.

II. Illud utique unice tibi placet velut magnifice dictum: „turpe est beneficiis vinci.“ Quod an sit verum, non inmerito quaeri solet longeque aliud est quam mente concipis. numquam enim in rerum honestarum certamine superari turpe est, dummodo arma non proicias, et victus quoque velis vincere. Non omnes ad bonum propositum easdem adferunt vires, easdem facultates, eandem fortunam, quae optimorum quoque consiliorum dumtaxat exitus temperat: voluntas ipsa rectum petens laudanda est, etiamsi illam alius gradu velociori antecessit, non ut in certaminibus ad spectaculum editis meliorem palma declarat, quamquam in illis quoque saepe deteriorem praetulit casus. Ubi de officio agitur, quod uterque a sua parte esse quam plenissimum cupit, si alter plus potuit et ad manum habuit materiam sufficientem animo suo, si illi, quantum conatus est, fortuna permisit, alter autem voluntate par est, etiamsi minora quam accepit reddidit aut omnia non reddidit, sed vult reddere et toto in hoc intentus est animo: non magis victus est quam qui in armis moritur, quem occidere facilius hostis potuit quam avertere. Quod turpe existimas, id accidere viro bono non potest, ut vincatur. numquam enim subcumbet, numquam renuntiabit. ad ultimum usque diem vitae stabit paratus et in hac statione morietur magna se accepisse prae se ferens, paria voluisse.

III. Lacedaemonii vetant suos pancratio aut cestu decernere, ubi inferiorem ostendit victi confessio. cursor cretam prior contigit: velocitate illum, non animo antecessit. luctator ter abiectus perdidit palmam, non tradidit. cum invictos esse Lacedaemonii cives suos magno aestimarent, ab his certaminibus removerunt, in quibus victorem facit non iudex nec per se ipse exitus, sed vox cedentis et tradere iubentis. Hoc quod illi in civibus suis custodiunt, virtus ac bona voluntas omnibus praestat, ne

umquam vincantur, quoniam quidem etiam inter superantia animus invictus est. ideo nemo trecentos Fabios victos dicit, sed occisos. et Regulus captus est a Poenis, non victus, et quisquis alius saevientis fortunae vi  
 3 ac pondere obpressus non submittit animum. In beneficiis idem est. plura aliquis accepit, maiora, frequentiora: non tamen victus est. Beneficia fortasse beneficiis victa sunt, si inter se data et accepta computes. si dantem et accipientem conparaveris, quorum animi et per se aestimandi sunt, penes neutrum erit palma. solet enim fieri, ut etiam cum alter multis vulneribus confossus est, alter leviter quidem saucius, pares exisse dicantur, quamvis alter videatur inferior.

- 1 IV. Ergo nemo vinci potest beneficiis, si scit debere, si vult referre, si quod rebus non potest, animo aequat. Hic quam diu in hoc permanet, quam diu tenet voluntatem, gratum animum signis adprobat: quid interest ab  
 2 ultra parte munuscula plura numerentur? Tu multa dare potes, et ego tantum accipere possum. tecum stat fortuna, mecum bona voluntas: tamen tam par tibi sum, quam multis armatissimis nudi aut leviter armati. Nemo itaque beneficiis vincitur, quia tam gratus est quisque, quam voluit. nam si turpe est beneficiis vinci, non oportet a praepotentibus viris accipere beneficium, quibus gratiam referre non possis: a principibus dico, a regibus, quos eo loco fortuna posuit, ex quo largiri multa possent pauca admodum et inparia datis recepturi. reges et principes dixi, quibus tamen potest opera navari et quorum illa excellens potentia per animorum  
 3 consensus ministeriumque constat. Sunt quidam extra omnem subducti cupiditatem, qui vix ullis humanis desideriis continguntur, quibus nihil potest praestare ipsa fortuna: necesse est a Socrate vincar beneficiis, necesse est a Diogene, qui per medias Macedonum gazas nudus  
 4 incessit calcatis regiis opibus: o nae ille tunc merito et sibi et ceteris, quibus ad dispiciendam veritatem non erat obfusa caligo, supra eum eminere visus est, infra quem omnia iacebant. multo potentior, multo locupletior

fuit omnia tunc possidente Alexandro : plus enim erat, quod hic nollet accipere quam quod ille posset dare.

V. Non est turpe ab his vinci : neque enim minus fortis sum, si cum invulnerabili me hoste committis, nec ideo ignis minus urere potest, si in materiam incidit in-violabilem flammis, nec ideo ferrum secandi vim perdidit, si non recipiens ictum lapis solidus, invictae ad-versus dura naturae, dividendus est. Idem tibi de ho-mine grato respondeo : non turpiter vincitur beneficiis, si ab his obligatus est, ad quos aut fortunae magnitudo aut eximia virtus aditum redituris ad se beneficiis clusit. A parentibus fere vincimur. nam tam diu illos odio habemus quam diu graves iudicamus et quam diu beneficia illorum non intellegimus. cum iam aetas aliquid prudentiae collegit et adparere coepit propter illa ipsa eos amari a nobis debere, propter quae non amabantur, ad-monitiones, severitatem et inconsultae adulescentiae diligentem custodiam, rapiuntur nobis. paucos usque ad verum fructum a liberis percipiendum perduxit aetas, ceteri filios onere senserunt. Non est tamen turpe vinci beneficiis a parente. quidni non sit turpe, cum a nullo turpe sit? quibusdam enim et pares et inpares sumus : pares animo, quem solum illi exigunt, quem nos solum promittimus, inpares fortuna, quae si cui obstitit, quo minus referret gratiam, non ideo illi tamquam victo erubescendum est : non est turpe non consequi, dummodo sequaris. Saepe necesse est ante alia beneficia petamus quam priora reddidimus, nec ideo non petimus aut turpiter [petimus], quia non reddituri debebimus, quia non per nos erit mora, quo minus gratissimi simus, sed interveniet aliquid extrinsecus, quod prohibeat : nos tamen nec vincemur animo nec turpiter his rebus superabimur, quae non sunt in nostra potestate.

VI. Alexander Macedonum rex gloriari solebat a nullo se beneficiis victum. non est quod nimius animi Macedonas et Graecos et Caras et Persas et nationes districtas sine exercitu suspiciat, nec hoc sibi praestitisse regnum a Thraciae angulo porrectum usque ad litus in-

cogniti maris iudicet: eadem [re] gloriari Socrates potuit, eadem Diogenes, a quo utique victus est. quidni victus sit illo die, quo homo super mensuram humanae superbiae tumens vidit aliquem, cui nec dare quicquam  
 2 posset nec eripere? Archelaus rex Socratem rogavit, ut ad se veniret: dixisse Socrates traditur nolle se ad eum venire, a quo acciperet beneficia, cum reddere illi paria non posset. Primum in ipsius potestate erat non accipere. deinde ipse dare beneficium prior incipiebat. veniebat enim rogatus et id dabat, quod utique ille non erat So-  
 3 crati redditurus. Etiamnunc Archelaus daturus erat aurum et argentum, recepturus contemptum auri et argenti: non poterat referre Archelao Socrates gratiam? et quid tantum erat accepturus, quantum dabat, si ostendisset hominem vitae ac mortis peritum, utriusque fines tenentem? si regem in luce media errantem ad rerum naturam admisisset, usque eo eius ignarum, ut quo die solis defectio fuit, regiam cluderet et filium, quod in luctu ac re-  
 4 bus adversis moris est, tonderet? Quantum fuisset beneficium, si timentem e latebris suis extraxisset et bonum animum habere iussisset dicens: „Non est ista solis defectio, sed duorum siderum coitus, cum luna humiliore currens via infra ipsum solem orbem suum posuit et illum obiectu sui abscondit. quae modo partes eius exiguas, si in transeursu strinxit, obducit, modo plus tegit, si maiorem partem sui obiecit, modo excludit totius ad-  
 5 spectum, si recto libramento inter solem terrasque media successit. Sed iam ista sidera huc et illo diducet velocitas sua. iam recipient diem terrae et hic ibit ordo per secula dispositosque ac praedictos dies habet, quibus sol interkursu lunae vetetur omnes radios effundere. Paulum exspecta: iam emerget, iam istam velut nubem relinquet, iam exsolutus impedimentis lucem suam libere mittet.“  
 6 Socrates parem gratiam Archelao referre non posset, si illum regnare vetuisset? parum scilicet magnum beneficium a Socrate accipiebat, si ullum dare potuisset Socrati. Quare ergo hoc Socrates dixit? Vir facetus et cuius per figuras sermo procedere solitus erat, derisor



omnium, maxime potentium, maluit illi nasute negare quam contumaciter aut superbe: dixit se nolle beneficia ab eo accipere, cui non posset paria reddere. Timuit fortasse, ne cogeretur accipere, quae nollet. timuit, ne quid indignum Socrate acciperet. Dicit aliquis: „negas- 7 set, si vellet.“ Sed instigasset in se regem insolentem et omnia sua magno aestimari volentem. nihil ad rem pertinet, utrum dare aliquid regi nolis an accipere a rege: in aequo utramque ponit repulsam, et superbo fastidiri acerbius est quam non timeri. Vis scire, quid vere voluerit? noluit ire ad voluntariam servitutem is, cuius libertatem civitas libera ferre non potuit.

VII. Satis, ut existimo, hanc partem tractavimus, an 1 turpe esset beneficiis vinci. quod qui quaerit, scit non solere homines sibi ipsos beneficium dare: manifestum enim fuisset non esse turpe a se ipsum vinci. Atqui apud 2 quosdam Stoicos et de hoc ambigitur: an possit aliquis sibi beneficium dare. an debeat referre sibi gratiam. quod ut videretur quaerendum, illa fecerunt: solemus dicere: *gratias mihi ago* et *de nullo queri possum alio quam de me: ego mihi irascor* et *ego a me poenas exigam* et *odi me*. multa praeterea huiusmodi, per quae unusquisque de se tamquam de altero loquitur. „Si nocere, inquit, mihi possum, quare non et benefi- 3 cium mihi dare possim? Praeterea quae, si in alium contulissem, beneficia vocarentur, quare, si in me contuli, non sint? quod si ab altero accepissem, deberem, quare si mihi ipse dedi, non debeam? quare sim adversus me ingratus, quod non minus turpe est quam in se sordidum esse et in se durum ac saevum et sui negligentem? Tam alieni corporis leno male audit quam sui. 4 Nempe reprehenditur adsentator et aliena subsequens verba, paratus ad falsa laudator. non minus placens sibi et se suspiciens et, ut ita dicam, adsentator suus. Vitia non tantum cum foris peccant invisa sunt, sed cum in se retorquentur. Quem magis admiraberis quam qui 5 imperat sibi, quam qui se habet in potestate? Gentes facilius est barbaras, impatientesque alieni arbitrii regere

quam animum suum continere et tradere sibi. Plator, inquit, agit Socrati gratias, quod ab illo didicit: quare Socrates sibi non agat, quod ipse se docuit? M. Cato ait: „*quod tibi deerit, a te ipso mutuare.*“ quare donare mihi  
 6 non possum, si commodare possum? Innumerabilia sunt in quibus consuetudo nos dividit: dicere solemus: *sine, loquar tecum* et *ego mihi aurem pervellam.* quae si vera sunt, quemadmodum aliquis sibi irasci debet, sic et gratias agere. quomodo obiurgare se, sic et laudare. quomodo damno sibi esse, sic et lucro potest. Iniuria et beneficium contraria sunt. si de aliquo dicimus: *iniuriam sibi fecit*, poterimus dicere et *beneficium sibi dedit.*“

- 1 VIII. [Natura sibi dedit.] Natura prius est, ut quis debeat, deinde ut gratiam referat. debitor non est sine creditore, non magis quam maritus sine uxore aut sine filio pater. Aliquis dare debet, ut aliquis accipiat. non est dare nec accipere in dexteram manum de sinistra transferre.
- 2 Quomodo nemo se portat, quamvis corpus suum moveat et transferat. quomodo nemo, quamvis pro se dixerit, adfuisse sibi dicitur nec statuum sibi tamquam patrono suo ponit. quomodo [si] aeger, cum cura sua convaluit, mercedem a se non exigit: sic in omni negotio, etiam cum aliquid prodesse sibi fecerit, non tamen debet referre gratiam
- 3 sibi, quia non habebit, cui referat. Ut concedam aliquem dare sibi beneficium: dum dat, et recipit. ut concedam aliquem a se accipere beneficium, dum accipit, reddit: domi, quod aiunt, versura fit et velut lusorium nomen statim transit: neque enim alius dat quam qui accipit, sed unus atque idem. Hoc verbum debere non habet nisi inter duos locum: quomodo ergo in uno consistit, qui se
- 4 obligando liberat? Ut in orbe ac pila nihil imum est, nihil summum, nihil extremum, nihil primum, quia motu ordo mutatur et quae sequebantur praecedunt et quae occidebant oriuntur, omnia quomodocumque ierint, in idem revertuntur, ita in homine existima fieri. cum illum in multa mutaveris, unus est. Cecidit se: iniuriarum cum quo agat non habet. adligavit et clusit: de vi non tenetur. benefi-
- 5 cium sibi dedit: protinus danti reddidit. Rerum natura

nihil dicitur perdere, quia quicquid illi avellitur, ad illam redit, nec perire quicquam potest, quod quo excidat non habet, sed eodem revolvitur, unde discedit. „Quid simile, inquis, habet hoc exemplum propositae quaestioni?“ Di- 6  
cam. Puta te ingratum esse: non perit beneficium. habet illud qui dedit. puta te recipere nolle: apud te est, antequam redditur. Non potes quicquam amittere, quia quod detrahitur, nihilominus tibi acquiritur. intra te ipsum orbis agitur: accipiendo das, dando accipis.

IX. „Beneficium, inquit, sibi dare oportet: ergo et 1  
referre gratiam oportet.“ Primum illud falsum est, ex quo pendent sequentia. nemo enim sibi beneficium dat, sed naturae suae paret, a qua ad caritatem sui compositus est. unde illi summa cura est nocitura vitandi, profutura adpetendi. Itaque nec liberalis est, qui sibi donat, 2  
nec clemens, qui sibi ignoscit, nec misericors, qui malis suis tangitur: quod aliis praestare liberalitas est, clementia, misericordia, sibi praestare natura est. Beneficium res voluntaria est. at prodesse sibi necessarium est. Quo quis plura beneficia dedit beneficentior est: quis unquam laudatus est, quod sibi ipse fuisset auxilio? quod se eripuisset latronibus? Nemo sibi beneficium dat, non magis quam hospitium, nemo sibi donat, non magis quam credit. Si dat sibi quisque beneficium, semper dat, sine 3  
intermissione dat, inire beneficiorum suorum non potest numerum. quando ergo gratiam referet, cum per hoc ipsum, quo gratiam refert, beneficium dat? quomodo enim discernere poterit, utrum det sibi beneficium an reddat, cum intra eundem hominem res geratur? Liberravi me periculo: beneficium mihi dedi. iterum me periculo libero: utrum do beneficium an reddo? Deinde ut 4  
primum illud concedam, dare nos beneficium nobis, quod sequitur non concedam. nam etiamsi damus, non debemus, quia statim recipimus: accipere me oportet beneficium, deinde debere, deinde referre. debendi locus non est, quia sine ulla mora recipimus. Dat nemo nisi alteri. debet nemo nisi alteri. reddit nemo nisi alteri: id intra unum non potest fieri, quod totiens duos exigit.

1 X. Beneficium est praestitisse aliquid utiliter. verbum autem praestitisse ad alios spectat. Numquid non demens videbitur, qui aliquid vendidisse sibi se dicet? quia venditio alienatio est et rei suae iurisque in ea sui ad alium translatio. atqui quemadmodum vendere, sic dare aliquid a se dimittere est et id quod tenueris, habendum alteri tradere: quod si est, beneficium nemo sibi dedit, quia nemo dat sibi: alioqui duo contraria in uno coeunt, 2 ut sit idem dare et accipere. Etiamnunc multum interest inter dare et accipere: quidni? cum ex diverso ista verba posita sint. atqui si quis sibi beneficium dat, nihil interest inter dare et accipere. Paulo ante dicebam quaedam ad alios pertinere et sic esse formata, ut tota significatio illorum discedat a nobis: frater sum, sed alterius, nemo est enim suus frater. par sum, sed alicui. quis enim par est sibi? Quod comparatur, sine altero non intellegitur. quod iungitur, sine altero non est: sic et quod datur, sine 3 altero non est, et beneficium sine altero non est. Idem ipso vocabulo adparet, in quo hoc continetur benefecisse. nemo autem sibi benefacit, non magis quam sibi favet, quam suarum partium est. Diutius hoc et pluribus exemplis licet prosequi: quidni? cum inter ea sit habendum 4 beneficium, quae secundam personam desiderant. Quaedam cum sint honesta, pulcherrima, summae virtutis, nisi in altero non habent locum: laudatur et inter maxima humani generis bona fides colitur. num quis ergo dicitur sibi fidem praestitisse?

1 XI. Venio nunc ad ultimam partem. Qui gratiam refert, aliquid debet inpendere, sicut qui solvit pecuniam. nihil autem inpendit, qui gratiam sibi refert, non magis quam consequitur, qui beneficium a se accepit. beneficium et gratiae relatio ultro citroque ire debent. intra unum hominem non est vicissitudo: qui gratiam refert, invicem prodest ei, a quo consecutus est aliquid: qui sibi gratiam refert cui prodest? sibi. et quis non alio loco relationem gratiae, alio beneficium cogitat? qui gratiam refert sibi, [sibi] prodest: et quis unquam ingratus hoc noluit facere?

immo quis non ingratus fuit, ut hoc faceret? „Si gratias, 2  
 inquit, nobis agere debemus, et gratiam referre debemus.  
 dicimus autem: ago gratias mihi, quod illam uxorem  
 nolui ducere et quod cum illo non contraxi societatem.“  
 Cum hoc dicimus, laudamus nos et, ut factum nostrum  
 conprobemus, gratias agentium verbis abutimur. Bene- 3  
 ficiū est, quod potest, cum datum est, [et reddi] et non  
 reddi. qui sibi beneficiū dat, non potest non recipere  
 quod dedit: ergo non est beneficiū. Alio tempore be-  
 neficiū accipitur, alio redditur. In beneficiū hoc est 4  
 probabile et suspiciendum, quod aliquis ut alteri prodes-  
 set, utilitatis suae interim oblitus est, quod alteri dedit  
 ablaturus sibi. hoc non facit qui beneficiū sibi dat. Be- 5  
 neficiū dare socialis res est, aliquem conciliat, aliquem  
 obligat: sibi dare non est socialis res, neminem conciliat,  
 neminem obligat, neminem in spem inducit, ut dicat:  
 „hic homo colendus est. illi beneficiū dedit, dabit et  
 mihi.“ Beneficiū est, quod quis non sua causa dat, sed 6  
 eius cui dat. is autem qui sibi beneficiū dat, sua causa  
 dat: non est ergo beneficiū.

XII. Videor tibi iam illud, quod in principio dixeram, 1  
 mentitus? Dicis me abesse ab eo, qui operae pretium fa-  
 cit, immo totam operam bona fide perdere? Exspecta:  
 [et]iam hoc verius dices, simul ac te ad has latebras per-  
 duxero, ex quibus cum evaseris, nihil amplius adsecutus  
 eris, quam ut eas difficultates effugeris, in quas licuit  
 non descendere. Quid enim boni est nodos operose sol- 2  
 vere, quos ipse ut solveres feceris? Sed quemadmodum  
 quaedam in oblectamentum ac iocum sic inligantur, ut  
 eorum solutio inperito difficilis sit, quae illi, qui impli-  
 cuit, sine ullo negotio paret, quia commissuras eorum  
 et moras novit, nihilominus illa habent aliquam volupta-  
 tem: temptant enim acumen animorum et intentionem ex-  
 citant: ita haec, quae videntur callida et insidiosa, secu-  
 ritatem ac segnitiam ingeniis auferunt, quibus modo cam-  
 pus, in quo vagentur, sternendus est, modo *creperi*  
 aliquid et confragosi obiciendum, per quod erepant et sol-  
 licite vestigium faciant.

3 Dicitur nemo ingratus esse: id sic colligitur.  
 „Beneficium est quod prodest. prodesse autem nemo homini malo potest, ut dicitis Stoici. ergo beneficium non accipit malus: [nullus itaque malus] ingratus est. Etiamnunc beneficium honesta et probabilis res est. apud malum nulli honestae rei aut probabili locus est. ergo nec beneficio. quod si accipere non potest, nec reddere quidem debet: et ideo non fit ingratus. Etiamnunc, ut dicitis, bonus vir omnia recte facit. si omnia recte facit, ingratus esse non potest. Bonus beneficium reddit, malus non accipit. quod si est, nec bonus quisquam ingratus est nec  
 5 malus: ita ingratus in rerum natura est nemo.“ At hoc inane. Unum est apud nos bonum, honestum. id pervenire ad malum non potest. desinet enim malus esse, si ad illum virtus intraverit. quamdiu autem malus est, nemo illi dare beneficium potest, quia bona malaque dissentiunt nec in unum eunt: ideo nemo illi prodest, quia quicquid  
 6 ad illum pervenit, id pravo usu corrumpitur. Quemadmodum stomachus morbo vitiatum et colligens bilem, quoscumque accepit cibos mutat et omne alimentum in causam doloris trahit, ita animus caecus, quicquid illi commiseris, id onus suum et perniciem et occasionem miseriae facit. felicissimis itaque opulentissimisque plurimum aestus subest minusque se inveniunt, quo in maiorem  
 7 materiam inciderunt, qua fluctuantur. Ergo nihil potest ad malos pervenire, quod prosit, immo nihil, quod non noceat. quaecumque enim illis contigerunt, in naturam suam vertunt et extra speciosa profuturaque, si meliori darentur, illis pestifera sunt. ideo nec beneficium dare possunt, quoniam nemo potest, quod non habet, dare. [hic benefaciendi voluntate caret.]

1 XIII. Sed quamvis haec ita sint, accipere etiam malus tamen quaedam potest, quae beneficiis similia sint, quibus non redditus ingratus erit. Sunt animi bona, sunt corporis, sunt fortunae: illa animi bona a stulto ac malo submoventur. ad haec admittitur, quae et accipere potest et debet reddere, et, si non reddit, ingratus est. nec hoc ex nostra tantum constitutione: Peripatetici quoque, qui felicitatis

humanae longe lateque terminos ponunt, aiunt minuta beneficia perventura ad malos. haec qui non reddit ingratus est. Nobis itaque beneficia esse non placet, quae non sunt 2 animum factura meliorem: commoda tamen illa esse et expectenda non negamus. haec et viro bono dare malus potest et accipere a bono, ut pecuniam, vestem, honores et vitam. quae si non reddit, in ingrati nomen incidet. „At 3 quomodo ingratum vocas eo non reddito, quod negas esse beneficium?“ Quaedam, etiamsi vera non sunt, propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt: sic pyxidem et argenteam et auream dicimus. sic inlitteratum non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perductum. sic qui male vestitum et pannosum vidit, nudum se vidisse dicit. Beneficia ista non sunt, habent tamen beneficii speciem. „Quomodo ista sunt tamquam beneficia, sic et ille 4 tamquam ingratus est, non ingratus.“ Falsum est, quia illa beneficia et qui dat adpellat et qui accipit: ita qui veri beneficii specie fefellit, tam ingratus est quam veneficus, qui soporem, cum venenum crederet, miscuit.

XIV. Cleanthes vehementius agit. „Licet, inquit, be- 1 neficium non sit; quod accepit, ipse tamen ingratus est, quia non fuit redditurus, etiamsi accepisset.“ Sic latro est, etiam 2 antequam manus inquinet, quia ad occidendum iam armatus est et habet spoliandi atque interficiendi voluntatem. exercetur et aperitur opere nequitia, non incipit. Ipsum quod accepit, beneficium non erat, sed vocabatur. Sacrilegi dant poenas, quamvis nemo usque ad deos manus porrigat. „Quomodo, inquit, adversus malum 3 ingratus est quisquam, cum malo dari beneficium non possit?“ Ea scilicet ratione: *qui* accipiet ab illo aliquid ex his, quae apud inperitos sunt, quorum [si] malis copia est, ipse quoque in simili materia gratus esse debet et illa, qualiacunque sunt, cum pro bonis acceperit, pro bonis reddere. Aes alienum habere dicitur et qui aureos 4 debet et qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedaemonios fuit, quod usum numeratae pecuniae praestat. Quo genere obligatus es, hoc fidem exsolve. Quid sint beneficia, an et in hanc sordidam humilemque 5

materiam deduci magnitudo nominis clari debeat, ad vos non pertinet. in alios quaeritur verum: vos ad speciem veri componite animum et, dum honestum dicitis, quicquid est id, quo nomen honesti iactatur, id colite.

- 1 XV. „Quomodo, inquit, nemo per vos ingratus est, sic rursus omnes ingrati sunt.“ Nam, ut dicimus, omnes stulti mali sunt. qui autem habet vitium unum, omnia habet. omnes autem stulti et mali sunt: omnes ergo  
2 ingrati sunt. Quid ergo? non sunt? non undique humano generi convicium fit? non publica querela est beneficia perisse et paucissimos esse, qui de bene merentibus non invicem pessime mereantur? Nec est quod hanc nostram tantum murmurationem putes pro pessimo pravoque numerantium quicquid citra recti formulam cecidit. Ecce nescio qui non ex philosophorum domo clamat, ex medio conventu populos gentesque damnatura vox mittitur:

*Non hospes ab hospite tutus,*

*non socer a genero. fratrum quoque gratia rara est.*

*imminet exitio vir coniugis, illa mariti.*

- 4 Hoc iam amplius est. beneficia in scelus versa sunt et sanguini eorum non parcitur, pro quibus sanguis fundendus est. gladio ac venenis beneficia sequimur. Ipsi patriae manus adferre et fascibus illam suis premere potentia ac dignitas est. humili se ac depresso loco putat stare, quisquis non supra rempublicam stetit. accepti ab illa exercitus in ipsam convertuntur et imperatoria concio est:  
5 „Pugnate contra coniuges, pugnate contra liberos. aras, focos, penates armis incessite. qui ne triumphaturi quidem intrare urbem iniussu senatus deberetis quibusque victorem exercitum reducentibus curia extra muros praeberetur, nunc civibus caesis perfusi cruore cognato ur-  
6 bem subrectis intrate vexillis. Obmutescat inter militaria signa libertas et ille victor pacatorque gentium populus remotis procul bellis, omni terrore compresso intra muros obsessus aquilas suas horreat.“  
1 XVI. Ingratus est Coriolanus: sero et post sceleris poenitentiam pius, posuit arma, sed in medio parricidio posuit. Ingratus Catilina: parum est illi capere patriam,



nisi verterit, nisi Allobrogum in illam cohortes inmiserit et trans Alpes accitus hostis vetera et ingenita odia satia-  
 verit ac diu debitas inferias Gallicis bustis duces Romani  
 persolverint. Ingratus C. Marius ad consulatum a caliga 2  
 perductus, qui nisi Cimbricis caedibus Romana funera  
 aequaverit, nisi civilis exitii et trucidationis non tantum  
 dederit signum, sed ipse signum fuerit, parum multatam  
 ac repositam in priorem locum fortunam suam sentiet.  
 Ingratus L. Sulla, qui patriam durioribus remediis quam 3  
 pericula erant sanavit, qui cum a Praenestina arce usque  
 ad Collinam portam per sanguinem humanum incessisset,  
 alia edidit in urbe proelia, alias caedes. legiones duas,  
 quod crudele est, post victoriam, quod nefas, post fidem  
 in angulo congestas contrucidavit et proscriptionem con-  
 mentus est, di magni, ut qui civem Romanum occidisset,  
 impunitatem, pecuniam, tantum non civicam acciperet!  
 Ingratus Cn. Pompeius, qui pro tribus consulatibus, pro 4  
 triumphis tribus, pro tot honoribus, quos ex maxima parte  
 immaturus invaserat, hanc gratiam reipublicae reddidit,  
 ut in possessionem eius alios quoque induceret quasi po-  
 tentiae suae detracturus invidiam, si quod nulli licere  
 debebat, pluribus licuisset. dum extraordinaria concu-  
 piscit imperia, dum provincias, ut eligat, distribuit, dum  
 ita [cum tertio] rempublicam dividit, ut tamen in sua do-  
 mo duae partes essent, eo redegit populum Romanum,  
 ut salvus esse non posset nisi beneficio servitutis. In- 5  
 gratus ipse Pompeii hostis ac victor: a Gallia Germania-  
 que bellum in urbem circumegit et ille plebicola, ille po-  
 pularis castra in circo Flaminio posuit propius quam Por-  
 senae fuerant. Temperavit quidem ius crudelitatemque  
 victoriae. quod dicere solebat, praestitit: neminem occi-  
 dit nisi armatum. quid ergo est? ceteri arma eruentius  
 exercuerunt, satiati tamen aliquando abiecerunt, hic gla-  
 dium cito condidit, numquam posuit. Ingratus Antonius 6  
 in dictatorem suum, quem iure caesum pronuntiavit. in-  
 terfectores eius in provincias et imperia dimisit, patriam  
 vero proscriptionibus, incursionibus, bellis laceratam  
 post tot mala destinavit ne Romanis quidem regibus: ut

quae Achaeis, Rhodiis, plerisque urbibus claris ius integrum libertatemque cum immunitate reddiderat, ipsa tributum spadonibus penderet.

- 1 XVII. Deficiet dies enumerantem ingratos usque in ultima patriae exitia. Aequè inmensum erit, si percurrere coepero, ipsa respublica quam ingrata in optimos ac devotissimos sibi fuerit quamque non minus saepe peccaverit quam in ipsam peccatum est. Camillum in exilium misit, Scipionem dimisit. exulavit post Catilinam Cicero, diruti eius penates, bona direpta, factum quicquid victor Catilina fecisset. Rutilius innocentiae pretium tulit in Asia latere. Catoni populus Romanus praeturam negavit, 3 consulatum pernegavit. Ingrati publice sumus. se quisque interroget: nemo non aliquem queritur ingratum. atqui non potest fieri, ut omnes querantur, nisi querendum est de omnibus: omnes ergo ingrati sunt: [*ingrati*] tantum? et cupidi omnes et maligni omnes et timidi omnes, illi in primis qui videntur audaces. adice, et ambitiosi omnes sunt et inpii omnes. Sed non est quod irascaris. ignosce illis: 4 omnes insaniunt. Nolo te ad incerta revocare, ut dicam: „vide quam ingrata sit iuventus: quis non patri suo supremum diem, ut innocens sit, optat? ut moderatus sit, exspectat? ut pius, cogitat? Quotus quisque uxoris optimae mortem timet, ut non et computet? Cui, rogo, cui litigatori defenso tam magni beneficii ultra res proximas 5 memoria duravit?“ Illud in confesso est: quis sine querela moritur? quis extremo die dicere audet:

*Vixi et quem dederat cursum fortuna peregi?*

- quis non recusans, quis non gemens exit? Atqui hoc 6 ingrati est, non esse contentum praeterito tempore. Semper pauci dies erunt, si illos numeraveris. cogita non esse summum bonum in tempore: quantumcumque est, boni consules. ut prorogetur tibi dies mortis, nihil proficitur ad felicitatem, quoniam mora non fit beatior vita, 7 sed longior. Quanto satius est gratum adversus perceptas voluptates non aliorum annos computare, sed suos benigne aestimare et in lucro ponere? Hoc me dignum iudicavit deus: hoc satis est. potuit plus: sed hoc quoque

beneficium est. Grati simus adversus deos, grati adversus homines, grati adversus eos, qui aliquid nobis praestiterunt. grati etiam adversus eos, qui nostris praestiterunt.

XVIII. „In infinitum eius, inquit, me obligas, cum 1  
dicis et nostris. itaque pone aliquem finem. Qui filio beneficium dat, ut dicis, et patri eius dat. Primum unde, quo, quaero. deinde illud utique mihi determinari volo, si et patri beneficium datur, numquid et patruo? numquid et avo? numquid uxori et socero? Dic mihi ubi de- 2  
beam desinere, quousque personarum seriem sequar. Si agrum tuum coluero, tibi beneficium dedero. si domum tuam ardentem restinxero aut ne concidat excepero, tibi beneficium dabo: si servum tuum sanavero, non habebis beneficium meum?“

XIX. Dissimilia ponis exempla, quia qui agrum meum 1  
colit, agro beneficium non dat, sed mihi. et qui domum meam, quo minus ruat fulcit, praestat mihi: ipsa enim domus sine sensu est. debitorem me habet, quia nullum habet. et qui agrum meum colit, non illum, sed me de-  
mereri vult. Idem de servo dicam. mei mancipii res est, mihi servatur: ideo ego pro illo debeo. Filius ipse bene- 2  
ficii capax est: itaque ille accipit, ego beneficio laetor, et contingor, non obligor. Velim tamen, tu qui debere te non putas, respondeas mihi: filii bona valitudo, felicitas, patrimonium pertinet ad patrem? felicior futurus est, si salvum filium habuerit, infelicior, si amiserit? Quid ergo? qui et felicior fit a me et infelicitatis maximae periculo liberatur, non accipit beneficium? „Non, inquit. 3  
quaedam enim in alios conferuntur, sed ad nos usque permanant. ab eo autem exigi quidque debet, in quem confertur, sicut pecunia ab eo petitur, cui credita est, quamvis ad me illa aliquo modo venerit. Nullum benefi-  
cium est, cuius commodum non et proximos tangat, non-  
numquam etiam longius positos. non quaeritur, quo be- 4  
neficium ab eo, cui datum est, transferatur, sed ubi primo conlocetur: a reo tibi ipso et a capite repetitio est.“ Quid ergo? oro te, non dicis: filium mihi donasti et, si hic

perisset, victurus non fui? pro eius vita beneficium non debes, cuius vitam tuae praefers? Etiamnunc cum filium tuum servavi, ad genua procumbis, dis vota solvis tam-  
5 quam ipse servatus. Illae voces exeunt tibi: Nihil interest mea, an me servaveris. duos servasti: immo me magis. Quare ista dicis, si non accipis beneficium? quia et si filius meus pecuniam mutuam sumpserit, creditori numerabo, non tamen ideo ego debuerō. quia et si filius meus in adulterio deprehensus erit, erubescam, non ideo  
6 ego ero adulter. Dico me tibi obligatum pro filio, non quia sum, sed quia volo me offerre tibi debitorem voluntarium. At pervenit ad me summa ex incolumitate eius voluptas, summa utilitas et orbitatis gravissimum vulnus effugi. Non quaeritur nunc, an profueris mihi, sed an beneficium dederis. prodest enim et animal et lapis et herba, nec tamen beneficium dant, quod numquam datur  
7 nisi a volente. Tu autem non vis patri, sed filio dare. et interim nec nosti quidem patrem. itaque cum dixeris: Patri ergo beneficium non dedi filium eius servando? contra obpone: Patri ergo beneficium dedi quem non novi, quem non cogitavi? Et quid? quod aliquando eveniet, ut patrem oderis, filium serves: beneficium ei videberis  
8 dedisse, cui tunc inimicissimus eras cum dares? Sed ut dialogorum altercatione seposita tamquam iurisconsultus respondeam, mens spectanda est dantis: beneficium ei dedit, cui datum voluit. si in patris honorem fecit, pater accepit beneficium: sed pater beneficio in filium collato non obligatur, etiamsi fruitur. si tamen occasionem habuerit, volet et ipse praestare aliquid, non tamquam solvendi necessitatem habeat, sed tamquam incipiendi causam. Repeti a patre beneficium non debet. si quid pro hoc benigne facit, iustus, non  
9 gratus est. Nam illud finiri non potest: si patri do beneficium, et matri et avo et avunculo et liberis et adfinibus et amicis et servis et patriae. ubi ergo beneficium incipit stare? sorites enim ille inexplicabilis subit, cui difficile est modum inponere, quia paulatim subrepat et non desinit serpere.

XX. Illud solet quaeri: „Fratres duo dissident. si al- 1  
 terum servo, an dem beneficium ei, qui fratrem invisum  
 non perisse moleste laturus est?“ Non est dubium,  
 quin beneficium sit etiam invito prodesse, si-  
 cut non dedit beneficium, qui invitus profuit. „Beneficium, 2  
 inquit, vocas, quo ille offenditur, quo torquetur?“ Multa  
 beneficia tristem frontem et asperam habent, quemad-  
 modum secare et urere, ut sanes, et vinculis coercere.  
 non est spectandum, an doleat quis beneficio accepto,  
 sed an gaudere debeat. non est malus denarius, quem  
 barbarus et ignarus formae publicae reiecit. Beneficium  
 et odit et accepit, si modo id prodest, si is, qui dabat, ut  
 prodesset dedit. nihil refert, an bonam rem malo animo  
 quis accipiat. Agedum, hoc in contrarium verte: odit 3  
 fratrem suum, quem illi expedit habere. hunc ego occidi:  
 non est beneficium, quamvis ille dicat esse et gaudeat. In-  
 sidiosissime nocet cui gratiae aguntur pro iniuria. Video.  
 Prodest aliqua res et ideo beneficium est: nocet et ideo non  
 est beneficium. Ecce quod nec prosit nec noceat dabo, et 4  
 tamen beneficium erit: patrem alicuius in solitudine exa-  
 nimem inveni, corpus eius sepelivi. nec ipsi profui —  
 quid enim illius intererat, quo genere dilaberetur? — nec  
 filio, quid enim per hoc commodi accessit illi? dicam  
 quid consecutus sit: officio sollemni et necessario per me  
 functus est. Praestiti patri eius, quod ipse praestare vo- 5  
 luisset nec non et debuisset. hoc tamen ita beneficium  
 est, si non misericordiae et humanitati dedi, ut quodlibet  
 cadaver absconderem, sed si corpus adgnovi, si filio  
 tunc hoc praestare me cogitavi. at si terram ignoto mor-  
 tuo inieci, nullum in hoc habeo huius officii debitorem in  
 publicum humanus. Dicit aliquis: „quid tantopere 6  
 quaeris, cui dederis beneficium tamquam re-  
 petiturus aliquando?“ Sunt qui numquam  
 iudicant esse repetendum et has causas adferunt:  
 „indignus etiam repetenti non reddet, dignus ipse per se  
 referet. praeterea si bono viro dedisti, exspecta, ne ini-  
 uriam illi facias adpellando, tamquam sua sponte red-  
 diturus non fuisset. si malo viro dedisti, plectere. Be-

beneficium verbo ne corruperis creditum faciendo. praeterea lex, quod non iussit repeti, vetuit.“ Vera sunt ista. quamdiu me nihil urget, quamdiu fortuna nihil cogit, petam potius beneficium quam repetam. sed si de salute liberorum agitur, si in periculum uxor deducitur, si patriae salus ac libertas mittit me etiam quo ire nollem, imperabo pudori meo et testabor omnia me fecisse, ne opus esset mihi auxilio hominis ingrati. novissime recipiendi beneficii necessitas repetendi verecundiam vincet. Deinde, cum bono viro beneficium do, sic do tamquam numquam repetiturus, nisi necesse fuerit.

1 XXI. „Sed lex, inquit, non permittendo exigere vetuit.“ Multa legem non habent nec actionem, ad quae consuetudo vitae humanae lege omni valentior dat aditum. Nulla lex iubet amicorum secreta non eloqui. nulla lex iubet fidem etiam inimico praestare. quae lex ad id praestandum nos, quod alicui promisimus, adligat? nulla: querar tamen cum eo, qui arcanum sermonem non continuerit et fidem datam nec servatam indignabor. „Sed ex beneficio, inquit, creditum facis.“ Minime: non enim exigo, sed repeto, et ne repeto quidem, sed admoneo. nam ultima quoque necessitas *non* in hoc aget, ut ad eum veniam, cum quo diu mihi luctandum sit. *Si* quis tam ingratus est, ut illi non sit satis admoneri, eum transibo  
3 nec dignum iudicabo, qui gratus esse cogatur. Quomodo fenerator quosdam debitores non adpellat, quos scit decoxisse et in quorum pudorem nihil superest nisi quod pereat, sic ego quosdam ingratos palam ac pertinaciter praeteribo nec ab ullo beneficium repetam, nisi a quo non ablaturus ero, sed recepturus.

1 XXII. Multi sunt, qui nec negare sciant, quod acceperunt, nec referre. qui nec tam boni sunt quam grati nec tam mali quam ingrati, segnes et tardi, lenta nomina, non mala. hos ego non adpellabo, sed commonefaciam et ad officium aliud agentes reducam. qui statim mihi sic respondebunt: „Ignosce, non mehercule scivi hoc te desiderare, alioquin ultro obtulissem. rogo, ne me ingratum existimes: memini quid mihi praestiteris.“ Hos ego

quare dubitem et sibi meliores et mihi facere? Quemcum-<sup>2</sup> que potuero, peccare prohibebo, multo magis amicum et ne peccet et ne in me potissimum peccet. alterum illi beneficium do, si illum ingratum esse non patior. nec dure illi exprobrabo quae praestiti, sed quam potuero mollissime, ut potestatem referendae gratiae faciam, renovabo memoriam eius et petam beneficium: ipse me repêtere intellet. Aliquando utar verbis durioribus, si<sup>3</sup> emendari illum speravero posse. nam deploratum propter hoc quoque non exagitabo, ne ex ingrato inimicum faciam. Quodsi admonitionis quoque suggillationem ingratis remittimus, segniores ad reddenda beneficia faciemus. Quosdam vero sanabiles et qui fieri boni possint,<sup>4</sup> si quid illos momorderit, perire patiemur admonitione sublata, qua et pater filium aliquando correxit et uxor maritum aberrantem ad se reduxit et amicus languentem amici fidem erexit.

XXIII. Quidam ut expergiscantur, non feriendi, sed<sup>1</sup> commovendi sunt: eodem modo quorundam ad referendam gratiam fides non cessat, sed languet. hanc pervellamus. „Noli munus tuum in iniuriam vertere. iniuria est enim, si in hoc non repetis, ut ingratus sim. quid, si ignoro quid desideres? quid si occupationibus districtus et in alia vocatus occasionem non observavi? ostende mihi quid possim, quid velis. Quare desperas, antequam temptes?<sup>2</sup> quare properas et beneficium et amicum perdere? unde scis nolim an ignorem, animus an facultas desit mihi? experire.“ Admonebo ergo, non amare, non palam, sine convicio, sic, ut se redisse in memoriam, non reduci putet.

XXIV. Causam dicebat apud divum Iulium ex vetera-<sup>1</sup> nis quidam paulo violentior adversus vicinos suos et causa premebatur. *Meministi, inquit, imperator, in Hispania talum extorsisse circa Sucronem?* cum Caesar meminisse se dixisset, *meministi quidem, [inquit,] sub quadam arbore minimum umbræ spargente cum velles residere ferventissimo sole et esset asperrimus locus, in quo ex rupibus acutis unica illa arbor eruperat, quemdam ex commilitonibus penulam suam substravisse?* Cum dixisset Caesar: <sup>2</sup>

*quidni meminerim? et quidem siti confectus, quia inpeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, nisi commilito, homo fortis ac strenuus, aquam mihi in galea sua adtulisset. potes ergo, inquit, imperator, adgnoscerere illum hominem aut illam galeam? Caesar ait se non posse galeam cognoscere, hominem pulchre posse, et adiecit, puto ob hoc iratus, quod se a cognitione media ad veterem fabulam abduceret: tu utique ille non es. Merito, inquit, Caesar, me non adgnoscis: nam cum hoc factum est, integer eram. postea ad Mundam in acie oculus mihi effossus est et in capite lecta ossa. nec galeam illam, si videris, adgnosces. machaera enim Hispana divisa est. Vetuit illi exhiberi negotium Caesar et agellos, in quibus vicinalis via causa rixae ac litium fuerat, militi suo donavit.*

- 1 XXV. Quid ergo? non repeteret beneficium ab imperatore, cuius memoriam multitudo rerum confuderat? quem fortuna ingens exercitus disponentem non patiebatur singulis militibus occurrere? Non est hoc repetere beneficium, sed resumere bono loco positum et paratum, ad quod tamen, ut sumatur, manus porrigenda est. Repetam itaque, quia hoc aut ex magna necessitate facturus ero aut illius causa, a quo repetam. Tiberius Caesar inter initia dicenti cuidam, *Meministi*, antequam plures notas familiaritatis veteris proferret, *non meministi*, inquit, *quid fuerim*. Ab hoc quidni non esset repetendum beneficium? optanda erat oblivio: aversabatur omnium amicorum et aequalium notitiam et illam solam praesentem fortunam suam adspici, illam solam cogitari ac narrari volebat: inquisitionem habebat veterem amicum. Magis tempestive repetendum est beneficium quam petendum. adhibenda verborum moderatio, ut nec [*gratus possit offendi nec*] ingratus dissimulare. Tacendum erat et exspectandum, si inter sapientes viveremus: et tamen sapientibus quoque indicare melius fuisset, quid rerum nostrarum status posceret. Deos quorum notitiam nulla res effugit, rogamus, et illos vota non exorant sed admonent. Dis quoque [inquam] Homericus ille sacerdos adlegat officia et aras religiose cultas.



Moneri velle ac posse secunda virtus est. *equos* obsequentes *facies* parere huc illuc frenis leniter motis: flectendus est paucis animus, sui rector optimus. Proximi sunt qui 5 admoniti in viam redeunt. his non est dux detrahendus. Opertis oculis inest acies, sed sine usu, quam lumen diei inmissum ad ministeria sua evocat. instrumenta cesant, nisi illa in opus suum artifex movit. Inest interim 6 animis voluntas bona, sed torpet, modo deliciis ac situ, modo officii inscitia. hanc utilem facere debemus, nec irati relinquere in vitio, sed ut magistri patienter ferre offensiones puerorum discentium, memoriae labentis. quae quemadmodum saepe subiecto uno aut altero verbo ad contextum reddendae orationis adducta est, sic ad referendam gratiam admonitione revocanda est.

---

## L. ANNAEI SENECAE

AD AEBUTIUM LIBERALEM

# DE BENEFICIIS

-LIBER VI.

---

I. Quaedam, Liberalis, virorum optime, exercendi tantum ingenii causa quaeruntur et semper extra vitam iacent. quaedam et dum quaeruntur, oblectamento sunt et quaesita usui. Omnium tibi copiam faciam. tu illa, utcumque tibi visum erit, aut peragi iubeto aut ad explicandum ludorum ordinem induci. [in] his quoque, si abire iusseris protinus, nonnihil actum erit: nam etiam quod discere supervacuum est, prodest cognoscere. Ex vultu igitur tuo pendebo: prout ille suaserit mihi, alia detinebo diutius, alia expellam et capite agam.

II. An beneficium eripi possit, quaesitum I est. Quidam negant posse. non enim res est, sed actio.

quomodo aliud est munus, aliud ipsa donatio. aliud qui navigat, aliud navigatio. et quamvis aeger non sit sine morbo, non tamen idem est aeger et morbus: ita aliud est beneficium ipsum, aliud quod ad unumquemque nostrum beneficio pervenit. Illud incorporale est, iritum non fit: materia vero eius huc et illuc iactatur et dominum mutat. Itaque cum eripis, ipsa rerum natura revocare quod dedit non potest. beneficia sua interrumpit, non rescindit: qui moritur, tamen vixit. qui amisit oculos, tamen vidit. Quae ad nos pervenerunt, ne sint, effici potest, ne fuerint, non potest. pars autem beneficii et quidem certissima est, quae fuit. Nonnumquam usu beneficii longiore prohibemur, beneficium quidem ipsum non eraditur. Licet omnes in hoc vires suas natura advocet, retro illi agere se non licet. potest eripi domus et pecunia et mancipium et quicquid est, in quo haesit beneficii nomen: ipsum vero stabile et inmotum est. nulla vis efficiet, ne hic dederit, ne ille acceperit.

1 III. Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poetam, cum fortunam suam transeuntem alio videat et sibi nihil relictum praeter ius mortis, id quoque si cito occupaverit, exclamare:

*Hoc habeo quodcumque dedi.*

O quantum habere potuit, si voluisset! Hae sunt divitiae certae in quacumque sortis humanae levitate uno loco permansurae. quae quo maiores fuerint, hoc minorem habebunt invidiam. Quid tamquam tuo parcis? procurator es. omnia ista, quae vos tumidos et supra humana elatos oblivisci cogunt vestrae fragilitatis, quae ferreis claustris custoditis armati, quae ex alieno sanguine rapta vestro defenditis, propter quae classes cruentaturas maria deducitis, propter quae quassatis urbes ignari, quantum telorum in adversos fortuna conparet, propter quae ruptis totiens adfinitatis, amicitiae, collegii foederibus inter contententes duos terrarum orbis elisus est, non sunt vestra: in depositi causa sunt iam iamque ad alium dominum spectantia  
3 aut hostis illa aut hostilis animi successor invadet. Quaeris quomodo illa tua facias? dona dando. Consule igitur rebus

tuis et certam tibi earum atque inexpugnabilem possessionem para honestiores illas non solum, sed tutiores factururus. Istud quod suspicis, quo te divitem ac potentem putas, quamdiu possides, sub nomine sordido iacet: domus est, servus est, nummi sunt. cum donasti, beneficium est.

IV. „Fateris, inquit, nos aliquando beneficium non debere ei, a quo accepimus: ergo ereptum est.“ Multa sunt, propter quae beneficium debere desinimus, non quia ablatum, sed quia corruptum est. Aliquis reum me defendit, sed uxorem meam per vim stupro violavit: non abstulit beneficium, sed opponendo illi parem iniuriam solvit me debito, et si plus laesit quam ante profuerat, non tantum gratia exstinguitur, sed ulciscendi querendique libertas fit, ubi in comparatione beneficii praeponderavit iniuria: ita non aufertur beneficium, sed vincitur. Quid? non tam duri quidam et tam scelerati patres sunt, ut illos aversari et eiorare ius fasque sit? numquid ergo illi abstulerunt quae dederant? minime, sed impietas sequentium temporum commendationem omnis prioris officii sustulit. Non beneficium tollitur, sed beneficii gratia, et efficitur non ne habeam, sed ne debeam. Tamquam pecuniam aliquis mihi credit, sed domum meam incendit. pensatum est creditum damno: nec reddidi illi, nec tamen debeo. Eodem modo et hic, qui aliquid benigne adversus me fecit, aliquid liberaliter, sed postea multa superbe, contumeliose, crudeliter, eo loco me posuit, ut proinde liber adversus eum essem, ac si nihil accepissem. vim beneficiis suis adtulit. Cololum suum non tenet quamvis tabellis manentibus, qui segetem eius proculcavit, qui succidit arbusta, non quia recepit quod pepigerat, sed quia ne reciperet effecit. Sic debitori suo creditor saepe damnatur, ubi plus ex alia causa abstulit quam ex crediti petit. Non tantum inter creditorem et debitorem iudex sedet qui dicat: pecuniam credidisti. quid ergo? pecus abegisti, servum eius occidisti, argentum quod non emeris possides. aestimatione facta debitor discede qui creditor veneras: inter beneficia quoque et iniurias ratio confertur. Saepe, inquam, be-

neficio manet nec debetur, si secuta est dantem poenitentia, si miserum se dixit, quod dedisset, si, cum daret, suspiravit, voltum adduxit, perdere se credidit, non donare. si sua causa aut certe non mea dedit. si non desiit insultare, gloriari et ubique iactare et acerbum munus  
7 suum facere. Manet beneficium, quamvis non debeatur, sicuti quaedam pecuniae, de quibus ius creditori non dicitur, debentur sed non exiguntur.

- 1 V. „Dedisti beneficium, iniuriam postea fecisti: et beneficio gratia debetur et iniuriae ultio.“ Nec ego illi gratiam debeo nec ille mihi poenam: alter ab altero ab-  
2 solvitur. Cum dicimus: beneficium illi reddidi, non hoc dicimus, illud nos, quod acceperamus, reddidisse, sed aliud pro illo. reddere enim est rem pro re dare. quidni? cum omnis solutio non idem reddat, sed tantumdem. nam et pecuniam dicimur reddidisse, quamvis numeraverimus pro argenteis aureos, quamvis non intervenerint nummi, sed delegatione et verbis perfecta solutio sit. Videris mihi dicere: „Perdis operam. quorsum enim pertinet scire me, an maneat, quod non debetur? iurisconsultorum istae ineptiae sunt acutae, qui hereditatem negant usucapi posse, sed ea quae in hereditate sunt, tamquam quicquam aliud sit hereditas quam ea  
4 quae in hereditate sunt. Illud potius mihi distingue, quod potest ad rem pertinere, cum idem homo beneficium mihi dedit et postea fecit iniuriam, utrum et beneficium illi reddere debeam et me ab illo nihilominus vindicare ac veluti duobus nominibus separatim respondere, an alterum alteri contribuere et nihil negotii habere, ut beneficium iniuria tollatur, beneficio iniuria. illud enim video in hoc foro fieri: quid in vestra schola iuris sit, vos sciat  
5 tis. Separantur actiones, et de eo [quod] agimus et de eo nobiscum agitur. non confunditur formula: si qui apud me pecuniam deposuerit, idem mihi postea furtum fecerit, et ego cum illo furti agam et ille mecum depositi.“
- 1 VI. Quae proposuisti, mi Liberalis, exempla certis legibus continentur, quas necesse est sequi: lex legi non miscetur. utraque sua via it: depositum habet actionem

propriam, tam mehercule quam furtum. Beneficium nulli legi subiectum est: me arbitro utitur. licet me comparare inter se, quantum profuerit mihi quisque aut quantum nocuerit, tum pronuntiare, utrum plus debeat mihi an debeam. In illis nihil est nostrae potestatis. eundem est <sup>2</sup> qua ducimur: in beneficio tota potestas mea est: ego itaque iudico illa. non separo nec diduco, sed iniurias et beneficia ad eundem iudicem mitto: alioquin iubes me eodem tempore et amare et odisse, et queri et gratias agere, quod natura non recipit. potius comparatione facta inter se beneficii et iniuriae videbo, an etiam ultro mihi debeat. Quomodo si quis scriptis nostris alios superne <sup>3</sup> inprimit versus, priores literas non tollit, sed abscondit, sic beneficium superveniens iniuria adparere non patitur.

VII. Voltus tuus, cui regendum me tradidi, colligit <sup>1</sup> rugas et trahit frontem, quasi longius exeam. videris mihi dicere:

*Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige cursum,  
Litus ama.*

Non possum magis. Itaque si huic satisfactum existimas, illo transeamus, an ei debeat aliquid, qui nobis invitatus profuit. Hoc apertius potui dicere, nisi propositio deberet esse confusior, ut distinctio statim subsecuta ostenderet utrumque quaeri, an ei deberemus, qui nobis, dum non vult, profuit, et an ei, qui, dum nescit. Nam si quis coactus aliquid <sup>3</sup> boni fecit, quin nos non obliget, manifestius est, quam ut ulla in hoc verba inpendenda sint. Et haec quaestio facile expeditur et, si qua similis huic moveri potest, si totiens illo cogitationem nostram converterimus beneficium nullum esse, nisi quod ad nos primum aliqua cogitatio defert, deinde amica et benigna. Itaque nec fluminibus gratias agimus, quamvis aut magna navigia patiantur et ad subvehendas copias largo ac perenni alveo currant aut piscosa et amoena pinguis arvis interfluant. nec quisquam Nilo beneficium debere se iudicat, non magis quam odium, si inmodicus superfluxit tardeque decessit. nec ventus beneficium dat, licet Jenis et secundus adspi-

ret, nec utilis et salubris cibus: nam qui beneficium mihi daturus est, debet non tantum prodesse, sed velle. Ideo nec mutis animalibus quicquam debetur: et quam multos e periculo velocitas equi rapuit? nec arboribus: et quam  
 4 multos aestu laborantes ramorum opacitas texit? Quid autem interest, utrum mihi qui nescit profuerit an qui scire non potuit, cum utrique velle defuerit? Quid autem interest, utrum me iubeas navi aut vehiculo aut lanceae debere beneficium, an ei qui aequae quam ista propositum benefaciendi nullum habuit, sed profuit casu?

1 VIII. Beneficium aliquis nesciens accipit, nemo a nesciente. Quomodo multos fortuita sanant nec ideo remedia sunt: et in flumen alicui cecidisse frigore magno causa sanitatis fuit. quomodo quorumdam flagellis quartana discussa est et metus repentinus animum in aliam curam avertendo suspectas horas fefellit, nec ideo quicquam horum, etiamsi saluti fuit, salutare est: sic quidam nobis prosunt, dum nolunt, immo quia nolunt. non tamen  
 2 idem illis beneficium debemus, quod perniciose illorum consilia fortuna deflexit in melius. An existimas me debere ei quicquam, cuius manus cum me peteret, percussit hostem meum, qui nocuisset, nisi errasset? Saepe hostis dum aperte peierat, etiam veris testibus abrogavit fidem et reum velut factione circumventum miserabilem  
 3 reddidit. Quosdam ipsa quae premebat potentia eripuit, et iudices quem damnaturi erant causa, damnare gratia noluerunt. non tamen hi reo beneficium dederunt, quamvis profuerint, quia telum quo missum sit, non quo pervenerit quaeritur et beneficium ab iniuria distinguit non  
 4 eventus, sed animus. Adversarius meus, dum contraria dicit et iudicem superbia offendit et in unum testem [de me] rem demittit, causam meam erexit. non quaero an pro me erraverit: contra me voluit.

1 IX. Nempe ut gratus sim, velle debeo idem facere quod ille, ut beneficium daret, debuit. Num quid est iniquius homine, qui eum odit, a quo in turba calcatus aut respersus aut quo nollet impulsus est? atqui quid est aliud, quod illum quaerere eximat, cum in re sit iniuria,

quam nescisse quid faceret? Eadem res efficit ne hic 2 beneficium dederit, ne ille iniuriam fecerit: et amicum et inimicum voluntas facit. Quam multos militiae morbus eripuit? quosdam, ne ad ruinam domus suae occurrerent, inimicus vadimonio tenuit. ne in piratarum manus pervenirent, quidam naufragio consecuti sunt: nec his tamen beneficium debemus, quoniam extra sensum officii casus est, nec inimico, cuius nos lis servavit, dum vexat ac detinet. Non est beneficium nisi quod a bona voluntate proficiscitur, nisi illud adgnoscat qui dedit. Profuit aliquis 3 mihi, dum nescit: nihil illi debeo. profuit, cum vellet nocere: imitabor ipsum.

X. Ad primum illum revertamur: ut gratiam referam, 1 aliquid facere me vis? ipse ut beneficium mihi daret, nihil fecit. Ut ad alterum transeamus: vis me huic gratiam referre, ut quod a nolente accepi, volens reddam? Nam quid de tertio loquar, qui ab iniuria in beneficium delapsus est? ut beneficium tibi debeam, parum est voluisse te dare. ut non debeam, satis est noluisse. Beneficium enim voluntas nuda non efficit, sed quod beneficium non esset, si optima ac plenissima voluntati fortuna deesset, id aequè beneficium non est, nisi fortunam voluntas antecessit. non enim profuisse te mihi oportet, ut ob hoc tibi obliger, sed ex destinato profuisse.

XI. Cleanthes exemplo eiusmodi utitur: „Ad quaerendum, inquit, et accersendum ex academia Platonem duos 1 pueros misi: alter totam porticum perscrutatus est, aia quoque loca, in quibus illum inveniri posse sperabat, percucurrit et domum non minus lassus quam inritus rediit. alter apud proximum circulatorem resedit et, dum vagus 2 atque erroneus vernaculis congregatur et ludit, transeuntem Platonem, quem non quaesierat, invenit. Illum, inquit, laudabimus puerum, qui, quantum in se erat, quod iustus est fecit: hunc feliciter inertem castigabimus.“ Voluntas est, quae apud nos ponit officium. cuius vide quae condicio sit, ut me debito obstringat. Parum est illi velle, nisi profuit: parum est profuisse, nisi voluit. puta enim aliquem donare voluisse nec donasse: animum qui-

dem eius habeo, sed beneficium non habeo, quod con-  
 4 summat et res et animus. Quemadmodum ei, qui voluit  
 mihi quidem pecuniam credere, sed non dedit, nihil de-  
 beo, ita ei, qui voluit mihi beneficium dare, sed non po-  
 tuit, amicus quidem ero, sed non obligatus: et volo illi  
 aliquid praestare, nam et ille voluit mihi. ceterum si be-  
 nigniore fortuna usus praestitero, beneficium dedero, non  
 gratiam retulero. ille mihi gratiam debebit referre. hinc  
 initium fiet: a me numeratur.

1 XII. Intellego iam, quid velis quaerere: non opus est  
 te dicere, *vultus tuus loquitur*. Si quis sua causa  
 nobis profuit, eine, inquis, debetur aliquid? hoc enim saepe te conquerentem audio, quod quaedam  
 homines sibi praestant, aliis inputant. Dicam, mi Libe-  
 2 ralis: sed prius istam quaestiunculam dividam et rem ae-  
 quam ab iniqua separabo. Multum enim interest, utrum  
 aliquis beneficium nobis det sua causa an et sua. Ille qui  
 totus ad se spectat et nobis prodest, quia aliter prodesse  
 sibi non potest, eo loco mihi est, quo qui pecori suo hi-  
 bernum et aestivum pabulum prospicit. eo loco, quo qui  
 captivos suos, ut commodius veneant, pascit et opimos  
 boves saginat ac defricat. quo lanista, qui familiam sum-  
 ma cura exercet atque ornat. „Multum, ut ait Cleanthes,  
 a beneficio distat negotiatio.“

1 XIII. Rursus non sum tam iniquus, ut nihil ei debeam  
 qui, cum mihi utilis esset, fuit et sibi. non enim exigo,  
 ut sine respectu sui mihi consulat, immo etiam opto, ut  
 beneficium mihi datum vel magis danti profuerit, dum-  
 modo id, qui dabat, duos intuens dederit et inter me seque  
 2 dividerit. licet id ipse ex maiore parte possideat, si mo-  
 do me in consortium admisit, si duos cogitavit. Ingratus  
 sum, non solum iniustus, nisi gaudeo hoc illi profuisse  
 quod proderat mihi. summae malignitatis est non vocare  
 beneficium, nisi quod dantem aliquo incommodo adfecit.  
 Alteri illi, qui beneficium dat sua causa, respondebo:  
 usus me quare potius te mihi profuisse dices quam me  
 3 tibi? „Putat, inquit, aliter fieri non posse me magistratum,  
 quam si decem captos cives ex magno captivorum nu-



mero redemero: nihil debebis mihi, cum te servitute ac vinculis liberavero? atqui mea id causa faciam.“ Adversus hoc respondebo: aliquid istic tua causa facis, aliquid mea: tua, quod redimis. tibi enim ad utilitatem tuam satis est quoslibet redemisse. itaque debeo non quod redimis me, sed quod eligis. poteras enim et alterius redemptione idem consequi quod mea. Utilitatem rei partiris mecum et me in beneficium recipis duobus profuturum. praefers me aliis: hoc totum mea causa facis. Itaque si praetorem te factura esset decem captivorum redemptionis, decem autem soli captivi essemus, nemo tibi quicquam deberet ex nobis, quia nihil haberes, quod cuiquam inputares a tua utilitate seductum. Non sum invidus beneficii interpretis nec desidero illud mihi tantum dari, sed et mihi.

XIV. „Quid ergo, inquit, si in sortem nomina vestra conici iussissem et tuum nomen inter redimendos exisset, nihil deberes mihi?“ immo deberem, sed exiguum. quid sit hoc dicam. Aliquid istic mea causa facis, quod me ad fortunam redemptionis admittis: quod nomen meum exiit, sorti debeo, quod exire potuit, tibi. aditum mihi ad beneficium tuum dedisti, cuius maiorem partem fortunae debeo, sed hoc ipsum tibi, quod fortunae debere potui. Illos ex toto praeteribo, quorum mercenarium beneficium est. quod qui dat, non computat cui, sed quanti daturus sit, quod undique in se conversum est. Vendit mihi aliquis frumentum. vivere non possum nisi emerò. sed non debeo vitam, quia emi. Nec quam necessarium fuerit aestimo, sine quo victurus non fui, sed quam ingratum, quod non habuissem nisi emissem, in quo invehendo mercator non cogitavit, quantum auxilii adlaturus esset mihi, sed quantum lucri sibi. Quod emi non debeo.

XV. „Isto modo, inquit, nec medico quicquam debere te nisi mercedulam dicis nec praeceptoris, quia aliquid numeraveris: atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reverentia est.“ Adversus hoc respondetur, quaedam pluris esse quam emuntur. emis a medico

rem inaestimabilem, vitam ac valitudinem bonam, a bonarum artium praeceptore studia liberalia et animi cultum: itaque his non rei pretium, sed operae solvitur, quod deserviunt, quod a rebus suis evocati nobis vacant. 3 mercedem non meriti, sed occupationis suae ferunt. Aliud tamen dici potest verius, quod statim ponam, si prius quomodo istud refelli possit ostendero. „Quaedam, inquit, pluris sunt quam venierunt et ob hoc aliquid mihi 4 extra pro illis, quamvis empta sint, debes.“ Primum quid interest, quanti sint, cum de pretio inter ementem vendentemque convenerit? Deinde non emi illud suo pretio, sed tuo. „Pluris est, inquis, quam veniit:“ sed pluris venire non potuit. pretium autem cuiusque rei pro tempore est. cum bene ista laudaveris, tanti sunt, quanto pluris venire non possunt. praeterea nihil venditori debet qui bene 5 emit. Deinde etiamsi pluris ista sunt, non tamen ullum istic tuum munus est, ut non ex usu effectuve, sed ex 6 consuetudine et annona aestimetur. Quod tu pretium ponis traicienti maria et per medios fluctus, cum e terrae conspectu recessit, certam secanti viam et prospicienti futuras tempestates et securis omnibus subito iubenti vela stringi, armamenta demitti, paratos ad incursum procellae et repentinum inpetum stare? huic tamen tantae 7 rei praemium vectura persolvit. Quanti aestimas in solitudine hospitium, in imbre tectum, in frigore balneum aut ignem? scio tamen, quanti ista consecuturus diversorium subeam. Quantum nobis praestat, qui labentem domum suscipit et agentem ex imo rimas insulam incredibili arte suspendit? certo tamen et levi pretio fultura 8 conducitur. Murus nos ab hostibus tutos et a subitis latronum incursionibus praestat: notum est tamen illas turres pro securitate publica propugnacula habituras excitaturus faber quid in diem mereat.

1 XVI. Infinitum erit, si latius exempla conquiram, quibus adpareat parvo magna constare. Quid ergo? quare et medico et praeceptori plus quiddam debeo nec adversus illos mercede defungor? Quia ex medico ac praeceptore in amicum transeunt et nos non arte quam

vendunt obligant, sed benigna et familiari voluntate. Ita- 2  
 que medico, si nihil amplius quam manum tangit et me  
 inter eos quos perambulat ponit, sine ullo adfectu facienda  
 vitandave praecipiens, nihil amplius debeo, quia me non  
 tamquam amicum vidit, sed tamquam imperatorem. Nec 3  
 praeceptorem quidem habeo cur venerer, si me in grege  
 discipulorum habuit, si non putavit dignum propria et  
 peculiari cura, si numquam in me direxit animum. et  
 cum in medium effunderet quae sciebat, non didici,  
 sed excepi. Quid ergo est, quare istis debeamus multum? 4  
 non quia pluris est quod vendiderunt quam emimus, sed  
 quia nobis ipsis aliquid praestiterunt: ille magis pependit  
 quam medico necesse est. pro me, non pro fama artis  
 extimuit. non fuit contentus remedia monstrare, et ad-  
 movit. inter [*sollicitos*] sollicitus adsedit, ad suspecta tem-  
 pora occurrit. nullum ministerium illi oneri, nullum fasti-  
 dio fuit. gemitus meos non securus audivit. in turba mul- 5  
 torum invocantium ego illi potissima curatio fui. tantum  
 aliis vacavit, quantum mea valitudo permiserat: huic ego  
 non tamquam medico, sed tamquam amico obligatus sum.  
 Alter rursus docendo et laborem et taedium tulit. prae- 6  
 ter illa, quae a praecipientibus in commune dicuntur,  
 aliqua instillavit ac tradidit, hortando bonam indolem  
 erexit et modo laudibus fecit animum, modo admonitio-  
 nibus discussit desidiam. tum ingenium latens et pigrum 7  
 iniecta, ut ita dicam, manu extraxit. nec quae sciebat  
 maligne dispensavit, quo diutius esset necessarius, sed  
 cupiit, si posset, universa transfundere: ingratus sum,  
 nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo.

XVII. Sordidissimorum quoque artificiorum institu- 1  
 toribus supra constitutum aliquid adiecimus, si nobis  
 opera illorum enixior visa est. et gubernatori et opifici  
 vilissimae mercis et in diem se locanti corollarium adspersimus.  
 In optimis vero artibus, quae vitam aut conser- 2  
 vant aut excolunt, qui nihil se plus existimat debere quam  
 pepigit, ingratus est. Adice quod talium studiorum tra-  
 ditio miscet animos. hoc cum factum est, tam medico  
 quam praeceptori pretium operae solvitur, animi debetur.

- 1 XVIII. Platon cum flumen nave transisset nec ab illo quicquam portitor exegisset, honori hoc suo datum credens dixit positum illi esse apud Platonem officium. deinde paulo post, cum alium atque alium gratis eadem transveheret sedulitate, negavit illi iam apud Platonem pos-
- 2 tum officium. Nam ut tibi debeam aliquid pro eo quod praestas, debes non tantum mihi praestare, sed tamquam mihi: non potes ob id quemquam adpellare, quod spargis in populum. Quid ergo? nihil tibi debebitur pro hoc? tamquam ab uno nihil. cum omnibus solvam quod cum omnibus debeo.
- 1 XIX. „Negas, inquit, ullum dare beneficium eum, qui me gratuita nave per flumen Padum tulit?“ Nego. Aliquid boni facit, beneficium non dat: facit enim sua causa aut utique non mea. ad summam ne ipse quidem se mihi beneficium iudicat dare, sed aut reipublicae aut vicinia aut ambitioni suae praestat et pro hoc aliud quoddam commodum exspectat quam quod a singulis recepturus
- 2 est. „Quid ergo? inquit, si princeps civitatem dederit omnibus Gallis, si inmunitatem Hispanis, nihil hoc nomine singuli debebunt?“ Quidni debeant? debebunt autem non tamquam proprium beneficium, sed tamquam
- 3 publici partem. „Nullam, inquit, habuit cogitationem mei illo tempore, quo universis proderat. noluit mihi proprie civitatem dare nec in me direxit animum. ita quare ei debeam, qui me sibi non substituit, cum facturus esset
- 4 quod fecit?“ Primum, cum cogitavit Gallis omnibus prodesse, et mihi cogitavit prodesse: eram enim Gallus et me etiamsi non mea, publica tamen nota comprehendit. Deinde ego quoque illi non tamquam proprium debebo, sed tamquam commune munus. [*unus*] ex populo, non tamquam pro me solvam, sed tamquam pro patria conferam.
- 5 Si quis patriae-meae pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec hoc aes alienum profitebor aut candidatus aut reus. ad exsolvendum tamen hoc portionem meam dabo: sic istius muneris, quod universis datur, debitorem me nego, quia mihi quidem dedit, sed non propter me, et mihi quidem, sed nesciens an mihi daret.

nihilominus aliquid mihi dependendum sciam, quia ad me quoque circuitu longo pervenit. Propter me factum debet esse quod me obliget.

XX. „Isto, inquit, modo nec lunae nec soli quicquam 1 debes: non enim propter te moventur.“ Sed cum in hoc moveantur, ut universa conservent, et pro me moventur: universorum enim pars sum. Adice nunc, quod nostra 2 et horum condicio dissimilis est. nam qui mihi prodest, ut per me prosit sibi, non dedit beneficium, quia me instrumentum utilitatis suae fecit. sol autem et luna, etiamsi nobis prorsunt sua causa, non in hoc tamen prosunt, ut per nos prosint sibi: quid enim nos conferre illis possumus?

XXI. „Sciam, inquit, solem ac lunam nobis velle 1 prodesse, si nolle potuerint. illis autem non licet non moveri: ad summam consistant et opus suum intermittant.“ Hoc vide quot modis refellatur. Non ideo minus 2 vult, qui non potest nolle, immo maximum argumentum est firmæ voluntatis ne mutari quidem posse. Vir bonus non potest non facere quod facit. non enim erit bonus, nisi fecerit: ergo nec bonus vir beneficium dat, quia facit quod debet, non potest autem non facere, quod debet. Praeterea multum interest, utrum dicas: non potest 3 hoc non facere, quia cogitur, an: non potest nolle. nam si necesse est illi facere, non debeo ipsi beneficium, sed cogenti. si necesse est illi velle ob hoc, quia nihil habet melius quod velit, ipse se cogit: ita quod tamquam co-acto non deberem, tamquam cogenti debeo. „Desinant, 4 inquit, velle.“ Hoc loco tibi illud occurrat: Quis tam demens est, ut eam neget voluntatem esse, cui non est periculum desinendi vertendique se in contrarium, cum ex diverso nemo aequè videri debeat velle quam cuius voluntas usque eo certa est, ut aeterna sit? an si is quoque vult, qui potest statim nolle, is non videbitur velle, in cuius naturam non cadit nolle?

XXII. „Agedum, inquit, si possunt, resistant.“ Hoc dicis: omnia ista ingentibus intervallis diducta et in custodiam universi disposita stationes suas deserant, subita

confusione rerum sidera sideribus incurrant et rupta rerum concordia in ruinam divina labantur contextusque velocitatis citatissimae in tot secula promissas vices in medio itinere destituat et quae nunc eunt alternis redeuntque opportunis libramentis mundum ex aequo temperantia, repentino concrementur incendio et ex tanta varietate solvantur atque eant in unum omnia. ignis cuncta possideat, quem deinde pigra nox occupet et profunda vorago tot deos sorbeat: est tanti, ut tu coarguaris, ista concidere? Prosunt tibi etiam invito euntque ista tua causa, etiamsi maior illis alia ac prior causa est.

- 1 XXIII. Adice nunc, quod non externa cogunt deos, sed sua illis in legem aeterna voluntas est. statuerunt quae non mutarent: itaque non possunt videri facturi aliquid, quamvis nolint, quia quicquid desinere non possunt, perseverare voluerunt, nec umquam primi consilii
- 2 deos poenitet. Sine dubio stare illis et desciscere in contrarium non licet, sed non ob aliud, quam quia vis sua illos in proposito tenet. nec inbecillitate permanent, sed quia non libet ab optimis aberrare et sic ire decretum est.
- 3 In prima autem illa constitutione, cum universa disponent, etiam nostra viderunt rationemque hominis habuerunt. itaque non possunt videri sua tantum causa decurrere et explicare opus suum, quia pars operis sumus et nos: debemus ergo et soli et lunae et ceteris coelestibus beneficium, quia, etiamsi potiora illis sunt, in quae ori-
- 4 untur, nos tamen in maiora ituri iuvant. Adice quod ex destinato iuvant, ideoque obligati sumus, quia non in beneficium ignorantium incidimus, sed haec, quae accipimus, accepturos scierunt. et quamquam maius illis propositum sit maiorque actus sui fructus quam servare mortalia, tamen in nostras quoque utilitates a principio rerum praemissa mens est et is ordo mundo datus, ut
- 5 adpareat curam nostri non inter ultima habitam. Debemus parentibus nostris pietatem. et multi non ut gignerent coierant: di non possunt videri nescisse, quid effecturi essent, cum omnibus alimenta protinus et auxilia providerint. nec eos per neglegentiam genuere, quibus

tam multa generabant. Cogitavit nos ante natura, quam fecit, nec tam leve opus sumus, ut illi potuerimus excidere. Vide quantum nobis permiserit, quam non intra 6 homines humani imperii condicio sit. vide in quantum corporibus vagari liceat, quae non coercuit sine terrarum, sed omnem in partem sui misit. vide animi quantum au- deant, quemadmodum soli aut noverint deos aut quae- rant et mente in altum data divina comitentur: scies non esse hominem tumultuarium et incogitatum opus. Inter 7 maxima rerum suarum natura nihil habet, quo magis glo- rietur aut certe cui gloriatur: quantus iste furor est con- troversiam dis muneris sui facere? quomodo adversus eos hic erit gratus, quibus gratia referri sine inpendio non potest, qui negat se ab iis accepisse, a quibus cum maxime accipit, qui et semper daturi sunt et numquam recepturi? quanta autem perversitas ob hoc alicui non 8 debere, quia etiam infitianti benignus est, et continuatio- nem ipsam seriemque beneficiorum argumentum vocare necessario dantis? „Nolo. sibi habeat. quis illum rogat?“ et omnes alias inpudentis animi voces his adstrue: non ideo de te minus meretur is, cuius liberalitas ad te etiam dum negas pervenit cuiusque beneficiorum vel hoc maxi- mum est, quod etiam querenti daturus est.

XXIV. Non vides, quemadmodum teneram liberorum 1 infantiam parentes ad salubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora ac repugnantium diligenti cura fovent et ne membra libertas inmatura detorqueat, in rectum exitura constringunt, et mox liberalia studia inculcant adhibito timore nolentibus. ad ultimum audacem iuven- tam frugalitati, pudori, moribus bonis, si parum sequi- tur, coactam adplicant. Adolescentibus quoque ac iam 2 potentibus sui, si remedia metu aut intemperantia rei- ciunt, vis adhibetur ac servitus. Itaque beneficiorum maxima sunt, quae a parentibus accipimus, dum aut nescimus aut nolumus.

XXV. His ingratis et repudiantibus beneficia, non 1 quia nolunt, sed ne debeant, similes sunt ex diverso ni- mis grati, qui aliquid incommodi precari so-

lenthis, quibus obligati sunt, aliquid adversi, in quo adfectum memorem accepti beneficii adprobent. An hoc recte faciant et pia voluntate, quaeritur. quorum animus simillimus est pravo amore flagrantibus, qui amicae suae optant exilium, ut desertam fugientemque comitentur, optant inopiam, ut magis desideranti donent, optant morbum, ut adsideant: et quicquid inimicus optaret, amantes vovent. fere idem  
 3 itaque exitus est odii et amoris insani. Tale quiddam et his accidit qui amicis incommoda optant, quae detrahant, et ad beneficium iniuria veniunt, cum satius sit vel ces-  
 4 sare quam per scelus officio locum quaerere. Quid si gubernator a dis tempestates infestissimas et procellas petat, ut gratior ars sua periculo fiat? quid si imperator deos oret, ut magna vis hostium circumfusa castris fossas subito inpetu compleat et vallum trepidante exercitu convellat et in ipsis portis infesta signa constituat, quo maiore cum gloria rebus lapsis profligatisque succurrat?  
 5 Omnes isti beneficia sua detestabili via ducunt, qui deos contra eum advocant, cui ipsi adfuturi sunt, et ante illos sterni quam erigi volunt: inhumana ista perverse grati animi natura est contra eum optare, cui honeste deesse non possis.

1 XXVI. „Non nocet, inquit, illi votum meum, quia simul opto et periculum et remedium.“ Hoc dicis nonnihil te peccare, sed minus quam si sine remedio periculum optares. Nequitia est ut extrahas mergere, evertere ut suscites, ut emittas includere. non est beneficium iniuriae finis. nec umquam id detraxisse meritum est, quod  
 2 ipse qui detraxit intulerat. Non volneres me malo quam sanes. potes inire gratiam, si, quia volneratus sum, sanas. non, si volneras, ut sanandus sim: numquam cicatrix nisi collata volneri placuit, quod ita coisse gaudemus, ut non fuisse mallems. Si hoc ei optares, cuius nullum beneficium haberes, inhumanum erat votum: quanto inhumanius ei optas, cui beneficium debes?

1 XXVII. „Simul, inquit, ut possim ferre illi opem precor.“ Primum, ut te in media parte voti tui occupem,



iam ingratus es. nondum audio quid illi velis praestare. scio quid illum velis pati. Sollicitudinem illi et metum et maius aliquod inprecaris malum. optas ut ope indigeat: hoc contra illum est. optas ut tua indigeat ope: hoc pro te est. non succurrere vis illi, sed solvere: qui sic properat, solvi vult, non solvere. Ita quod unum in voto 2 tuo honestum videri poterat, ipsum turpe et ingratum est, nolle debere. optas enim, non ut tu facultatem habeas referendae gratiae, sed ut ille necessitatem implorandae. Superiorem te facis et, quod nefas est, bene meritum ad pedes tuos mittis. quanto satius est honesta voluntate debere quam per malam rationem solvere? Si infitiare- 3 ris quod acceperas, minus peccares. nihil enim nisi quod dederat amitteret: nunc vis illum subici tibi iactura rerum suarum, et status mutatione in id devocare, ut infra beneficia sua iaceat. Gratum te putabo? coram eo, cui prodesse vis, opta. Votum tu istuc vocas, quod inter gratum et inimicum potest dividi? quod non dubites adversarium et hostem fecisse, si extrema taceantur? Ho- 4 stes quoque optaverunt capere quasdam urbes, ut servarent, et vincere quosdam, ut ignoscerent, nec ideo non hostilia vota. in quibus quod mitissimum est, post crudelitatem venit. Denique qualia esse iudicas vota, 5 quae nemo tibi minus volet quam is, pro quo fiunt, succedere? pessime cum eo agis, cui vis a dis noceri, a te succurri, inique cum ipsis dis. illis enim durissimas partes inponis, tibi humanas: ut tu prosis, di nocebunt. Si 6 accusatorem submitteres, quem deinde removeres, si aliqua illum lite implicares, quam subinde discuteres, nemo de tuo scelere dubitaret: quid interest, utrum istuc fraude temptetur an voto, nisi quod potentiores illi adversarios quaeris? Non est quod dicas: „quam enim illi 7 iniuriam facio?“ votum tuum aut supervacuum est aut iniuriosum, immo iniuriosum, etiamsi inritum: quicquid non efficis, dei munus est, iniuria vero, quicquid optas. [*id ipsum quod optas,*] sat est: tibi non aliter debemus irasci, quam si perfeceris.

XXVIII. „Si vota, inquit, valuissent, et in hoc va- 1

luissent, ut tutus esses.“ Primum certum mihi optas periculum sub incerto auxilio. Deinde utrumque certum 2 puta: quod nocet prius est. Praeterea tu condicionem voti tui nosti: me tempestas occupavit portus ac praesidii dubium. quantum existimas tormentum, etiamsi accepero, eguisse? etiamsi servatus fuero, trepidasse? etiamsi absolutus fuero, causam dixisse? Nullius metus tam gratus est finis, ut non gratior sit solida et incon- 3 cussa securitas. Opta ut reddere mihi beneficium possis, cum opus erit, non ut opus sit. Si esset in tua potestate quod optas, ipse fecisses.

1 XXIX. Quanto hoc honestius votum est: „opto in eo statu sit, quo semper beneficia distribuat, numquam consideret. sequatur illum materia, qua tam benigne utitur largiendo iuvandoque, ut numquam illi sit dandorum beneficiorum inopia, datorum poenitentia. naturam per se pronam ad misericordiam, humanitatem, clementiam iritet ac provocet turba gratorum, quos illi et habere contingat nec experiri necesse sit. ipse nulli inplacabilis sit, ipsi nemo placandus. tam aequali in eum fortuna indulgentia perseveret, ut nemo in illum possit esse nisi con- 2 scientiâ gratus.“ Quanto haec iustiora vota sunt, quae te in nullam occasionem differunt, sed gratum statim faciunt? quid enim prohibet referre gratiam prosperis rebus? quam multa sunt, per quae, quicquid debemus, reddere etiam felicibus possumus? fidele consilium, adsidua conversatio, sermo comis et sine adulatione iucundus, aures, si deliberari velit, diligentes, tutae si credere. [convictus familiaritas.] Neminem tam alte secunda posuerunt, ut non illi eo magis amicus desit, quia nihil absit.

1 XXX. Ista tristis et omni voto submovenda occasio ac procul repellenda: ut gratus esse possis, iratis dis opus est. Nec ex hoc quidem peccare te intellegis, quod melius cum eo agitur, cui ingratus es? Propone animo tuo carcerem, vincula, sordes, servitutem, bellum, egestatem. haec sunt occasiones voti tui: si quis tecum con- 2 traxit, per ista dimittitur: Quin potius eum potentem

esse vis, cui plurimum debes [beatum]? quid enim, ut dixi, vetat te referre etiam summa felicitate praeditis gratiam? cuius plena tibi occurret et varia materia. quid? tu nescis debitam etiam locupletibus solvi? Nec te invitum dstringam: omnia sane excluserit opulenta felicitas, monstrabo tibi, cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit: scilicet ille, qui verum dicat et hominem inter mentientes stupentem ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum vindicet a consensu concentuque falsorum. Non vides, quemadmodum illos in praeceps agat 4 extincta libertas et fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadetque, sed adulandi certamen est et unum amicorum omnium officium, una contentio, quis blandissime fallat? Ignorare vires suas et, dum se tam magnos quam audiunt credunt, adtraxere supervacua et in discrimen rerum omnium perventura bella. utilem et necessariam rupere concordiam. secuti iram, quam nemo revocavit, multorum sanguinem hauserunt fusuri novissime suum, dum vindicant inexplorata pro certis flectique non minus existimant turpe quam vinci et perpetua credunt, quae in summum perducta maxime nutant. Ingentia super se ac 6 suos regna fregerunt nec intellexerunt in illa scena vanis et cito diffluentibus bonis refulgente ex eo tempore ipsos nihil non adversi exspectare debuisse, ex quo nihil veri audire potuerunt.

XXXI. Cum bellum Graeciae indiceret Xerxes, animum tumentem oblitumque quam caducis confideret nemo non inpulit. Alius aiebat non laturos nuntium belli et ad primam adventus famam terga versuros. alius nihil esse 2 dabii, quin illa mole non vinci solum Graecia, sed obrui posset: magis verendum ne vacuas desertasque urbes invenirent et profugis hostibus vastae solitudines relinquerentur non habituris, ubi tantas vires exercere possent. alius vix illi rerum naturam sufficere, angusta esse 3 classibus maria, militi castra, explicandis equestribus copiis campestria, vix patere coelum satis ad emittenda

4 omni manu tela. Cum in hunc modum multa undique iactarentur, quae hominem nimia aestimatione sui furentem concitarent, Demaratus Lacedaemonius solus dixit: ipsam illam qua sibi placeret multitudinem indigestam et gravem metuendam esse ducenti: non enim vires habere, sed pondus. inmodica numquam regi posse nec diu durare, quicquid regi non potest. „In primo, inquit, statim monte Lacones obiecti dabunt sui experimentum. tot ista gentium milia [trecenti] morabuntur. haerebunt in vestigio fixi et commissas sibi angustias tuebuntur et corporibus obstruent. tota illos Asia non movebit loco. tantas minas belli et paene totius generis humani ruentis inpetum paucissimi sistent. Cum te mutatis legibus suis natura transmiserit, in semita haerebis et aestimabis futura damna, cum computaveris quanti Thermopylarum angusta constiterint: scies te fugari posse, cum scieris posse retineri. Cedent quidem tibi pluribus locis velut torrentis modo ablati, cuius cum magno terrore prima vis defluit: deinde hinc atque illinc coorientur et tuis te viribus prement. Verum est, quod dicitur, maiorem belli adparatum esse, quam qui recipi ab his regionibus possit, quas obpugnare constituis: sed haec res contra nos est. ob hoc ipsum te Graecia vincet, quia non capit: uti toto te non potes. Praeterea, quae una rebus salus est, occurrere ad primos rerum inpetus et inclinatis opem ferre non poteris nec fulcire ac firmare labentia. multo ante vinceris, quam victurum esse te sentias. Ceterum non est quod exercitum tuum ob hoc sustineri putes non posse, quia numerus eius duci quoque ignotus est: nihil tam magnum est quod perire non possit, cui nascitur in perniciem, ut alia quiescant, ex ipsa magnitudine sua causa.“ Acciderunt quae Demaratus praedixerat: divina atque humana inpellentem et mutantem quicquid obstiterat, trecenti stare iusserunt, stratusque per totam passim Graeciam Xerxes intellexit, quantum ab exercitu turba distaret. Itaque Xerxes pudore quam damno miserior Demarato gratias egit, quod solus sibi verum dixisset, et permisit petere quod vellet. Petiit ille ut Sardis, maximam

Asiae civitatem, curru vectus intraret rectam capite tiam gerens. id solis datum regibus. Dignus fuerat praemio, antequam peteret: sed quam miserabilis gens in qua nemo fuit, qui verum diceret regi, nisi qui non dicebat sibi!

XXXII. Divus Augustus filiam ultra inpudicitiae male-<sup>1</sup>dictum inpudicam relegavit et flagitia principalis domus in publicum emisit: admissos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comessionibus civitatem, forum ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiae in stupra placuisse, cotidianum ad Marsyam concursum, cum ex adultera in quaestuariam versa ius omnis licentiae sub ignoto adultero peteret. Haec tam vin-<sup>2</sup>dicanda principi quam tacenda, quia quarumdam rerum turpitudine etiam ad vindicantem redit, parum potens irae publicaverat. deinde cum interposito tempore in locum irae subisset verecundia, gemens, quod non illa silentio pressisset quae tamdiu nescierat, donec loqui turpe esset, saepe exclamavit: *horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa aut Maecenas vixisset*: adeo tot habenti milia hominum duos reparare difficile est. Caesae sunt legio-<sup>3</sup>nes et protinus scriptae. fracta classis et intra paucos dies natavit nova. saevitum est in opera publica ignibus, surrexerunt meliora consumptis: tota vita Agrippae et Maecenatis vacavit locus. Quid? putem defuisse similes, qui adsumerentur, an ipsius vitium fuisse, qui maluit queri quam quaerere? Non est quod existimemus<sup>4</sup> Agrippam et Maecenatem solitos illi vera dicere: qui si vixissent, inter dissimulantes fuissent. Regalis ingenii mos est in praesentium contumeliam amissa laudare et his virtutem dare vera dicendi, a quibus iam audiendi periculum non est.

XXXIII. Sed ut me ad propositum reducam, vides,<sup>1</sup> quam facile sit gratiam referre felicibus et in summo humanarum opum positis. Dic illis non quod volunt audire, sed quod audisse semper volent. plenas aures adulationibus aliquando vera vox intret. da consilium utile. Quae-<sup>2</sup>ris, quid felici praestare possis? effice ne felicitati suae

credat, ut sciat illam multis et fidis manibus continendam. Parum in illum contuleris, si illi [semel] stultam fiduciam permansurae semper potentiae excusseris docuerisque mobilia esse, quae dedit casus, et maiore cursu fugere quam veniunt nec his portionibus, quibus ad summa perventum est, retro iri, sed saepe inter fortunam maximam et ultimam nihil interesse? Nescis quantum sit pretium amicitiae, si non intellegis multum te ei daturum, cui dederis amicum, rem non domibus tantum, sed seculis raram, quae non aliubi magis deest quam ubi creditur abundare. Quid? istos tu libros, quos vix nomenclatorum complectitur aut memoria aut manus, amicorum existimas esse? non sunt isti amici, qui agmine magno ianuam pulsant, qui in primas et secundas admissiones digeruntur.

- 1 XXXIV. Consuetudo ista vetus est regibus regesque simulantibus, populum amicorum describere. Est proprium superbiae magno aestimare introitum ac tactum sui liminis et pro honore dare, ut ostio suo propius adideas, ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quae receptos quoque excludant.
- 2 Apud nos primi omnium Gracchus et mox Livius Drusus instituerunt segregare turbam suam et alios in secretum recipere, alios cum pluribus, alios universos. Habuerunt itaque isti amicos primos, habuerunt secundos, numquam veros. Amicum vocas, cuiusdis ponitur salutatio? aut potest huius tibi patere fides, qui per fores maligne apertas non intrat, sed inlabitur? huic pervenire usque ad destringendam libertatem licet, cuius volgare et publicum verbum et promiscuum ignotis have non nisi suo
- 4 ordine emittitur? Ad quemcunque itaque istorum veneris, quorum salutatio urbem conculit, scito, etiamsi animadverteris obsessos ingenti frequentia vicos et commentantium in utramque partem catervis itinera compressa, tamen venire te in locum hominibus plenum, amicis vacuum.
- 5 In pectore amicus, non in atrio quaeritur. illo recipiendus, illic retinendus est et in sensus recondendus. Hoc doce: gratus es.

XXXV. Male de te existimas, si inutilis es nisi ad- 1  
 flicto, si rebus bonis supervacuus es. Quemadmodum  
 te et in dubiis et in adversis et in laetis sapienter geris,  
 ut dubia prudenter tractes, adversa fortiter, laeta mode-  
 rate: ita in omnia utilem te amico exhibere potes. Ad-  
 versa eius nec deserueris nec optaveris: multa nihilomi-  
 nus, ut non optes, in tanta varietate, quae tibi materiam  
 exercendae fidei praebeant, incident. Quemadmodum 2  
 qui optat divitias alicui in hoc, ut illarum partem ipse  
 ferat, quamvis pro illo videatur optare, sibi prospicit,  
 sic qui optat amico aliquam necessitatem, quam adiu-  
 torio suo fideque discutiat, quod est ingrati, se illi prae-  
 fert et tanti existimat illum miserum esse, ut ipse gratus  
 sit, ob hoc ipsum ingratus. exonerare enim se vult et  
 gravi sarcina liberare. Multum interest, utrum 3  
 properes referre gratiam, ut reddas benefi-  
 ficium, an ne debeas: qui reddere vult, illius se  
 commodo aptabit et idoneum illi venire tempus volet. qui  
 nihil aliud quam ipse liberari vult, quomodocumque ad  
 hoc cupiet pervenire, quod est pessimae voluntatis. „Ista, 4  
 inquit, nimia festinatio *grati* est.“ Id apertius exprimere  
 non possum, quam si repetivero quod dixi: non vis red-  
 dere acceptum beneficium, sed effugere. Hoc dicere vi-  
 deris: „quando isto carebo? quocumque modo mihi labo-  
 randum est, ne isti obligatus sim.“ Si optares, ut illi sol-  
 veres de suo, multum abesse videreris a grato: hoc quod  
 optas, iniquius est. execraris enim illum et caput san-  
 ctum tibi dira inprecatione defigis. Nemo, ut existimo, 5  
 de inmanitate animi tui dubitaret, si aperte illi pauper-  
 tatem, si captivitatem, si famem ac metum inprecareris.  
 at quid interest, utrum vox ista sit voti tui an vis? aliquid  
 enim horum optas! I nunc et hoc esse grati puta, quod ne  
 ingratus quidem faceret, qui modo non usque in odium,  
 sed tantum ad infitiationem beneficii perveniret.

XXXVI. Quis pium dicet Aeneam, si patriam capi 1  
 voluerit, ut captivitati patrem eripiat? Quis Siculos iu-  
 venes ut bona liberis exempla monstrabit, si optaverint,  
 ut Aetna immensam ignium vim super solitum ardens et

incensa praecipitet datura ipsis occasionem exhibendae  
 2 pietatis ex medio parentibus incendio raptis? Nihil debet Scipioni Roma, si Punicum bellum ut finiret aluit. nihil Deciis, quod morte patriam servaverunt, si prius optaverant, ut devotioni fortissimae locum ultima rerum necessitas faceret. Gravissima infamia est medici opus quaerere. multi quos auxerant morbos et inritaverant, ut maiore gloria sanarent, non potuerunt discutere aut cum magna miserorum vexatione vicerunt.

1 XXXVII. Callistratum aiunt, ita certe Hecaton auctor est, cum in exilium iret, in quod multos simul cum illo seditiosa civitas et intemperanter libera expulerat, optante quodam ut Atheniensibus necessitas restituendi exules  
 2 esset, abominatum talem reditum. Rutilius noster animosius, cum quidam illum consolaretur et diceret instare arma civilia, brevi futurum, ut omnes exules reverterentur: *quid tibi, inquit, mali feci, ut mihi peiorem reditum quam exitum optares? Malo ut patria exilio meo erubescat, quam reditu maereat.* Non est istud exilium cuius  
 3 neminem non magis quam damnatum pudet. Quemadmodum illi servaverunt bonorum civium officium, qui reddi sibi penates suos noluerunt clade communi, quia satius erat duos iniquo malo adfici quam omnes publico: ita non servat grati hominis adfectum, qui bene de se merentem difficultatibus vult opprimi, quas ipse submoveat. qui etiamsi bene cogitat, male precatur. Ne in patrocinium quidem, nedum in gloriam est incendium extinxisse quod feceris.

1 XXXVIII. In quibusdam civitatibus inpium votum sceleris vicem tenuit. Demades certe Athenis eum, qui necessaria funeribus venditabat, damnavit, cum probasset magnum lucrum optasse, quod contingere illi sine multorum morte non poterat. Quaeri tamen solet, an merito damnatus sit. fortasse optavit, non ut multis venderet, sed ut care, ut parvo sibi constarent quae ven-  
 2 diturus esset. Cum constet negotiatio eius ex empto et vendito, quare votum eius in unam partem trahis, cum lucrum ex utraque sit? Praeterea omnes licet, qui in ista



negotiatione sunt, damnes. omnes enim idem volunt, id est intra se optant: magnam hominum partem damnabis. cui enim non ex alieno incommodo lucrum? Miles bellum 3 optat, si gloriam. agricolam annonae caritas erigit. eloquentiae pretium exceptat litium numerus. medicis gravis annus in quaestum est. insitiores delicatarum mercium iuventus corrupta locupletat. nulla tempestate, nullo igne laedantur tecta: iacebit opera fabrilis. Unius votum 4 deprehensum est, omnium simile est: an tu Arruntium et Haterium et ceteros, qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere quae designatores et libitinarios vota? illi tamen, quorum mortes optent, nesciunt, hi familiarissimum quemque, ex quo propter amicitiam *spei* plurimum est, mori cupiunt. Illorum damno nemo vivit, hos quisquis differt exhaurit. optant ergo non tantum ut accipiant, quod turpi servitute meruerunt, sed etiam ut tributo gravi liberentur. Non est 5 itaque dubium quin hi magis, quod damnatum est in uno, optent, quibus quisquis morte profuturus est, vita nocet. omnium tamen istorum tam nota sunt vota quam inpunita. Denique se quisque consulat et in secretum pectoris sui redeat et inspiciat, quid tacitus optaverit: quam multa sunt vota, quae etiam sibi fateri pudet! quam pauca, quae facere coram teste possimus!

XXXIX. Sed non quicquid reprehendendum, etiam 1 damnandum est: sicut hoc votum amici, quod in manibus est, male utentis bona voluntate et in id vitium incidentis, quod evitat. nam dum gratum animum festinat ostendere, ingratus est. „Hoc, ait, in potestatem meam 2 recidat: gratiam meam desideret, sine me salvus, honestus, tutus esse non possit. tam miser sit, ut illi beneficii loco sit quicquid redditur.“ Haec dis audientibus: „circumveniant illum domesticae insidiae, quas ego possim solus opprimere. instet potens inimicus et gravis, infesta turba nec inermis, creditor urgeat et accusator.“

XL. Vide quam sis aequus: horum optares nihil, si 1 tibi beneficium non dedisset. Ut alia taceam, quae graviora committis pessima pro optimis referendo, hoc certe

delinquis, quod non exspectas suum cuiusque rei tempus, quod aequè peccat qui non sequitur quam qui antecedit. Quomodo beneficium non semper recipiendum est, sic  
 2 non utique reddendum. Si mihi non desideranti redderes, ingratus esses: quanto ingrator es, qui desiderare me cogis? Exspecta: quare subsidere apud te munus meum non vis? quare obligatum moleste fers? quare quasi cum acerbo feneratorè signare rationem parem properas? quid mihi negotium quaeris? quid in me deos inmittis? quomodo exigeres, qui sic reddis?

1 XLI. Ante omnia ergo, Liberalis, hoc discamus, beneficia secure debere et occasiones reddendorum observare, non manu facere. hanc ipsam cupiditatem primo quoque tempore liberandi se meminerimus ingrati esse. nemo enim libenter reddit quod invitus debet, et quod apud se  
 2 non vult esse, onus iudicat esse, non munus. Quanto melius ac iustius in promptu habere merita amicorum et offerre, non ingerere nec obaeratum se iudicare? quoniam beneficium commune vinculum est et inter se duos adligat. Dic: nihil moror, quo minus tuum revertatur, opto hilaris accipias. si necessitas alterutri nostrum iminet fatoque quodam datum est, ut aut tu cogaris beneficium recipere aut ego accipere, det potius qui solet. Ego paratus sum.

*nulla mora in Turno est:*

ostendam hunc animum, cum primum tempus advenerit. interim di testes sunt.

1 XLII. Soleo, mi Liberalis, notare hunc in te adfectum et quasi manu prendere verentis et aestuantis, ne in ullo officio sis tardior. Non decet gratum animum sollicitudo, contra summa fiducia sui et ex conscientia veri amoris dimissa omnis anxietas. Tam convicium est: recipe quod  
 [debeo, quam: da quod] debes. Hoc primum beneficii  
 2 dati sit ius, ut recipiendi tempus eligat qui dedit. „At vereor, ne homines de me sequius loquantur.“ Male agit qui famae, non conscientiae gratus est. Duos istius rei iudices habes, illum, [quem potes fallere, et te] quem non potes. „Quid ergo, si nulla intervenerit occasio? semper debebo?“ Debebis: sed palam debebis, sed li-

benter debebis, sed cum magna voluptate apud te depositum intueberis. poenitet accepti beneficii quem nondum redditi piget: quare qui tibi dignus visus est a quo acciperes, indignus videatur cui debeas?

XLIII. In magnis erroribus sunt, qui ingentis animi 1 credunt proferre, donare, plurium sinum ac domum implere, cum ista interdum non magnus animus faciat, sed magna fortuna. nesciunt, quanto interim maius ac difficilius sit capere quam fundere. nam ut nihil alteri detrahant, quoniam utrumque virtute par est, non minoris est animi beneficium debere quam dare: eo quidem operosius hoc quam illud, quo maiore diligentia custodiuntur accepta quam dantur. Itaque non est trepidandum quam 2 cito reponamus nec procurrendum intempestive, quia aequè delinquit qui ad referendam gratiam suo tempore cessat quam qui alieno properat. Positum illi apud me. nec illius nomine nec meo timeo. bene illi cautum est. non potest hoc beneficium perdere nisi mecum, immo ne mecum quidem: egi illi gratias. Qui nimis de reddendo 3 beneficio cogitat, nimis cogitare alterum de recipiendo putat. Praestat esse in utrumque facilis: si vult recipere beneficium, referamus reddamusque laeti. illud apud nos custodiri mavult: quid thesaurum eius eruimus? quid custodiam recusamus? dignus est cui utrum volet liceat. Opinionem quidem et famam eo loco habeamus, tamquam non ducere, sed sequi debeat.

**L. ANNAEI SENECAE**  
AD AEBUTIUM LIBERALEM  
**D E B E N E F I C I I S**  
**LIBER VII.**

---

- 1 I. Bonum, mi Liberalis, habeas animum volo:  
*in manibus terrae. non hic te carmine longo  
atque per ambages et longa exorsa tenebo.*

Reliqua hic liber cogit et exhausta materia circumspectio non quid dicam, sed quid non dixerim. boni tamen consules quicquid *ibi* superest, cum tibi superfuerit. Si voluissem lenocinari mihi, debuit paulatim opus crescere et ea pars in finem reservari, quam quilibet etiam satiatu adpeteret. sed quicquid maxime necessarium erat, in primum congressi: nunc, si quid effugit, recolligo. Nec mehercule, si me interrogas, nimis ad rem existimo pertinere, ubi dicta sunt, quae regunt mores, prosequi cetera non in remedium animi, sed in exercitationem ingenii inventa. Egregie enim hoc dicere Demetrius Cynicus, vir meo iudicio magnus, etiamsi maximis comparetur, solet: *Plus prodesse, si pauca praecepta sapientiae teneas, sed illa in promptu tibi et in usu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum.*

4 *Quemadmodum, inquit, magnus luctator est non qui omnes numeros nexusque perdidicit, quorum usus sub adversario rarus est, sed qui in uno se aut altero bene et diligenter exercuit et eorum occasiones intentus exspectat (nec enim refert quam multa sciat, si scit quantum victoriae satis est): sic in hoc studio multa delectant, pauca vincunt.*

5 Licet nescias, quae ratio oceanum effundat ac revocet. quare septimus quisque annus aetati signum inprimat. quare latitudo porticus ex remoto spectantibus non servet proportionem suam, sed ultima in angustius coeant et columnarum novissime intervalla iungantur. quid sit quod geminorum conceptum separet, partum iungat. utrum unus concubitus spargatur in duos, an totiens concepti

sint. cur pariter natis fata diversa sint maximisque rerum spatiis distent, quorum inter ortus minimum interest. Non 6 multum tibi nocebit transisse, quae nec licet scire nec prodest. involuta veritas in alto latet. nec de malignitate naturae queri possumus, quia nullius rei difficilis inventio est, nisi cuius hic unus inventae fructus est, invenisse: quicquid nos meliores beatosque facturum est, aut in aperto aut in proximo posuit. Si animus fortuita 7 contempsit, si se supra metum sustulit nec avida spe infinita complectitur, sed didicit a se petere divitias. si deorum hominumque formidinem eiecit et scit non multum esse ab homine timendum, a deo nihil. si contemptor omnium, quibus torquetur vita, dum ornatur, eo perductus est, ut illi liqueat mortem nullius mali materiam esse, multorum finem. si animum virtuti consecravit et quacumque vocat illa, planum putat. si sociale animal et in commune genitus mundum ut unam omnium domum spectat, et conscientiam suam dis aperuit semperque tamquam in publico vivit se magis veritus quam alios: subductus ille tempestatibus in solido ac sereno stetit consummavitque scientiam utilem ac necessariam. reliqua oblectamenta otii sunt. Licet enim iam in tutum retracto animo ad haec quoque excurrere, cultum, non robur ingeniis adferentia.

II. Haec Demetrius noster utraque manu tenere proficientem iubet. haec nusquam dimittere, immo adfigere et partem sui facere eoque cotidiana meditatione perducere, ut sua sponte occurrant salutaria et ubique ac statim desiderata praesto sint et sine mora ulla veniat illa turpis honestique distinctio, sciat nec malum esse ullum nisi turpe nec bonum nisi honestum. Hac regula vitae opera 2 distribuat. ad hanc legem et agat cuncta et exigat miserimosque mortalium iudicet, in quantiscumque opibus refulgebunt, ventri ac libidini deditos quorumque animus inertio otio torpet. Dicat sibi ipse: voluptas fragilis est, brevis, fastidio obiecta, quo avidius hausta est, citius in contrarium recidens, cuius subinde necesse est aut poeniteat aut pudeat, in qua nihil est magnificum aut quod naturam hominis dis proximi deceat. res humilis,

membrorum turpium aut vilium ministerio veniens, exitu  
 3 foeda. Illa est voluptas et homine et viro digna non in-  
 plere corpus nec saginare nec cupiditates irritare, qua-  
 rum tutissima est quies, sed perturbatione carere et ea,  
 quam hominum inter se rixantium ambitus concutit et ea;  
 quae intolerabilis ex alto venit, ubi de dis fama cre-  
 4 ditum est vitiisque illos nostris aestimavimus. Hanc vo-  
 luptatem aequalem, intrepidam, numquam sensuram sui  
 taedium percipit hic, quem deformamus, quam maxime,  
 ut ita dicam, divini iuris atque humani peritus. hic prae-  
 sentibus gaudet, ex futuro non pendet: nihil enim firmi  
 habet, qui in incerta propensus est. Magnis itaque curis  
 exemptus et distortentibus mentem nihil sperat aut cu-  
 5 pit nec se mittit in dubium suo contentus. Nec illum  
 existimes parvo esse contentum: omnia illius sunt, non  
 sic quemadmodum Alexandri fuerunt. cui, quamquam in  
 litore rubri maris steterat, plus deerat, quam qua venerat.  
 illius ne ea quidem erant, quae tenebat aut vicerat, cum  
 in oceano Onesicritus praemissus explorator erraret et  
 6 bella in ignoto mari quaereret. Non satis adparebat ino-  
 pem esse, qui extra naturae terminos arma proferret?  
 qui se in profundum inexploratum et immensum aviditate  
 caeca prorsus inmitteret? Quid interest, quot eripuerit  
 regna, quot dederit, quantum terrarum tributo premat?  
 tantum illi deest, quantum cupit.

1 III. Nec Alexandri tantum vitium fuit, quem per Li-  
 beri Herculisque vestigia felix temeritas egit, sed omnium,  
 quos fortuna irritavit implendo. Cyrum et Cambysen et  
 totum regni Persici stemma percense: quem invenies, cui  
 modum imperii satietas fecerit? qui non vitam in aliqua  
 ulterius procedendi cogitatione finierit? nec id mirum  
 est: quicquid cupiditati contingit, penitus hauritur et  
 conditur, nec interest, quantum eo, quod inexplabile  
 2 est, congeras. Unus est sapiens, cuius omnia sunt, nec  
 ex difficili tuenda. non habet mittendos trans maria lega-  
 tos nec metanda in ripis hostilibus castra, non oppor-  
 tunis castellis disponenda praesidia. non opus est legione  
 nec equestribus turmis. Quemadmodum di immortales  
 regnum inermes regunt et illis rerum suarum ex edito

tranquilloque tutela est, ita hic officia sua, quamvis latissime pateant, sine tumultu obit et omne humanum genus potentissimus eius optimusque infra se videt. Deri-  
 3 deas licet: ingentis spiritus res est, cum orientem occidentemque lustraveris animo, quo etiam remota et solitudinibus interclusa penetrantur, cum tot animalia, tantam copiam rerum, quas natura beatissime fundit, adspexeris, emittere hanc dei vocem: haec omnia mea sunt. Sic fit, ut nihil cupiat, quia nihil est extra omnia.

IV. „Hoc ipsum, inquis, volui: teneo te. volo videre 1 quomodo ex his laqueis, in quos tua sponte decidisti, expliceris. Dic mihi, quemadmodum potest aliquis donare sapienti, si omnia sapientis sunt? nam id quoque, quod illi donat, ipsius est. Itaque non potest dari beneficium sapienti, cui quicquid datur, de suo datur: atqui dicitis sapienti posse donari. Idem autem me scito et de amicis interrogare: omnia dicitis illis esse communia, ergo nemo quicquam amico donare potest: donat enim illi communia.“ Nihil prohibet aliquid et sapientis esse et etiam eius, qui 2 possidet, cui datum et adsignatum est. Iure civili omnia regis sunt. et tamen illa, quorum ad regem pertinet universa possessio, in singulos dominos descripta sunt et unaquaeque res habet possessorem suum: itaque dare regi et domum et mancipium et pecuniam possumus nec donare illi de suo dicimur. ad reges enim potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas. Fines Atheniensium 3 aut Campanorum vocamus, quos deinde inter se vicini privata terminatione distinguunt. et totus ager [illius] aut illius reipublicae est, pars deinde suo domino quaeque censetur. ideoque donare agros nostros reipublicae possumus, quamvis illius esse dicantur, quia aliter illius sunt, aliter mei. Numquid dubium est, quin servus cum peculio 4 domini sit? dat tamen domino suo munus. non enim ideo nihil habet servus, quia non est habiturus, si dominus illum habere noluerit. nec ideo non est munus, cum volens dedit, quia potuit eripi, etiamsi noluisset. Quem 5 admodum probemus omnia? nunc enim omnia sapientis esse inter duos convenit: illud quod quaeritur colligen-

dum est, quomodo liberalitatis materia adversus eum su-  
 6 persit, cuius universa esse concessimus. Omnia patris  
 sunt, quae in liberorum manu sunt: quis tamen nescit  
 donare aliquid et filium patri? Omnia deorum sunt: ta-  
 men et dis donum posuimus et stipem iecinus. Non ideo,  
 quod habeo, meum non est, si meum tuum est: potest  
 7 enim idem esse meum et tuum. „Is, inquit, cuius pro-  
 stituta sunt, leno est. omnia autem sapientis sunt. inter  
 omnia et prostituta sunt: ergo prostituta sapientis sunt.  
 leno autem est, cuius prostituta sunt: ergo sapiens est  
 8 leno.“ Sic illum vetant emere. dicunt enim: „Nemo rem  
 suam emit. omnia autem sapientis sunt: ergo sapiens  
 nihil emit.“ Sic vetant et mutuum sumere, quia nemo  
 usuram pro pecunia sua pendat. Innumerabilia sunt, per  
 quae cavillantur, cum pulcherrime, quid a nobis dicatur,  
 intellegant.

- 1 V. Etiam sic omnia sapientis esse dico, ut nihilomi-  
 nus proprium quisque in rebus suis dominium habeat,  
 quemadmodum sub optimo rege omnia rex imperio pos-  
 sidet, singuli dominio. Tempus istius probandae rei ve-  
 niet. interim hoc huic quaestioni sat est me id, quod  
 aliter sapientis, aliter meum est, posse donare sapienti.  
 2 Nec mirum est aliquid ei, cuius est totum, posse donari.  
 Conduxi domum a te. in hac aliquid tuum est, aliquid  
 meum: res tua est, usus rei tuae meus est. itaque nec  
 fructus tanges colono tuo prohibente, quamvis tua in  
 possessione nascantur, et si annona carior fuerit aut  
 fames,

*heu frustra magnum alterius spectabis acervum*

- 3 in tuo natum, in tuo positum, in horrea iturum tua. Nec  
 conductum meum, quamquam sis dominus, intrabis. nec  
 servum tuum, mercenarium meum, abduces. et cum a  
 te rhedam conduxero, beneficium accipies, si tibi in ve-  
 hiculo tuo sedere permisero. Vides ergo posse fieri, ut  
 aliquis accipiendo quod suum est, munus accipiat.  
 1 VI. In omnibus istis, quae modo retuli, uterque eius-  
 dem rei dominus est. Quomodo? quia alter rei dominus  
 est, alter usus. Libros dicimus esse Ciceronis. eosdem  
 Dorus librarius suos vocat, et utrumque verum est. alter



illos tamquam auctor sibi, alter tamquam emptor adserit: at recte utriusque dicuntur esse. utriusque enim sunt, sed non eodem modo. sic potest T. Livius a Doro accipere aut emere libros suos. Possum donare sapienti, quod 2 viritim meum est, licet illius sint omnia. nam cum regio more cuncta conscientia possideat, singularum autem rerum in unumquemque proprietates sit sparsa, et accipere munus et debere, et emere et conducere potest. Caesar 3 omnia habet, fiscus eius privata tantum ac sua. et universa in imperio eius sunt, in patrimonio propria. Quid eius sit, quid non sit, sine diminutione imperii quaeritur. nam id quoque, quod tamquam alienum abiudicatur, aliter illius est. Sic sapiens universa animo possidet, iure ac dominio sua.

VII. Bion modo omnes sacrilegos argumentis esse 1 colligit, modo neminem. Cum omnes de saxo delecturus est, dicit: *Quisquis id, quod deorum est, sustulit et consumpsit atque in usum suum vertit, sacrilegus est. omnia autem deorum sunt. quod quisque ergo tollit, deorum tollit, quorum omnia sunt: ergo quisquis tollit aliquid, sacrilegus est.* Deinde, cum effringi templa et expilari in- 2 pune Capitolium iubet, dicit *nullum sacrilegum esse. quia quicquid sublatum est, ex eo loco, qui deorum erat, in eum transfertur locum, qui deorum est.* Hic respondetur 3 omnia quidem deorum esse, sed non omnia dis dedicata. in his observari sacrilegium, quae religio numini adscripsit. sic et totum mundum deorum esse immortalium templum, solum quidem amplitudine illorum ac magnificentia dignum, et tamen a sacris profana discerni et non omnia licere in angulo, cui fani nomen inpositum est, quae sub coelo et conspectu siderum licent. Iniuriam sacrilegus deo quidem non potest facere, quem extra ictum sua divinitas posuit, sed punitur, quia tamquam deo fecit: opinio illum nostra ac sua obligat poenae. Quomodo ergo sacrilegus videtur, qui aliquid aufert sa- 4 cri, etiamsi quocumque transtulit, quod subriperat, intra terminos est mundi: sic et sapienti furtum potest fieri. auferetur enim illi non ex his, quae universa habet, sed ex his, quibus dominus inscriptus est, quae viritim ei

5 serviunt. Illam alteram possessionem agnoscet, hanc  
 nolet habere, si poterit. emittitque illam vocem, quam  
 Romanus imperator emisit, cum illi ob virtutem et bene-  
 gestam rempublicam tantum agri decerneretur, quantum  
 arando uno die circuire potuisset: *non opus est*, inquit,  
*vobis eo cive, cui plus opus sit, quam uni civi.* Quanto  
 maioris viri putas respuisse hoc munus quam meruisse?  
 multi enim fines aliis abstulerunt, sibi nemo constituit.

1 VIII. Ergo cum animum sapientis intuemur potentem  
 omnium et per universa dimissum, omnia illius esse di-  
 cimus, cum *autem* hoc ius cotidianum, si ita res tulerit,  
 capite censebitur. Multum interest, possessio eius animo  
 ac magnitudine aestimetur an censu. Haec universa ha-  
 2 bere, de quibus loqueris, abominabitur. Non referam  
 tibi Socratem, Chrysippum, Zenonem et ceteros magnos  
 quidem viros, maiores quidem, quia in laudem vetustor-  
 um invidia non obstat. Paulo ante Demetrium retuli,  
 quem mihi videtur rerum natura nostris tulisse tempori-  
 bus, ut ostenderet nec illum a nobis corrumpi nec nos  
 ab illo corrigi posse: virum exactae, licet neget ipse,  
 sapientiae firmaeque in his, quae proposuit, constantiae,  
 eloquentiae vero eius, quae res fortissimas deceat, non  
 concinnatae nec in verba sollicitae, sed ingenti animo,  
 3 prout inpetus tulit, res suas prosequentis. Huic non du-  
 bito, quin providentia et talem vitam et talem dicendi fa-  
 cultatem dederit, ne aut exemplum seculo nostro aut con-  
 vicium deesset. Demetrio si res nostras aliquis deorum  
 possidendas velit tradere sub lege certa, ne liceat donare,  
 adfirmaverim repudiaturum dicturumve:

1 IX. „Ego vero me ad istud inextricabile pondus non  
 adligo nec in altam fecem rerum hunc expeditum homi-  
 nem demitto. Quid ad me defers populorum omnium  
 mala? quae ne daturus quidem acciperem, quoniam multa  
 video, quae me donare non deceat. Volo sub conspectu  
 meo ponere, quae gentium oculos regumque praestrin-  
 gunt. volo intueri pretia sanguinis animarumque vestra-  
 2 rum. Prima mihi luxuriae spolia propone, sive illa vis  
 per ordinem expandere, sive, ut est melius, in unum  
 acervum dare: video elaboratam scrupulosa distinctione

testudinem et foedissimorum pigerrimorumque animalium testas ingentibus pretiis emptas, in quibus illa ipsa quae placet varietas subditis medicamentis in similitudinem veri coloratur. Video istic mensas et aestimatum lignum senatorio censu, eo pretiosius, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torsit. Video istic crystallina, quorum 3  
accendit fragilitas pretium: omnium enim rerum voluptas apud inperitos ipso quo fugari debet periculo crescit. Video murrea pocula: parum scilicet luxuria magno fuerit, nisi quod vomant capacibus gemmis inter se *propinaverint*. Video uniones non singulos singulis auribus 4  
comparatos. iam enim exercitatae aures oneri ferendo sunt: iunguntur inter se et insuper alii binis superponuntur. non satis muliebris insania viros superiecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent. Video sericas vestes, si vestes vocandae sunt, in quibus 5  
nihil est, quo defendi aut corpus aut denique pudor possit, quibus sumptis parum liquido nudam se non esse iurabit. hae ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, ut matronae nostrae ne adulteris quidem plus sui in cubiculo quam in publico ostendant.

X. Quid agis avaritia? quot rerum caritate aurum 1  
tuum victum est? omnia ista, quae retuli, in maiore honore pretioque sunt: nunc volo tuas opes recognoscere, laminas utriusque materiae, ad quas cupiditas nostra caligat. At mehercule terra, quae quicquid utile futurum 2  
nobis erat protulit, ista defodit et mersit et ut noxiosis rebus ac malo gentium in medium prodituris toto pondere incubuit. Video ferrum ex isdem tenebris esse prolatum, quibus aurum et argentum, ne aut instrumentum in caedes mutuas deesset aut pretium. et tamen adhuc ista aliquam materiam habent. est in quo errorem oculorum animus subsequi possit. Video istic diplomata et 3  
syngraphas et cautiones, vacua habendi simulacra, umbra[cula] avaritiae quaedam laborantis, per quae decipiat animum inanum opinione gaudentem. quid enim ista sunt? quid fenus et calendarium et usura, nisi humanae cupiditatis extra naturam quaesita nomina? Pos- 4  
sum de rerum natura queri, quod aurum argentumque

non interius absconderit, quod non illis maius quam quod detrahi posset pondus iniecerit: quid sunt istae tabulae, quid computationes et venale tempus et sanguinolentae centesimae? voluntaria mala ex constitutione nostra pendentia, in quibus nihil est quod, subici oculis, quod teneri manu possit, inanis avaritiae somnia. O miserum, si quem delectat patrimonii sui liber magnus et vasta spatia terrarum colenda per vinctos et immensi greges pecorum per provincias ac regna pascendi et familia bellicosus nationibus maior et aedificia privata laxitatem urbium magnarum vincentia! Cum bene ista, per quae divitias suas disposuit ac fudit, circumspexerit superbun- que se fecerit, si, quicquid habet, ei quod cupit conparet, pauper est. Dimitte me et illis divitiis meis redde. ego regnum sapientiae novi, magnum, securum. ego sic omnia habeo, ut omnium sint.“

1 XI. Itaque cum Caesar illi ducenta donaret, ridens reiecit nec dignam quidem summam iudicans, qua non accepta gloriaretur. Di deaeque, quam pusillo illum 2 animo aut honorare voluit aut corrumpere! Reddendum egregio viro testimonium est. ingentem rem ab illo dici audivi, cum miraretur Caii dementiam, quod se putasset tanti posse mutari. *si temptare*, inquit, *me constituerat, toto illi fui experiendus imperio.*

1 XII. Sapienti ergo donari aliquid potest, etiamsi sapientis omnia sunt. aequae nihil prohibet, cum omnia amicis dicamus esse communia, aliquid amico donari. non enim mihi sic cum amico communia omnia sunt, quomodo cum socio, ut pars mea sit, pars illius, sed quomodo patri matrique communes liberi sunt. quibus cum duo sunt, non singuli singulos habent, sed singuli binos. 2 Primum omnium iam efficiam, ut quisquis est iste, qui me in societatem vocat, sciat se nihil mecum habere commune. quare? quia hoc consortium solum inter sapientes est, inter quos amicitia est. ceteri non magis amici 3 sunt quam socii. Deinde pluribus modis communia sunt. Equestria omnium equitum Romanorum sunt. in illis tamen locus meus fit proprius, quem occupavi. hoc si cui cessi, quamvis illi communi re cesserim, tamen aliquid

dedisse videor. Quaedam quorumdam sub certa conditione sunt: habeo in equestribus locum, non ut vendam, non ut locem, non ut habitem, in hoc tantum ut spectem. Praeterea non mentior, si dico me habere in equestribus 4 locum. sed cum in theatrum veni, si plena sunt equestria et iure habeo locum illic, quia sedere mihi licet, et non habeo, quia ab his, cum quibus mihi ius loci commune est, occupatus est. Idem inter amicos puta fieri: quicquid habet amicus, commune est nobis, sed illius 5 proprium est, qui tenet. uti his illo nolente non possum. „Derides me, inquis: si quod amici est, meum est, liceat mihi vendere.“ Non licet: nam nec equestria, et tamen communia tibi cum ceteris equitibus sunt. Non est argumentum ideo aliquid tuum non esse, quia vendere non potes, quia consumere, quia mutare in deterius aut melius. tuum enim est etiam quod sub lege certa tuum est.

XIII. \*\*\* accepi, sed certe non minus. Ne traham longius, beneficium maius esse non potest: ea, per quae beneficium datur, possunt esse maiora et plura, in quae se *undique* benevolentia effundat et sic sibi indulgeat, quemadmodum amantes solent, quorum plura oscula et complexus artiores non augent amorem, sed exercent.

XIV. Haec quoque, quae venit, quaestio profligata 1 est in prioribus: itaque breviter perstringetur. possunt enim in hanc quae aliis data sunt argumenta transferri. Quaeritur, an qui omnia fecit, ut beneficium redderet, reddiderit. „Ut scias, inquit, illum non 2 reddidisse: omnia fecit, ut redderet. adparet ergo non esse id factum, cuius faciendi non esse [*\*\*aut*] occasionem non habuit. Et creditori suo pecuniam non solvit is, qui ut solveret, ubique quaesivit nec invenit.“ Quaedam 3 eius condicionis sunt, ut effectum praestare debeant: quibusdam pro effectu est omnia temptasse, ut efficerent. Si omnia fecit ut sanaret, peregit medicus partes suas. etiam damnato reo oratori constat eloquentiae officium, si omni iure, si omni *vi* usus est. laus imperatoria etiam victo duci redditur, si et prudentia et industria et fortitudo muneribus suis functa est. Omnia fecit, ut benefi- 4

cium redderet, obstitit illi felicitas tua: nihil incidit durius, quod veram amicitiam experiretur. locupleti donare non potuit, sano adsidere, felici succurrere: gratiam retulit, etiamsi tu beneficium non recepisti. Praeterea huic intentus semper et huius rei tempus opperians qui in hoc multum curae, multum sedulitatis inpendit, plus laboravit quam cui cito referre gratiam contigit. Debitoris exemplum dissimile est, cui parum est pecuniam quae-  
 5 sisse, nisi solvit. illic enim stat acerbus super caput creditor, qui nullum diem gratis occidere patiatur: hic benignissimus, qui cum te viderit concursantem et sollicitum atque anxium, dicat:

*Mitte hanc de pectore curam.*

desine tibi molestus instare. omnia a te habeo. iniuriam mihi facis, si me quicquam amplius desiderare iudicas.  
 6 plenissime ad me pervenit animus tuus. „Sic, inquit, mihi [si] redisse beneficium diceres, illum gratiam retulisse? Eodem ergo loco est, qui reddidit et qui non reddidit?“ Contra nunc illud pone: si oblitus esset accepti beneficii, si nec temptasset quidem gratus esse, negares illum gratiam retulisse. at hic se diebus noctibusque lassavit et omnibus aliis renuntiavit officiis, huic uni imminens et operatus, ne qua se fugeret occasio: eodem ergo loco erunt ille, qui curam referendae gratiae abiecit, et hic, qui numquam ab illa recessit? Iniquus es, si rem a me exigis, cum videas animum non defuisse.

1 XV. Ad summam puta, cum captus esses, me pecuniam mutuatum rebus meis in securitatem creditoris obpositis navigasse hieme tam saeva per infesta latrociniis litora, emensum quicquid periculi adferre potest etiam pacatum mare. peragratis omnibus solitudinibus, cum quos nemo non fugiebat ego quaererem, tandem ad piratas perveni. et iam te alius redemerat: negabis me gratiam retulisse? etiamne si in illa navigatione pecuniam, quam saluti tuae contraxeram, naufragus perdiidi? etiamne si in vincula, quae detrahere tibi volui, ipse incidi? negabis me retulisse gratiam? At mehercle Athenienses Harmodium et Aristogitonem tyrannicidas vocant, et Mucio manus in hostili ara relicta instar occisi Porse

nae fuit, et semper contra fortunam luctata virtus etiam citra effectum propositi operis enituit. Plus praestitit, qui fugientes occasiones secutus est et alia atque alia captavit, per quae referre gratiam posset, quam quem sine ullo sudore gratum prima fecit occasio. „Duas, inquit, res ille tibi praestitit, voluntatem et rem: tu quoque illi duas debes.“ Merito istud diceres ei, qui tibi reddidit voluntatem otiosam: huic vero [debes], qui et vult et conatur et nihil intemptatum relinquit, [et] non potes dicere. utrumque enim praestat, quantum in se est. Deinde non semper numero numerus aequandus est. aliquando una res pro duabus valet: itaque in locum rei succedit tam propensa voluntas et cupida reddendi. Quodsi animus sine re ad referendam gratiam non valet, nemo adversus deos gratus est, in quos voluntas sola confertur. „Dis, inquit, nihil aliud praestare possumus.“ Sed si huic quoque, cui referre gratiam debeo, nihil aliud praestare possum, quid est, quare non eo adversus hominem gratus sim, quo nihil amplius in deos confero?

XVI. Si tamen quid sentiam quaeris et vis signare responsum: hic beneficium recepisse se iudicet, ille se sciat non reddidisse. Hic illum dimittat, ille se teneat. hic dicat: habeo, ille respondeat: debeo. In omni quaestione propositum sit nobis bonum publicum. praeccludendae sunt excusationes ingratis, ad quas refugere non possint et sub quibus infitiationem suam tegere. „Omnia feci.“ Fac etiam nunc. Quid? tu tam imprudentes iudicas maiores nostros fuisse, ut non intellegerent iniquissimum esse eodem loco haberi eum, qui pecuniam, quam a creditore acceperat, libidine aut alea absumpsit, et eum, qui incendio aut latrocinio aut aliquo casu tristiore aliena cum suis perdidit? nullam excusationem receperunt, ut homines scirent fidem utique praestandam. satius enim erat a paucis etiam iustam excusationem non accipi quam ab omnibus aliquam temptari. Omnia fecisti ut redderes: hoc illi satis sit, tibi parum. nam quemadmodum ille, si enixam et sedulam operam transire pro inrita patitur, cui gratia referatur indignus est, ita tu ingratus es, nisi ei,

qui voluntatem bonam in solutum accepit, eo libentius debes, quia dimitteris. non rapias hoc nec testeris. oc-  
 5 casiones reddendi nihilominus quaeras. Redde illi, quia repetit, huic, quia remittit. illi, quia *malus*, huic, quia *non malus*. Ideoque non est, quod ad te hanc quaestio-  
 nem iudices pertinere an, quod beneficium quis a sapiente acceperit, reddere debeat, si ille de-  
 siit esse sapiens et in malum versus est. redde-  
 res enim et depositum, quod a sapiente accepisses. etiam malo redderes creditum: quid est cur non et beneficium?  
 6 quia mutatus est ille, te mutat? Quid? si quid a sano accepisses, aegro non redderes, cum plus semper inbecillo amico debeamus? et hic aeger est animo: adiuvetur, feratur. stultitia morbus est animi.

1 XVII. Distinguendum hoc, quo magis intellegatur, existi-  
 stinio. Duo sunt beneficia: unum quod dare nisi sapiens sapienti non potest. hoc est absolutum et verum benefi-  
 cium. alterum volgare, plebeium, cuius inter nos inperi-  
 2 tos commercium est. De hoc non est dubium, quin illi, qualiscumque, est debeam reddere, sive homicida sive fur sive adulter evasit. Habent scelera leges suas: melius istos iudex quam ingratus emendat. nemo te malum, qui est, faciat. Malo beneficium proiciam, bono reddam, huic quia debeo, illi ne debeam.

1 XVIII. De altero beneficii genere dubitatur, quod si accipere non potui nisi sapiens, nec reddere quidem nisi sapienti possum. puta enim me reddere: ille non potest recipere. non est iam huius rei capax. scientiam utendi perdidit. Quid si me remittere manco pilam iubes? stul-  
 2 tum est dare alicui, quod accipere non possit. Ut respondere ab ultimo incipiam: non dabo illi, quod accipere non poterit. reddam, etiamsi recipere non poterit. obligare enim non possum nisi accipientem: liberari tantum, si reddidi, possum. Ille uti illo non poterit? viderit. penes illum erit culpa, non penes me.

1 XIX. „Reddere est, inquit, accepturo tradidisse. quid enim, si cui vinum debeas et hoc ille te infundere reticulo iubeat aut cribro: reddidisse te dices aut reddere  
 2 voles, quod, dum redditur, inter duos pereat?“ Reddere



est id quod debeas ei, cuius est, volenti dare. hoc unum mihi praestandum est. Ut quidem habeat quod a me accepit, iam ulterioris est curae. non tutelam illi, sed fidem debeo, multoque satius est illum non habere quam me non reddere. Et creditori statim in macellum laturo, quod 3 acceperit, reddam. etiam si mihi adulteram, cui numerem, delegaverit solvam. et si nummos, quos accipiet, in sinum suum discinctus fundet, dabo. reddendum enim mihi est, non servandum, cum reddidero, ac tuendum. beneficii accepti, non redditu custodiam debeo. dum apud me est, salvum sit: ceterum, licet accipientis manibus effluat, dandum est reposcenti. reddo bono, cum expediet, malo, cum petet. „Tale, inquit, illi beneficium, 4 quale accepisti, non potes reddere: accepisti enim a sapiente, stulto reddis.“ Non. reddo illi, quale nunc potest accipere. nec per me fit, quod deterius id, quod accepi, reddam, sed per illum. Cui, si ad sapientiam redierit, reddam quale [*accepi*]. dum in malis, reddam, quale ab illo potest accipi. „Quid, inquit, si non tantum 5 malus factus est, sed ferus, sed inmanis, qualis Apollodorus aut Phalaris: et huic beneficium, quod acceperas, reddes?“ Mutationem sapientis tantam natura non patitur. nam in pessima ab optimis lapsus necesse est etiam in malo vestigia boni teneat. numquam tantum virtus extinguitur, ut non certiores animo notas inprimat, quam ut illas eradat ulla mutatio. Ferae inter nos educatae 6 sunt. in silvas eruperunt: aliquid mansuetudinis pristinae retinent tantumque a placidissimis absunt, quantum a veris feris et numquam humanam manum passis. Nemo in summam nequitiam incidit, qui umquam haesit sapientiae. alius infectus est, quam ut ex toto elui et transire in colorem malum possit. Deinde interrogo, utrum iste ferus 7 sit animo tantum an et in perniciem publicam excurrat? Proposuisti enim mihi Apollodorum et Phalarin tyrannum, quorum si naturam habet intra se malus, quidni ego isti beneficium suum reddam, ne quid mihi cum illo iuris sit amplius? Si vero sanguine humano non tantum 8 gaudet, sed pascitur, sed et suppliciiis omnium aetatum crudelitatem insatiabilem exercet, nec ira sed aviditate

quadam saeviendi furit, si in ore parentum liberos iugulat, si non contentus simplici morte distorquet nec urit solum perituros, sed excoquit, si *carnifex* eius cruore et semper recenti madet: parum est huic beneficium non reddere. quicquid erat quo mihi cohaereret, intercisa iuris humani societas abscidit. Si praestitisset quidem aliquid mihi, sed arma patriae meae inferret: quicquid meruerat perdidisset et referre illi gratiam scelus haberetur. si non patriam meam inpugnat, sed suae gravis est et sepositus a mea gente suam exagitat, abscindit nihilominus illum tanta pravitas animi [*et*] etiamsi non inimicum, invisum mihi efficit priorque mihi ac potior eius officii ratio est, quod humano generi quam quod uni homini debeo.

1 XX. Sed quamvis hoc ita sit et ex eo tempore omnia mihi in illum sint libera, ex quo corrumpendo fas omne, ut nihil in eum nefas esset, effecerit: illum mihi servandum modum credam, ut, si beneficium illi meum neque vires maiores daturum est in exitium commune nec confirmaturum quas habet, id autem erit, quod illi reddi sine

2 pernicie publica possit, reddam. Servabo filium eius infantem: quid hoc beneficium obest cuiquam eorum, quos crudelitas eius lacerat? pecuniam, quae satellitem stipendio teneat, non subministrabo. Si marmora et vestes desideraverit, nihil oberit cuiquam id, quo luxuria eius

3 instruitur: militem et arma non subgeram. Si pro magno petet munere artifices scenae et scorta et quae feritatem eius emolliant, libens offeram. cui triremes et aeratas non mitterem, lusorias et cubiculatas et alia ludibria regum in mari lascivientium mittam: et si ex toto eius sanitas desperata fuerit, eadem manu beneficium omnibus dabo, illi reddam: quoniam ingeniis talibus exitus remedium est optimumque est abire ei, qui ad se numquam

4 rediturus est. Sed haec rara nequitia est et semper portentosi loco habita, sicut hiatus terrae et e cavernis maris ignium eruptio. itaque ab illa recedamus: de iis loquamur vitiis, quae detestamur sine horrore. Huic homini malo, quem invenire in quolibet foro possum, quem singuli timent, reddam beneficium, quod accepi. non oportet mihi nequitiam eius prodesse. quod meum non est,

redeat ad dominum, bonus sit an malus. quid? diligenter istud excuterem, si non redderem, sed darem. Hic locus fabulam poscit.

XXI. Pythagoricus quidam emerat a sutore phaecasia, rem magnam non praesentibus nummis. Post aliquot dies venit ad tabernam redditurus et, cum clausam diu pulsaret, fuit qui diceret: „quid perdis operam? sutor ille quem quaeris elatus, combustus est. quod nobis fortasse molestum est, qui in aeternum nostros amittimus, tibi minime, qui scis futurum ut renascatur,“ iocatus in Pythagoricum. At philosophus noster tres aut quatuor 2 denarios non invita manu domum retulit subinde concutiens. deinde cum reprehendisset hanc suam non reddendi tacitam voluptatem, intellegens arrisisse sibi illud lucellum, redit ad eandem tabernam et ait: „ille tibi vivit. redde quod debes.“ Deinde per clostrum qua se commissura laxaverat, quatuor denarios in tabernam inseruit [ac misit] poenas a se exigens improbae cupiditatis, ne alieno adsuesceret.

XXII. Quod debes, quaere cui reddas et si nemo 1 poscet, ipse te adpella. malus an bonus [sit], ad te non pertinet. redde et te accusa. oblitus es, quemadmodum inter vos officia divisa sint: illi oblivio imperata est, tibi meminisse mandavimus. Errat tamen, si quis existimat, cum dicimus eum qui beneficium dedit, oblivisci oportere, excutere nos illi memoriam rei praesertim honestissimae: quaedam praecipimus ultra modum, ut ad verum et suum redeant. Cum dicimus: meminisse non debet, 2 hoc volumus intellegi: praedicare non debet nec iactare nec gravis esse. Quidam enim beneficium, quod dederunt, omnibus circulis narrant. hoc sobrii loquuntur, hoc ebrii non continent, hoc ignotis ingerunt, hoc amicis committunt: ut haec nimia et exprobratrix memoria subsideret, oblivisci eum, qui dedit, iussimus, et plus imperando quam praestari poterat, silentium suasimus.

XXIII. Quotiens parum fiduciae est in his, quibus imperes, amplius est exigendum quam sat est, ut praestetur quantum sat est. In hoc omnis hyperbole extenditur, ut ad verum mendacio veniat. itaque ille, cum dixit

*qui candore nives anteirent, cursibus auras,*  
quod non poterat fieri dixit, ut crederetur quantum plurimum posset. Et qui dixit

*his immobilior scopulis, violentior amne,*  
nemini hoc quidem se persuasurum putavit, aliquem tam  
2 immobilem esse quam scopulum. Numquam tantum sperat hyperbole quantum audet, sed incredibilia adfirmat, ut ad credibilia perveniat. Cum dicimus: qui beneficium dedit, obliviscatur, hoc dicimus: similis sit oblito. me-  
3 moria eius non adpareat nec incurrat. Cum dicimus beneficium repeti non oportere, non ex toto repetitionem tollimus: saepe enim opus est malis exactore, etiam bonis admonitione. Quid ergo? occasionem ignorantibus non ostendam? necessitates illi meas non detegam? quare nescisse se aut mentiatur aut doleat? Interveniatur aliquando admonitio, sed verecunda, quae non poseat nec in ius vocet.

1 XXIV. Socrates amicis audientibus, *emissem*, inquit, *pallium*, *si nummos haberem*. Neminem poposcit, omnes admonuit. a quo acciperet, ambitus fuit. quidni esset? quantulum enim erat, quod Socrates accipiebat? at mul-  
2 tum erat eum fuisse, a quo Socrates acciperet. Num illos castigare mollius potuit? *Emissem*, inquit, *pallium*, *si nummos haberem*. Post hoc quisquis properaverit, sero dat. iam Socrati defuit. Propter acerbos exactores repetere prohibemus, non ut numquam fiat, sed ut parce.

1 XXV. Aristippus aliquando delectatus unguento: *male*, inquit, *istis effeminatis eveniat, qui rem tam bellam infamaverunt*. Idem dicendum est: male istis improbis et inportunis beneficiorum suorum quadruplatoribus eveniat, qui tam bellam rem, admonitionem inter amicos, sustulerunt. Ego tamen utar hoc iure amicitiae et beneficium ab eo repetam, a quo petissem, qui alterius be-  
2 neficii loco accepturus est potuisse reddere. Numquam ne querens quidem dicam:

*eiectum litore egentem*

*excepi et regni demens in parte locavi.*

Non est ista admonitio, convicium est. hoc est in odium beneficia perducere, hoc est efficere, ut ingratum esse

aut libeat aut iuuet. Satis abundeque est submissis et familiaribus verbis memoriam revocare:

*si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam dulce meum.*

illè invicem dicat: quidni merueris? eiectionem litore egen-  
tem excepisti.

XXVI. „Sed nihil, inquit, proficimus: dissimulat, 1  
oblitus est. quid facere debeam?“ Quaeris rem ma-  
xime necessariam et in qua hanc materiam  
consummari decet, quemadmodum ingrati fe-  
rendi sint. Placido animo, mansueto, magno. Num- 2  
quam te tam inhumanus et inmemor et ingratus offendat,  
ut non tamen dedisse delectet. numquam in has voces  
iniuria inpellat: vellem non fecisse. Beneficii tui tibi  
etiam infelicitas placeat. semper illum poenitebit, si te  
ne nunc quidem poenitet. Non est quod indigneris, tam-  
quam aliquid novi acciderit: magis mirari deberes, si  
non accidisset. Alium labor, alium impensa deterret, 3  
alium periculum. alium turpis verecundia, ne dum red-  
dit fateatur accepisse. alium ignorantia officii, alium pi-  
gritia, alium occupatio. Adspice, quemadmodum immen-  
sae hominum cupiditates hient semper et poscant: non  
miraberis ibi neminem reddere, ubi nemo satis accepit.  
Quis est istorum tam firmæ mentis ac solidæ, ut tuto 4  
apud eum beneficia deponas? Alius libidine insanit, alius  
abdomini servit, alius lucri totus est, cuius summam,  
non vias spectat. alius invidia laborat, alius caeca ambi-  
tione et in gladios inruente. Adice torporem mentis ac  
senium et contraria huic inquieti pectoris agitationem tu-  
multusque perpetuos. adice aestimationem sui nimiam et  
tumorem ob quæ contemnendus est insolentem. Quid  
contumaciam in perversa nitentium, quid levitatem sem-  
per aliquo transsilientem loquar? Huc accedat temeritas 5  
præceps et numquam fidele consilium daturus timor et  
mille errores quibus volvimur: audacia timidissimorum,  
discordia familiarissimorum et publicum malum incertis-  
simis fidere, fastidire possessa, quæ consequi posse spes  
non fuit. Inter adfectus inquietissimos rem quietissimam,  
fidem, quaeris?

- 1 XXVII. Si tibi vitae nostrae vera imago succurret, videberis tibi videre captae cum maxime civitatis faciem, in qua omissa pudoris rectique respectu vires in concilio sunt velut signo ad permiscenda omnia dato. non igni, non ferro abstinetur: soluta legibus scelera sunt. ne religio quidem, quae inter arma hostilia supplices texit, 2 ullum impedimentum est ruentium in praedam. Hic ex privato, hic ex publico, hic ex profano, hic ex sacro rapit. hic effringit, hic transsilit. hic non contentus angusto itinere ipsa, quibus arcetur, evertit et in lucrum ruina venit. hic sine caede populatur, hic spolia cruenta manu gestat. nemo non fert aliquid ex altero. In hac aviditate generis humani o nae tu nimis fortunae communis oblitus es, qui quaeris inter rapientes referentem!
- 3 Si indignaris ingratos esse, indignare luxuriosos, indignare avaros, indignare impudicos, indignare aegros deformes, senes pallidos. Est istuc grave vitium, est intolerabile et quod dissociet homines, quod concordiam, qua inbecillitas nostra fulcitur, scindat ac dissipet, sed usque eo volgare est, ut illud nec qui queritur quidem effugerit.
- 1 XXVIII. Cogita tecum, an quibuscumque debuisti gratiam retuleris, an nullum unquam apud te perierit officium, an omnium te beneficiorum memoria comitetur. Videbis, quae puero data sunt, ante adulescentiam elapsa, quae in iuvenem conlata sunt, non perdurasse in senectutem. Quaedam perdidimus, quaedam proiecimus, quaedam e conspectu nostro paulatim exierunt, a quibusdam 2 oculos avertimus. Ut excusum tibi inbecillitatem tuam, inprimis fragile est memoria et rerum turbae non sufficit. necesse est quantum recipit emittat et antiquissima recentissimis obruat. Sic factum est, ut minima apud te nutricis esset auctoritas, quia beneficium eius longius aetas sequens posuit. sic factum est, ut praeceptoris tibi non esset ulla veneratio. sic evenit, ut circa consularia occupato comitia aut sacerdotiorum candidato quaesturae 3 suffragator excideret. Fortasse vitium, de quo quereris, si te diligenter excusseris, in sinu invenies. Inique publico crimini irascaris, stulte tuo: ut absolvaris, igno-

see. Meliorem illum facies ferendo, utique peiorem exprobrando. non est quod frontem eius indures: sine, si quid est pudoris residui, servet. Saepe dubiam verecundiam vox conviciantis clarior rupit. nemo id esse quod iam videtur timet. deprenso pudor emittitur.

XXIX. Perdidi beneficium. Numquid quae consecravimus, perdidisse nos dicimus? inter consecrata beneficium est, etiamsi male respondit, bene conlatum. Non est ille, qualem speravimus: simus nos, quales fuimus, ei dissimiles. damnum non *nunc* factum: adparuit. ingratus non sine nostro pudore protrahitur, quoniam quidem querela amissi beneficii non bene dati signum est. Quantum possumus, causam eius apud nos agamus: fortasse non potuit, fortasse ignoravit, fortasse facturus est. Quaedam nomina bona lentus ac sapiens creditor fecit, qui sustinuit ac mora fovit. Idem nobis faciendum est: nutriamus fidem languidam.

XXX. Perdidi beneficium. Stulte, non nosti detrimenti tui tempora: perdidisti, sed cum dares. nunc palam factum est. Etiam in his, quae videntur in perditio, moderatio plurimum profuit: ut corporum ita animorum molliter vitia tractanda sunt. saepe quod explicari *potuit*, pertinacia trahentis abruptum est. Quid opus est maledictis? quid querelis? quid insectatione? quare illum liberas? quare dimittis? si ingratus est, iam nihil debet. Quae ratio est exacerbare eum, in quem magna contuleris, ut ex amico dubio fiat non dubius inimicus et patrocinium sibi nostra infamia quaerat nec desit? Nescio quid est, quod eum, cui tantum debuit, ferre non potuit: subest aliquid: nemo non superioris dignitatem querendo, etiamsi non inquinavit, adpersit. nec quisquam fingere contentus est levia, cum magnitudine mendacii fidem quaerat.

XXXI. Quanto illa melior via, qua servatur illi species amicitiae et, si reverti ad sanitatem velit, etiam amicitia! Vincit malos pertinax bonitas nec quisquam tam duri infestique adversus diligenda animi est, ut etiam *in* iniuriam bonos non amet, quibus hoc quoque coepit debere, quod inpune non solvit. Ad illa itaque cogitationes 2

tuas flecte: non est mihi relata gratia, quid faciam? quod di, omnium rerum optimi auctores, qui beneficia ignorantia dare incipiunt, ingratis perseverant. Alius illis obicit negligentiam nostri, alius iniquitatem. alius illos extra mundum suum proicit et ignavos hebetesque sine luce, sine ullo opere destituit. alius solem, cui debemus, quod inter laborem quietemque tempus divisimus, quod non tenebris mersi confusionem aeternae noctis effugimus, quod annum cursu suo temperat et corpora alit, sata evocat, percoquit fructus, saxum aliquod aut fortuitorum ignium globum et quidvis potius quam deum adpellat. 4 nihilominus tamen more optimorum parentum, qui maledictis suorum infantium adrident, non cessant di beneficia congerere de beneficiorum auctore dubitantibus, sed aequali tenore bona sua per gentes populosque distribuunt unam potentiam sortiti, prodesse: spargunt opportunis imbribus terras, maria flatu movent, siderum cursu notant tempora, hiemes aestatesque *interveniente* leniore spiritu molliunt. errorem labentium animorum placidi ac propitii ferunt. Imitemur illos: demus, etiamsi 5 multa in inritum data sunt. demus nihilominus aliis, demus ipsis, apud quos iactura facta est. Neminem ad excitandas domos ruina deterruit, et cum penates ignis absumpsit, fundamenta tepente adhuc area ponimus et urbes haustas saepius eidem solo credimus: adeo ad bonas spes pertinax animus est. terra marique humana opera cessarent, nisi male temptata iterum temptare libuisset.

XXXII. Ingratus est: non mihi fecit iniuriam, sed sibi. ego beneficio meo cum dare usus sum. nec ideo pigrius dabo, sed diligentius: quod in hoc perdidit, ab aliis recipiam. Sed huic ipsi beneficium dabo iterum et tamquam bonus agricola cura cultuque sterilitatem soli vincam. Perit mihi beneficium, iste omnibus. Non est magni animi beneficium dare et perdere: hoc est magni animi perdere et dare.

---



**L. ANNAEI SENECAE**

**AD LUCILIUM**

**NATURALIUM QUAESTIONUM**

**LIBRI VII.**

1887

# L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

## NATURALIUM QUÆSTIONUM

LIBER I.

---

### PROLOGUS.

Quantum inter philosophiam interest, Lucili virorum 1  
optime, et ceteras artes, tantum interesse existimo in  
ipsa philosophia inter illam partem, quae ad homines,  
et hanc, quae ad deos pertinet. Altior est haec et ani-  
mosior. multum permisit sibi: non fuit oculis contenta.  
maius esse quiddam suspicata est ac pulchrius, quod  
extra conspectum natura posuisset. Denique tantum in- 2  
ter duas interest, quantum inter deum et hominem. al-  
tera docet, quid in terris agendum sit, altera, quid aga-  
tur in coelo. altera errores nostros discutit et lumen ad-  
movet, quo discernantur ambigua vitae: altera multo  
supra hanc, in qua volutamur, caliginem excedit et e  
tenebris ereptos perducit illo, unde lucet. Equidem tunc 3  
rerum naturae gratias ago, cum illam non ab hac parte  
video, qua publica est, sed cum secretiora eius intravi,  
cum disco, quae universi materia sit, quis auctor aut  
custos, quid sit deus, totus in se intendat an ad nos ali-  
quando respiciat, faciat cotidie aliquid an semel fecerit,  
pars mundi sit an mundus, liceat illi hodieque decernere  
et ex lege fatorum aliquid derogare an maiestatis diminu-  
tio sit et confessio erroris mutanda fecisse. necesse est  
[enim ei] eadem placere, cui nisi optima placere non pos-  
sunt. nec ob hoc minus liber et potens est: ipse enim  
est necessitas sua. Nisi ad haec admitterer, non fuerat 4  
nasci. quid enim erat, cur in numero viventium me po-  
situm esse gauderem? an ut cibos et potiones percolarem?  
ut hoc corpus causarium ac fluidum periturumque, nisi

subinde inpleatur, farcirem et viverem aegri minister? ut mortem timerem, cui uni [omnes] nascimur? Detrahe hoc inaeestimabile bonum, non est vita tanti, ut sudem, ut 5 aestuem. O quam res est contempta homo, nisi supra humana surrexerit! quamdiu cum adfectibus conluctamur, quid magnifici facimus? et si superiores sumus, portenta vincimus. Quid est, cur suspiciamus nosmetipsos, quia dissimiles deterrimis sumus? non video, quare sibi pla- 6 ceat qui robustior est in valitudinario. Multum interest inter vires et bonam valitudinem. Effugisti vitia animi, non est tibi frons ficta nec in alienam voluntatem sermo compositus nec cor involutum nec avaritia, quae quicquid omnibus abstulit, sibi ipsi neget, nec luxuria pecuniam turpiter perdens, quam turpius reparaet, non ambitio, quae te ad dignitatem nisi per indigna non ducet: nihil adhuc consecutus es, multa effugisti, te nondum virtus enim ista, quam adfectamus, magna est, non quia per se beatum est malo caruisse, sed quia animum laxat ac praeparat ad cognitionem coelestium dignumque 7 efficit, qui in consortium deorum veniat. Tunc consummatum habet plenumque bonum sortis humanae, cum calcato omni malo petit altum et in interiorum naturae sinum venit. tunc iuvat inter ipsa sidera vagantem divitum pavimenta ridere et totam cum auro suo terram, non illo tantum dico, quod egressus et signandum monetae dedit, sed et illo, quod in occulto servat posterorum avaritiae. non potest ante contemnere porticus et lacunaria ebore fulgentia et tonsiles silvas et derivata in domos flumina, quam totum circuit mundum, et terrarum orbem superne despiciens angustum et maxima ex parte opertum mari, etiam qua exstat, late squalidum et aut ustum aut rigentem sibi ipse ait: hoc est illud punctum, quod inter tot 8 gentes ferro et igne dividitur? o quam ridiculi sunt mortalium termini! Ultra Istrum Dacus non exeat. *Strymon et Haemus* Thracas includat. Parthis obstet Euphrates. Danubius Sarmatica ac Romana distermine. Rhenus Germaniae modum faciat. Pyrenaeus medium inter Gallias et Hispanias iugum extollat. inter Aegyptum et Aethiopas

arenarum inculta vastitas iaceat. Si quis formicis det in-  
 tellectum hominis, nonne et illae unam aream in multas  
 provincias dividunt? Cum te in illa vere magna sustuleris,  
 quotiens videbis exercitus subrectis ire vexillis et, quasi  
 magnum aliquid agatur, equitem modo ulteriora explo-  
 rantem, modo a lateribus adfusum, libebit dicere:

*it nigrum campis agmen.*

formicarum iste discursus est in angusto laborantium.  
 quid illis et nobis interest nisi exigui mensura corpusculi?  
 Punctum est istud, in quo navigatis, in quo bellatis, in 11  
 quo regna disponitis, minima, etiam cum illis utrimque  
 oceanus occurrit: sursum ingentia spatia sunt, in quo-  
 rum possessionem animus admittitur, et ita, si secum  
 minimum ex corpore tulit, si sordidum omne deterisit et  
 expeditus levisque ac contentus modico emicuit. Cum 12  
 illa tetigit, alitur, crescit ac velut vinculis liberatus in  
 originem redit, et hoc habet argumentum divinitatis suae,  
 quod illum divina delectant nec ut alienis, sed ut suis in-  
 terest: secure spectat occasus siderum atque ortus et tam  
 diversas concordantium vias. observat, ubi quaeque stella  
 primum terris lumen ostendat, ubi culmen eius summum,  
 qua cursus sit, quousque descendat. curiosus spectator  
 excutit singula et quaerit. quidni quaerat? scit illa ad se  
 pertinere. Tunc contemnit domicilii prioris angustias. 13  
 quantum enim est, quod ab ultimis litoribus Hispaniae  
 usque ad Indos iacet? paucissimorum dierum spatium,  
 si navem suus ferat ventus, inplebit. at illa regio coe-  
 lestis per triginta annos velocissimo sideri viam prae-  
 stat numquam resistenti, sed aequaliter cito. Illic de-  
 mum discit quod diu quaesivit. illic incipit deum nosse.  
 quid est deus? mens universi. quid est deus? quod vi-  
 des totum et quod non vides totum. Sic demum magni-  
 tudo sua illi redditur, qua nihil maius excogitari potest,  
 si solus est omnia, opus suum et extra et intra tenet.  
 Quid ergo interest inter naturam dei et nostram? nostri 14  
 melior pars animus est, in illo nulla pars extra animum  
 est. totus est ratio, cum interim tantus error mortalia  
 tenet, ut hoc, quo neque formosius est quicquam nec

dispositius nec in proposito constantius, existiment homines fortuitum et casu volubile ideoque tumultuosum inter fulmina, nubes, tempestates et cetera, quibus terrae ac terris vicina pulsantur. Nec haec intra vulgum dementia est, sed sapientiam quoque professos contingit. sunt qui putent [sibi] ipsis animum esse et quidem providum, [ac] dispensantem singula et sua et aliena: hoc autem universum, in quo nos quoque sumus, expers [esse] consilii [et] aut ferri temeritate quadam aut natura  
 16 nesciente quid faciat. Quanti aestimas ista cognoscere et rebus terminos ponere? quantum deus possit, materiam ipse sibi formet an data utatur, utrum utro sit prius, materiae supervenerit ratio an materia rationi, deus quicquid vult efficiat an multis rebus illum tractanda destituant et a magno artifice prave multa formentur, non quia cessat ars, sed quia id, in quo exercetur, saepe inobse-  
 17 quens arti est? Haec inspicere, haec discere, his incubare nonne transsilire est mortalitatem suam et in meliorem transscribi sortem? „Quid tibi, inquis, ista proderunt?“ Si nihil aliud, hoc certe sciam omnia angusta esse mensus deum. [Sed haec deinde.]

1 I. Nunc ad propositum veniam opus. Audi, quid de ignibus sentiam, quos aer transversos agit. Magna illos vi excuti argumentum est, quod obliqui feruntur et praerapida celeritate. adparet illos non ire,  
 2 sed proici. Ignium multae variaeque facies sunt. Aristoteles quoddam genus illorum capram vocat. si me interrogaveris quare? prior mihi rationem reddas oportet quare et hoedi vocentur. si autem, quod commodissimum est, convenerit inter nos, ne alter alterum interroget, quid *quid* dicit illum respondere non posse, satius erit de re ipsa quaerere quam mirari, quid ita Aristoteles globum ignis adpellaverit capram. talis enim fuit forma eius, qui bellum adversus Persen Paulo gerente lunari  
 3 magnitudine adparuit. [Vidimus quoque non semel flammam ingentis pilae speciei, quae tamen in ipso cursu suo dissipata est.] Vidimus circa divi Augusti excessum simile prodigium. vidimus eo tempore, quo de Seiano

actum est. nec Germanici mors sine denuntiatione tali fuit. Dices mihi: „ergo tu in tantis erroribus es, ut existimes deos mortium signa praemittere et quicquam in terris esse tam magnum, quod perire mundus sciat?“ Erit aliud istius rei tempus. videbimus an rerum omnium certus ordo ducatur et alia aliis ita inplexa sint, ut quod antecedit, aut causa sit sequentium aut signum. videbimus an dis humana curae sint, an series ipsa, quid factura sit, certis rerum notis nuntiet: interim illud existimo, eiusmodi ignes existere aëre vehementius trito, cum inclinatio eius in alteram partem facta est et non cessit, sed intra se pugnavit. ex hac vexatione nascuntur trabes et globi et faces et ardores. at cum levius conlissus et, ut ita dicam, frictus est, minora lumina excutiuntur  
*crinemque volantia sidera ducunt.*

Tunc ignes tenuissimi iter exile designant et coelo pro-  
 ducunt. ideo nulla sine huiusmodi spectaculis nox est. non enim opus est ad efficienda ista magno aëris motu. denique, ut breviter dicam, eadem ratione fiunt ista, qua fulmina, sed vi minore. quemadmodum nubes conlissae mediocriter fulgurationes efficiunt, maiore inpetu impulsae fulmina, sic quanto illas minus presseris minoresve, tanto leviora fulmina emittunt. Aristoteles rationem eius-  
 modi reddit: „Varia et multa terrarum orbis exspirat, quaedam humida, quaedam sicca, quaedam argentia, quaedam concipiendis ignibus idonea.“ Nec mirum est, si terrae omnis generis et varia evaporatio est, cum in coelo quoque non unus adpareat color rerum, sed acrior sit Caniculae rubor, Martis remissior, Iovis nullus in lucem puram nitore perducto. Necesse est ergo in magna  
 copia corpusculorum, quae terrae eiectione et in superiorem agunt partem, aliqua in nubes pervenire alimenta ignium, quae non tantum conlissa possint ardere, sed etiam adflata radiis solis. nam apud nos quoque ramenta sulphure adpersa ignem ex intervallo trahunt. Veri ergo  
 simile est talem materiam inter nubes congregatam facile succendi et minores maioresve ignes existere, prout plus illis fuit aut minus virium. Illud enim stultissimum

[est] existimare aut decidere stellas aut transsilire aut ali-  
 10 quid illis auferri et abradi: nam si hoc fuisset, et defuis-  
 sent. nulla enim nox est, qua non plurimae ire et in di-  
 versum videantur abduci: atqui quo solet quaeque in-  
 venit loco. magnitudo sua singulis constat. sequitur  
 ergo, ut infra illas ista nascantur et cito intercidant, quia  
 11 sine fundamento et sede certa sunt. „Quare ergo non  
 etiam interdiu transferuntur?“ Quid, si dicas stellas in-  
 terdiu non esse, quia non adparent? quemadmodum illae  
 latent et solis fulgore obumbrantur, sic faces quoque  
 transcurrunt et interdiu, sed abscondit illas diurni lumi-  
 nis claritas. si quando tamen tanta vis emicuit, ut etiam  
 adversus diem vindicare sibi fulgorem suum possint, ad-  
 12 parent. Nostra certe aetas non semel vidit diurnas faces;  
 alias ab oriente in occidentem versas, alias ab occasu  
 in ortum. argumentum tempestatis nautae putant, cum  
 multae transvolant stellae. quod si ventorum signum est,  
 ibi est, unde venti sunt, id est in aëre, qui medius inter  
 13 lunam et terras est. In magna tempestate adparere quasi  
 stellae solent velo insidentes. adiuvari se tunc periculi-  
 tantes existimant Pollucis et Castoris numine. causa au-  
 tem melioris spei est, quod iam adparet frangi tempesta-  
 tem et desinere ventos: alioquin ferrentur ignes, non se-  
 14 derent. Gylippo Syracusas petenti visa est stella super  
 ipsam lanceam constitisse. in Romanorum castris ardere  
 visa sunt pila, ignibus scilicet in illa delapsis, qui saepe  
 more fulminum [animalia] ferire solent et arbusta. sed si  
 minore vi utuntur, defluunt [tantum] et insident, non  
 feriunt nec volnerant. alii inter nubes eliduntur, alii se-  
 15 reno, si aer ad exprimendos ignes aptus fuit: nam se-  
 reno quoque coelo aliquando tonat ex eadem causa qua  
 nubilo, aëre inter se conliso. qui etiamsi est lucidior ac  
 siccior, coire tamen et facere corpora quaedam similia  
 nubibus potest, quae percussa reddant sonum. Quan-  
 doque ergo fiunt trabes, quandoque clipei et vastorum  
 imagines ignium, ubi in talem materiam similis incidit  
 causa, sed maior.

1 II. Videamus nunc, quemadmodum fiat is



fulgor, qui sidera circumvenit. Memoriae proditum est, quo die urbem divus Augustus Apollonia reversus intravit, circa solem visum coloris varii circulum, qualis in arcu esse solet. hunc Graeci halo vocant, nos dicere coronam aptissime possumus. quae quemadmodum fieri dicatur, exponam. Cum in piscinam lapis missus est, videmus in multos orbis aquam discedere et fieri primum angustissimum orbem, deinde latiore ac deinde alios maiores, donec evanescat in petus et in planitiem innotarum aquarum solvatur: tale quiddam cogitemus fieri etiam in aëre. cum spissior factus est, sentire plagam potest: lux solis aut lunae vel cuiuslibet sideris incurrens recedere illum in circulos cogit. nam humor et aer et omne, quod ex ictu formam accipit, in talem habitum impellitur, qualis est eius, quod impellit. omne autem lumen rotundum est: ergo et aer in hunc modum lumine percussus exhibit. Ob hoc tales splendor 3  
 res Graeci areas vocaverunt, quia fere terendis frugibus destinata loca rotunda sunt. Non est autem quod existimemus istas, sive areae sive coronae sint, in vicinia siderum fieri. plurimum enim ab his absunt, quamvis cingere ea et coronare videantur: non longe a terra fit talis effigies, quam visus noster solita inbecillitate deceptus circa ipsum sidus putat positam. In vicinia autem 4  
 stellarum et solis nihil tale potest fieri, quia illic tenuis aether est. nam formae crassis demum spissisque corporibus inprimi solent, in subtilibus non habent, ubi consistent aut haereant. In balneis quoque circa lucernam tale quiddam adspici solet ob aëris densi obscuritatem. ††. Nonnumquam paulatim diluuntur et desinunt, nonnumquam ab aliqua parte rumpuntur et inde ventum nautici exspectant, unde contextus coronae perit: si a septentrione discessit, aquilo erit, si ab occidente, favonius. quod argumentum est intra eam partem coeli has fieri coronas, intra quam venti quoque esse solent. superiora [autem] non habent coronas, quia ne ventos quidem. His argumentis et illud adice, numquam coronam 6  
 colligi nisi stabili aëre et pigro vento, † frequentissime

autem austro, cum coelum maxime grave et spissum est. † aliter non solet adspici. nam qui stat aer, inPELLI et diduci et in aliquam faciem fingi potest. is autem qui fluit, nec feritur quidem lumine. non enim resistit nec formatur, quia prima quaeque pars eius dissipatur. Numquam ergo ullum sidus talem sibi effigiem circumdabit, nisi cum aer erit densus atque inmotus et ob hoc custodiens incidentem in se rotundi luminis lineam. nec sine causa. repete [enim] exemplum, quod paulo ante proposui: lapillus in piscinam aut lacum et adligatam aquam missus circulos facit innumerabiles: at hoc idem non faciet in flumine. quare? quia omnem figuram fugiens aqua disturbat. Idem ergo in aëre evenit, ut ille, qui manet, possit figurari, at ille, qui rapitur et currit, non det sui potestatem et omnem ictum venientemque formam ex eo trahatur. Hae de quibus dixi coronae cum dilapsae sunt aequaliter et in semet ipsae evanuerunt, significatur quies aëris et otium et tranquillitas [et tunc aquam expectat] cum ab una parte cesserunt, illinc ventus est, unde funduntur: si ruptae pluribus locis sunt, tempestas fit. 9 Quare id accidat, ex his, quae iam exposui, intellegi potest. nam si facies universa subsedit, adparet temperatum esse aëra et sic placidum. si ab una parte intercesa est, adparet inde aëra incumbere et ideo illa regio ventum dabit. at cum undique et lacerata et concerpta est, manifestum est a pluribus partibus in illam inpetum fieri et inquietum aëra hinc atque illinc adsilire: itaque ex hac inconstantia coeli tam multa temptantis et undique laborantis adparet futura tempestas ventorum plurium. Hae coronae noctibus fere circa lunam et alias stellas notantur, interdium raro, adeo ut quidam ex Graecis negaverint omnino eas fieri, cum illos historiae coarguant. causa autem raritatis haec est, quod solis fortius lumen est et aer ipse agitatus ab illo calefactusque solutior: lunae [autem] inertior vis est ideoque facilius a circumposito aëre sustinetur. aequae sidera cetera infirma sunt nec perrumpere aëra vi sua possunt. excipitur itaque illorum imago et in materia solidiore ac minus cedente servatur.

debet enim aer non tam spissus esse, ut excludat ac submoveat a se lumen inmissum, nec tam tenuis ac solutus, ut nullam venientibus radiis moram praebeat. haec noctibus temperatura contingit, cum sidera circumiectum aëra luce levi non pugnaciter nec aspere feriunt spissiorremque, quam solet esse interdiu, inficiunt.

III. At contra arcus nocte non fit aut admodum raro, 1 quia luna non habet tantum virium, ut nubes transeat et illis colorem subfundat, qualem accipiunt sole perstrictae. sic enim formam arcus discoloris efficiunt, quia aliae partes in nubibus tumidiores sunt, aliae submissiores et quaedam crassiores, quam ut solem transmittant, aliae inbecilliores, quam ut excludant. haec inaequalitas alternis lucem umbramque permiscet et exprimit illam mirabilem arcus varietatem. Altera causa arcus eius- 2 modi redditur: videmus, cum fistula aliquo loco rupta est, aquam per tenue foramen elidi, quae sparsa contra solem oblique positum faciem arcus repraesentat. Idem videbis accidere, si quando volueris observare fullonem: cum os aqua inplevit et vestimenta tendiculis diducta leviter adspersit, adparet varios edi colores in illo aëre adperso, quales fulgere in arcu solent. Huius rei cau- 3 sam in humore esse ne dubitaveris. non fit enim unquam arcus nisi nubilo. sed quaeramus quemadmodum fiat. Quidam aiunt esse aliqua stillicidia, quae solem transmittant, quaedam magis coacta, quam ut transluceant: itaque ab illis fulgorem reddi, ab his umbram, et sic utriusque intercurso effici arcum, in quo pars fulgeat, quae solem recipit, pars obscurior sit, quae excludit et ex se umbram proximis facit. Hoc ita esse quidam ne- 4 gant. poterat enim videri verum, si arcus duos tantum haberet colores, si ex lumine umbraque constaret. sed nunc

*diversi niteant cum mille colores,*

*transitus ipse tamen spectantia lumina fallit:*

*usque adeo quod tangit idem est, tamen ultima distant.*

Videmus in eo aliquid flammæ, aliquid lutei, aliquid caerulei et alia in picturae modum subtilibus lineis ducta, ut,

ait poeta, [ut] an dissimiles colores sint, scire non possis, nisi cum primis extrema contuleris. nam commissura decipit: usque eo mira arte naturae quod a simillimo coepit, in dissimillimo desinit. quid ergo istic duo colores faciunt lucis atque umbrae, cum innumerabilium ratio  
5 reddenda sit? Quidam ita existimant arcum fieri: in ea parte, in qua iam pluit, singula stillicidia pluviae cadentis singula esse specula, a singulis ergo reddi imaginem solis. deinde multas imagines, immo innumerabiles et devexas et in praeceps euntes confundi. itaque et arcum  
6 esse multarum imaginum solis confusiones. Hoc sic colligunt: pelves, inquit, mille die sereno pone et omnes habebunt imagines solis. in singulis foliis dispone singulas guttas: singulae habebunt imaginem solis. at contra ingens stagnum non amplius habebit quam imaginem unam. quare? quia omnis circumscripta laeuitas et circumdata suis finibus speculum est. itaque piscinam ingentis magnitudinis divide: totidem illa habet imagines solis, quot lacus habuerit. relinque illam sicut est diffusa: semel tibi imaginem reddet. Nihil refert quam exiguus sit humor aut lacus. si determinatus est, speculum est. ergo stillicidia illa infinita, quae imber cadens defert, totidem specula sunt, totidem solis facies habent. hae contra intuenti perturbatae adparent nec dispiciuntur intervalla, quibus singulae distant, spatio prohibente discerni. Deinde pro singulis adparet una facies turbata ex omnibus.  
7 Aristoteles idem iudicat: „ab omni, inquit, laeuitate acies radios suos replicat. nihil autem laevius aqua et aëre. ergo etiam ab aëre spisso visus noster in nos redit. Ubi vero acies hebes et infirma est, quolibet aëris ictu deficiet. quidam hoc genere validitudinis laborant, ut ipsi sibi videantur occurrere, ut ubique imaginem suam cernant. quare? quia infirma vis oculorum non potest perrumpere ne sibi quidem proximum aëra, sed resistit.“  
8 Itaque quod in aliis efficit densus aer, in his facit omnis. satis enim valet qualiscumque ad inbecillam aciem repellendam. longe autem magis visum nostrum remittit aqua, quia crassior est et pervinci non potest, sed radios

luminum nostrorum moratur et eo unde exierint reflectit. ergo cum multa stillicidia sint, totidem specula sunt. sed quia parva sunt, solis colorem sine figura exprimunt. Deinde cum in stillicidiis innumerabilibus et sine intervallo cadentibus reddatur idem color, incipit facies esse non multarum imaginum et intermissarum, sed unius longae atque continuae. „Quomodo, inquis, tu mihi multa 9 milia imaginum istic esse dicis, ubi ego nullam video? et quare cum solis color unus sit, imaginum diversus est?“ Ut et haec, quae proposuisti, refellam et alia, quae non minus refellenda sunt, illud dicam oportet: nihil acie nostra fallacius non tantum in his, a quibus subtiliter pervidendis illam *locorum* diversitas submovet, sed etiam in his quoque, quae ad manum cernit: remus tenui aqua tegitur et fracti speciem reddit. poma per vitrum adspicientibus multo maiora sunt. columnarum intervalla porticus longior iungit. Ad ipsum solem rever- 10 tere: hunc quem [toto] terrarum orbe maiorem probat ratio, acies nostra sic contraxit, ut sapientes viri pedalem esse contenderent. quem velocissimum omnium scimus, nemo nostrum moveri videt, nec ire crederemus, nisi adpareret isse. mundum ipsum praecipiti velocitate labentem et ortus occasusque intra momentum temporis revolventem nemo nostrum sentit procedere: quid ergo miraris, si oculi nostri imbrium stillicidia non separant et ingenti spatio intuentibus minutarum imaginum discrimen interit? Illud dubium esse nulli potest, quin arcus 11 imago solis sit roseida et cava nube concepta. quod ex hoc tibi adpareat: numquam non adversa soli est, sublimis aut humilis, prout ille se submisit aut sustulit, in contrarium mota. illo enim descendente altior est, alto depressior. Saepe talis nubes a latere solis est nec arcum efficit, quia non ex recto imaginem trahit. Varietas 12 autem non ob aliam causam fit, quam quia pars coloris sole est sparsa, *pars* in nube illa. humor [autem] modo caeruleas lineas, modo virides, modo purpurae similes et luteas aut igneas ducit duobus coloribus hanc varietatem efficientibus, remisso et intento. sic enim et purpura

eodem conchylio non in unum modum exit. interest  
 quamdiu macerata sit, crassius medicamentum an aqua-  
 13tius traxerit, saepius mersa sit et excocta an semel tincta:  
 non est ergo mirum, si, cum duae res sint, sol et nubes,  
 id est corpus et speculum, tam multa genera colorum  
 exprimuntur, quam multis generibus possunt ista inci-  
 tati aut relanguescere. alius est enim color ex igneo  
 14lumine, alius ex obtunso et leniore. In aliis rebus vaga  
 inquisitio est, ubi non habemus, quod manu tenere pos-  
 sumus et late coniectura mittenda est: hic adparet duas  
 causas esse arcus, solem nubemque, quia nec sereno  
 umquam fit nec nubilo ita, ut sol lateat. ergo utique ex  
 his est, quorum sine altero non est.

1 IV. *Etiam*nunc illud accedit, quod aequè manifestum  
 est, speculi ratione imaginem reddi, quia nunquam nisi  
 e contrario redditur, id est, nisi ex altera parte stetit,  
 quod adparet, ex altera, quod ostendit. Rationes, quae  
 non persuadent sed cogunt, a geometris adferuntur, nec  
 dubium cuiquam relinquitur, quin arcus imago solis sit  
 male expressi ob vitium figuramque speculi: nos interim  
 temptemus alias probationes, quae de plano legi pos-  
 2sunt. Inter argumenta sic nascentis arcus pono, quod  
 celerrime nascitur. ingens enim variumque corpus intra  
 momentum subtexitur coelo et aequè celeriter aboletur.  
 nihil autem tam cito redditur quam a speculo imago. non  
 3enim facit quicquam, sed ostendit. Parianus Artemido-  
 rus adicit etiam, quale genus nubis esse debeat, quod  
 talem solis imaginem reddit. „Si speculum, inquit, fe-  
 ceris concavum, quod sit sectae pilae pars, si extra me-  
 dium constiteris, quicumque iuxta te steterint, inversi  
 4tibi videbuntur et propiores a te quam a speculo.“ „Idem,  
 inquit, evenit, cum rotundam et cavam nubem intuemur  
 a latere, ut solis imago a nube descendat propiorque no-  
 bis sit et in nos magis conversa. Color illi igneus a sole  
 est, caeruleus a nube, ceteri utriusque mixturae.“

1 V. Contra haec illa dicuntur. „De speculis duae opi-  
 niones sunt: alii enim in illis simulacra cerni putant, id

est corporum nostrorum figuras a nostris corporibus emissas ac separatas, alii non imagines in speculo, sed ipsa adspici corpora retorta oculorum acie et in se rursus reflexa. nunc nihil ad rem pertinet, quomodo videamus quodcumque videmus. Sed [quomodo] imago similis 2 reddi e speculo debet. quid autem est tam dissimile quam sol et arcus, in quo neque figura solis neque color neque magnitudo adparet? arcus longe amplior est longeque ea parte, qua fulget, rubicundior quam sol, ceteris vero coloribus diversus. Deinde cum velis speculum inesse 3 aëri, des oportet mihi [eamdem laevitatem corporis,] eamdem qualitatem, eundem nitorem. atqui nullae nubes habent similitudinem speculi: per medias saepe transimus nec in illis nos cernimus. qui montium summa conscendunt, spectant nubem nec tamen imaginem in illa suam adspiciunt. Singula stillicidia singula specula sunt. 4 concedo. sed illud nego, ex stillicidiis constare nubem. habet enim quaedam, ex quibus fieri stillicidia possint, non ipsa. ne aquam quidem habet nubes, sed materiam futurae aquae. Concedamus igitur et guttas innumera- 5 biles nubibus inesse et illas faciem reddere, non tamen unam omnes reddent, sed singulae singulas. deinde inter se specula coniunge: in unam imaginem non coibunt, sed quaeque particula in se rei similitudinem claudet. Sunt quaedam specula ex multis minutisque composita, quibus si unum ostenderis hominem, populus adparet unaquaque particula faciem suam exprimente. haec cum sint coniuncta et simul conlocata, nihilominus seducunt imagines suas et ex uno turbam efficiunt. ceterum catervam illam non confundunt, sed diremptam in facies singulas distrahunt: arcus autem uno circumscriptus est ductu, una totius est facies. „Quid ergo? inquit, non 6 et aqua rupta fistula sparsa et remo excussa habere quiddam simile his, quos videmus in arcu, coloribus solet?“ Verum est: sed non ex hac causa, ex qua tu videri vis, quia unaquaque stilla recipiat imaginem solis. citius enim cadunt stillae, quam ut concipere imaginem possint. standum est, quoad id, quod imitantur excipiant.

quid ergo fit? colorem, non imaginem ducunt: alioquin,  
— ut ait Nero Caesar disertissime,

*colla Cytheriacae splendent agitata columbae:*

et variis coloribus pavonum cervix, quotiens aliquo deflectitur, nitet: — numquid ergo dicemus specula eiusmodi plumas, quarum omnis inclinatio in colores novos  
7 transit? Non minus nubes diversam naturam speculis habent quam aves, quas retuli, et chamaeleontes et alia animalia, quorum color aut ex ipsis mutatur, cum ira vel cupidine incensa cutem suam variant humore subfuso, aut positione lucis, quam prout rectam vel obliquam  
8 ceperunt, ita colorantur. Quid enim simile speculis habent nubes, cum illa non perluceant, hae transmittant lucem? illa densa et coacta, hae raras sint? illa eiusdem materiae tota, hae diversis temere compositae et ob hoc discordes nec diu cohaesurae? Praeterea videmus ortu solis partem quamdam coeli rubere. videmus nubes aliquando ignei coloris. quid ergo prohibet, quomodo hunc unum colorem accipiunt solis occursu, sic multos ab illis trahi,  
9 quamvis non habeant speculi potentiam? Modo, inquit, inter argumenta ponebas semper arcum contra solem excitari, quia ne a speculo quidem imago redderetur nisi adverso. Hoc, inquit, commune nobis est. nam quemadmodum opponendum est speculo id, cuius in se imaginem transferat, sic, ut nubes infici possint, ita sol ad hoc apte ponendus est. non enim idem facit, si undique effulsit. et ad hoc opus est radiorum idoneus ictus.“

10 Haec dicuntur ab his, qui videri volunt nubem colorari. Posidonius et hi, qui speculari ratione talem effici iudicant visum, hoc respondent: „si ullus esset in arcu color, permaneret et viseretur eo manifestius, quo propius: nunc imago arcus, ex longinquo clara, interit,  
11 cum ex vicino ventum est.“ Huic contradictioni non consentio, cum ipsam sententiam probem. quare? dicam: quia coloratur quidem nubes, sed ita, ut color eius non undique adpareat. nam ne ipsa quidem undique adparet. nubem enim nemo, qui in ipsa est, videt. quid ergo mirum, si color eius non videtur ab eo, a quo ipsa non vi-



situr? atqui ipsa, quamvis non videatur, est: ergo et color. Ita est: [*non est*] argumentum falsi coloris, quod adparere accedentibus desinit. idem enim in ipsis eventibus nubibus, nec ideo falsae sunt, quia non videntur. Prae-<sup>12</sup> terea cum dicitur tibi, nubem sole esse suffectam, non dicitur tibi, colorem illum inustum esse velut duro corpori ac stabili ac manenti, sed ut fluido et vago et nihil amplius quam brevem speciem recipienti. Sunt etiam quidam colores, qui ex intervallo vim suam ostendunt: purpuram Tyriam, quo melior saturiorque, eo altius oportet teneas, ut fulgorem suum teneat. non tamen ideo non habet colorem illa, quia quae optimum habet, non quomodocumque explicatur ostendit. In eadem sententia<sup>13</sup> sum qua Posidonium, ut arcum iudicem fieri nube formata in modum concavi speculi et rotundi, cui forma sit partis e pila secta. hoc probari, nisi geometrae adiuverint, non potest, qui argumentis nihil dubii relinquentibus docent solis illam esse effigiem non similem. neque enim omnia<sup>14</sup> adversus specula respondent: sunt quae videre extimescas: deformitate tanta corruptam faciem visentium reddunt servata similitudine in peius. sunt quae cum videris, placere tibi vires tuae possint: in tantum lacerti crescunt et totius corporis supra humanam magnitudinem habitus augetur. sunt quae dexteris facies ostendant, sunt quae sinistras, sunt quae detorqueant et vertant. Quid ergo mirum est eiusmodi speculum in nube quoque fieri, quo solis species vitiosa reddatur?

VI. Inter cetera argumenta et hoc erit, quod numquam maior arcus dimidio circulo adparet et eo minor est, quo altior sol. Ut ait Vergilius noster:

*et bibit ingens*

*arcus,*

cum adventat imber: sed non easdem, undecumque adparuit, minas adfert: a meridie ortus magnam vim aquarum vehet. vinci enim non potuerunt valentissimo sole: tantum illis est virium. si circa occasum refulsit, rorabit et leviter inpluet. si ab ortu circave surrexit, serena promittunt. „Quare tamen, si imago solis est arcus, longe 2

ipso sole maior adparet?“ Quia est alicuius speculi natura talis, ut maiora multo quam videat ostendat et in portentosum augeat formas, alicuius talis invicem, ut  
 3 minuat. „Illud dic mihi, quare in orbem eat facies, nisi orbi redditur? dices enim fortasse, unde sit illi color varius: unde figura talis sit, non dices, nisi aliquod exemplar, ad quod formetur, ostenderis. nullum autem [aliud] quam solis est, a quo cum tu quoque fatearis illi colorem dari, sequitur, ut et detur forma. Denique inter me teque convenit colores illos, quibus regio coeli [de]pigitur, a sole esse: illud unum inter nos non convenit: tu dicis illum colorem esse, ego videri. qui sive est, sive videtur, a sole est: tu non expedies, quare color ille subito desinat, cum omnes fulgores paulatim discutian-  
 4 tur.“ Pro me est et repentina eius facies et repentinus interitus. proprium enim hoc speculi est, in quo non per partes struitur, quod adparet, sed statim totum fit. aequae cito omnis imago aboletur in illo, quam ponitur. nihil enim aliud ad ista efficienda vel removenda opus est quam ostendi et abduci. Non est propria in ista nube substantia nec corpus est, sed mendacium, sine re similitudo. Vis scire hoc ita esse? desinet arcus, si obtexeris solem. Oppone, inquam, soli alteram nubem: huius  
 5 varietas interibit. „At maior aliquanto est arcus quam sol.“ Dixi modo fieri specula, quae multiplicent omne corpus, quod imitantur. Illud adiciam, omnia per aquam videntibus longe esse maiora: literae quamvis minutae et obscurae per vitream pilam aqua plenam maiores clarioresque cernuntur. poma formosiora quam sunt videntur, si innatant vitro. sidera ampliora per nubem adspicienti videntur, quia acies nostra in humido labitur nec adprehendere, quod vult, fideliter potest. quod manifestum fiet, si poculum inpleveris aqua et in id conieceris anulum. nam cum in ipso fundo iaceat anulus, facies eius  
 6 in summa aqua redditur. Quicquid videtur per humorem, longe amplius vero est: quid mirum maiorem reddi imaginem solis, quae in nube humida visitur, cum ex duabus causis hoc accidat: quia in nube est aliquid vitro

simile, quod potest perlucere, est aliquid et aquae, quam etiamsi nondum habet, iam parat. id est: iam eius natura est, in quam ex sua vertatur.

VII. „Quoniam, inquis, vitri fecisti mentionem, ex 1 [hoc] ipso contra te argumentum sumam. Virgula solet fieri vitrea, striata vel pluribus angulis in modum clavae torosa: haec si in transversum solem accipit, colorem talem, qualis in arcu videri solet, reddit, ut scias non imaginem hic solis esse, sed coloris imitationem ex percussu.“ Primum in hoc argumento multa pro me sunt: 2 quod adparet a sole fieri. quod adparet laeve quiddam esse debere, simile speculo, quod solem repercutiat. deinde quod adparet non fieri ullum colorem, sed speciem falsi coloris, qualem, ut dixi, columbarum cervix et sumit et ponit, ubicumque deflectitur. hoc autem et in speculo est, cui nullus inditur color, sed simulatio quaedam coloris alieni. Unum hoc tantum solvendum mihi 3 est, quod non visitur in ista virgula solis imago, cuius bene exprimendae capax non est. ista conatur quidem reddere imaginem, quia laevis est materia et ad hoc habilis, sed non potest, quia enormiter facta est. si apte fabricata foret, totidem redderet soles, quot habuisset *inseptiones*. quae quia discernuntur inter se, nec satis in vicem speculi nitent, inchoant tantum imagines nec exprimunt et ob ipsam viciniam turbant et in speciem coloris unius adducunt.

VIII. „At quare arcus non inplet orbem, sed pars 1 dimidia eius videtur, cum plurimum porrigitur incurvaturque?“ Quidam ita opinantur: sol, cum sit multo altior nubibus, a superiore illas tantum percutit parte. sequitur, ut inferior pars earum non tangatur lumine: ergo cum ab una parte solem accipiant, unam eius partem imitantur, quae numquam dimidia maior est. Hoc argumen- 2 tum parum potens est. quare? quia, quamvis ex superiore parte sol sit, totam tamen percutit nubem. ergo et tingit. quidni? cum radios transmittere soleat et omnem densitatem perrumpere. Deinde contrariam rem proposito suo dicunt. nam si superior est sol et ideo superiori

- tantum parti nubium adfunditur, numquam terra tenuis  
 3 descendet arcus: atqui usque in humum dimittitur. Prae-  
 terea numquam non contra solem arcus est. nihil autem  
 ad rem pertinet, supra infrave sit, quia totum, quod con-  
 tra est, latus verberatur. Deinde aliquando arcum et oc-  
 cidens facit. tunc certe ex inferiori parte nubes ferit ter-  
 ris propinquus: atqui et tunc dimidia pars est, quamvis  
 4 solem nubes ex humili et sordido accipiant. Nostri, qui  
 sic in nube, quomodo in speculo lumen volunt reddi,  
 nubem cavam faciunt et sectae pilae partem, quae non  
 potest totum orbem reddere, quia ipsa pars orbis est.  
 Proposito accedo, argumento non consentio. nam si in  
 concavo speculo tota facies oppositi orbis exprimitur, et  
 5 in semiorbe nihil prohibet totam adspici pilam. „Etiam-  
 nunc diximus circulos adparere soli lunaeque in similitu-  
 dinem arcus circumdatos: quare ille circulus iungitur, et  
 in arcu numquam? deinde quare semper concavae nubes  
 solem accipiunt, non aliquando planae et tumentes?“\*\*\*
- 6 Aristoteles ait post autumnale aequinoctium qualibet  
 hora diei arcum fieri, aestate non fieri nisi aut incipiente  
 aut inclinato die. cuius rei causa manifesta est: primum,  
 quia media diei parte sol calidissimus nubes evincit, nec  
 potest imaginem suam ab his recipere, quas scindit. at  
 matutino tempore aut vergens in occasum minus virium  
 7 habet, ideo a nubibus sustineri et reperi potest. De-  
 inde cum arcum facere non soleat nisi adversus his, in  
 quibus facit, nubibus, cum breviores dies sunt, semper  
 obliquus est. itaque qualibet diei parte, etiam cum altis-  
 simus est, habet aliquas nubes, quas ex adverso ferire  
 possit. at temporibus aestivis supra nostrum verticem  
 fertur ideoque medio die excelsissimus terras rectiore  
 adspicit linea, quam ut ullis nubibus possit occurri:  
 omnes enim sub se tunc habet.
- 1 IX. Nunc de virgis dicendum est, quas non  
 minus pictas variasque et aequae pluviarum signa solemus  
 accipere. in quibus non multum operae consumendum  
 est, quia virgae nihil aliud sunt quam imperfecti arcus.  
 nam facies illis quidem est picta, sed nihil curvati habent:

in rectum iacent. Fiunt autem iuxta solem fere in nube 2  
humida et iam se spargente. itaque idem est in illis, qui  
in arcu color, tantum figura mutatur, quia nubium quo-  
que, in quibus extenduntur, alia est.

X. Similis varietas in coronis est, sed hoc differunt,  
quod coronae ubique fiunt, ubicumque sidus est, arcus  
non nisi contra solem, virgae non nisi in vicinia solis.  
Possum et hoc modo differentiam omnium reddere: cor-  
nam si divideris, arcus erit, si direxeris, virga. in omni-  
bus color multiplex est, ex caeruleo fulvoque varius.  
virgae soli tantum adiacent, arcus solares lunaresque  
sunt, coronae omnium siderum.

XI. Aliud quoque virgarum genus adparet, 1  
cum radii per angusta foramina nubium tenues et intenti  
distantesque inter se diriguntur. et ipsi signa imbrum  
sunt. Quomodo nunc me hoc loco geram? quid [eas] vo-  
cem? imagines solis? Historici soles vocant et binos 2  
ternosque adparuisse memoriae tradunt. Graeci parhe-  
lia adpellant, quia in propinquo fere a sole visuntur,  
aut quia accedunt ad aliquam similitudinem solis: non  
enim totum imitantur, sed imaginem eius figuramque.  
ceterum nihil habent ardoris, hebetes ac languidi. His  
quod nomen inponimus? an facio quod Vergilius, qui  
dubitavit de nomine, deinde id, de quo dubitarat, pro-  
posuit?

*et quo te nomine dicam,*

*Rhaetica? nec cellis ideo contende Falernis.*

nihil ergo prohibet illas parhelia vocari. Sunt autem 3  
imagines solis in nube spissa et vicina in modum speculi.  
quidam parhelion ita definiunt: nubes rotunda et splen-  
dida similisque soli. sequitur enim illum nec unquam lon-  
gius relinquitur quam fuit, cum adparuit. Numquis no-  
strum miratur, si solis effigiem in aliquo fonte aut placido  
lacu vidit? non, ut puto. atqui tam in sublimi facies eius  
quam inter nos potest reddi, si modo idonea est materia,  
quae reddat.

XII. Quotiens defectionem solis volumus deprehen- 1  
dere, ponimus pelves, quas aut oleo aut pice inplemus,

quia pinguis humor minus facile turbatur et ideo quas recipit imagines servat. adparere autem imagines non possunt nisi in liquido et inmoto: tunc solemus notare, quemadmodum luna soli se opponat et illum tanto maiorem subiecto corpore abscondat, modo ex parte, si ita contigit ut latus incurreret, modo totum. Haec dicitur perfecta defectio, quae stellas quoque ostendit et interceptum lucem, tunc scilicet, cum uterque orbis sub eodem  
 2 libramento stetit. Quemadmodum ergo utriusque imago in terris adspici potest, ita in aëre, cum sic coactus aer et limpidus constitit, ut faciem solis acciperet, quam et aliae nubes accipiunt, sed transmittunt, si aut mobiles sunt aut raras aut sordidae: mobiles enim spargunt illam, raras emittunt, sordidae turpesque non sentiunt, sicut apud nos imaginem maculosa non reddunt.

1 XIII. Solent et bina fieri parhelia eadem ratione. quid enim impedit, quo minus tot sint, quot nubes fuerint aptae ad exhibendam solis effigiem? Quidam in illa sententia sunt, quotiens duo simulacra talia existant, ut iudicent unum esse solis, alterum imaginis. nam apud nos quoque cum plura specula disposita sunt ita, ut alteri sit conspectus alterius, omnia implentur et una imago vera est, ceterae imaginum effigies sunt. nihil enim refert, quid sit, quod speculo ostendatur: quicquid enim videt, reddit. Ita illic quoque in sublimi, si nubes fors aliqua disposuit, ut inter se conspiciant, altera nubes  
 2 solis imaginem, altera imaginis reddit. Debent autem hae nubes, quae hoc praestant, densae esse, laeves, splendidae, plane naturae solis. ob hoc omnia huiusmodi simulacra candida sunt et similia lunaribus circulis, quia ex percussu oblique accepto sole resplendent: nam si infra solem nubes fuerit et propior, ab eo dissipatur. longe autem posita radios non remittit nec imaginem efficit, quia apud nos quoque specula, cum a nobis procul abducta sunt, faciem non reddunt, quia acies nostra non  
 3 habet usque ad nos recursum. Pluviarum autem et hi soles, utar enim historica lingua, indicia sunt. utique si a parte austri constituerunt, nubes inde maxime ingrave-

scent: cum utrimque solem cinxit talis effigies, si Arato credimus, tempestas surgit.

XIV. Tempus est alios quoque ignes per-  
currere, quorum diversae figurae sunt: ali-  
quando emicat stella, aliquando ardores sunt, aliquando  
fixi et haerentes, nonnumquam volubiles. Horum plura  
genera conspiciuntur: sunt *βόθρυνοι*, cum velut corona  
cingente introrsus ingens coeli recessus est similis effos-  
sae in orbem speluncae. Sunt pithiae [cum] magni-  
tudine vasti rotundique ignis dolio similis, qui vel fertur  
vel in uno loco flagrat. Sunt chasmata, cum aliquod  
coeli spatium desedit et flammam velut debiscens in ab-  
dito ostentat. Colores quoque horum omnium plurimi  
sunt: quidam ruboris acerrimi, quidam evanidae ac le-  
vis flammae, quidam candidae lucis, quidam micantes,  
quidam aequaliter et sine eruptionibus aut radiis fulvi.  
Videmus ergo

*stellarum longos a tergo albescere tractus.*

Hae velut stellae exsiliunt et transvolant videnturque  
longum ignem porrigere propter immensam celeritatem,  
cum acies nostra non discernat transitum earum, sed  
quacumque occurrerunt, id totum igneum credat.  
tanta enim est velocitas motus, ut partes eius non dispi-  
ciantur, sed tantum summa prendatur. intellegimus ma-  
gis, qua *adpareat* stella quam qua exeat. Itaque velut igne  
continuo totum iter signat, quia visus nostri tarditas non  
subsequitur momenta currentis, sed videt simul et unde  
exsilierit et quo pervenerit. quod fit in fulmine: longus  
nobis videtur ignis eius, quia cito spatium suum trans-  
silit et oculis nostris occurrit universum, per quod deie-  
ctus est: at ille non est extenti corporis per omne, qua ve-  
nit. neque tam longa et extenuata in inpetum valent. Quo-  
modo ergo prosiliunt? adritu aëris ignis incensus vento  
praeceps impellitur. non semper tamen vento adrituve  
fit: nonnumquam ex aliqua opportunitate aëris nascitur.  
multa enim sunt in sublimi sicca, calida, terrena, inter  
quae oritur et pabulum suum subsequens defluit ideoque  
velociter rapitur. „At quare color diversus est?“ quia

refert, quale sit id, quod incenditur, et quam vehemens, quo incenditur. Ventum autem significat eiusmodi lapsus et quidem ab ea parte, qua erumpit.

- 1 XV. „Fulgores, inquit, quomodo fiunt, quos Graeci sela adpellant?“ Multis, ut aiunt, modis: potest illos ventorum vis edere, potest superioris coeli fervor. nam cum late fusus sit ignis, inferiora aliquando, si accendi sunt idonea, corripit. potest stellarum motus cursu suo excitare ignem et in subiecta transmittere. quid porro? non potest fieri, ut aer vim igneam usque in aethera elidat, ex qua fulgor ardorve sit vel stellae similis excursus?
- 2 Ex his fulgoribus quaedam praeceps eunt, similia prosilientibus stellis. quaedam certo loco permanent et tantum lucis emittunt, ut fugent tenebras et diem repraesentent, donec consumpto alimento primum obscuriora sint, deinde flammae modo, quae in se cadit, per adsiduam diminutionem redigantur in nihilum. Ex his quaedam in nubibus adparent, quaedam supra nubes, cum aer spissus ignem, quem propior terris diu paverat, usque in sidera expressit.
- 3 Horum aliqua non patiuntur moram, sed transcurrunt aut exstinguuntur subinde, qua reluxerant. Haec fulgores dicuntur, quia brevis facies illorum et caduca est nec sine iniuria decidens. saepe enim fulminum noxas ediderunt. ab his tecta nos vidimus icta
- 4 sine fulmine, quae asteroplecta Graeci vocant. At quibus longior mora et fortior ignis est motumque coeli sequens, aut qui proprios cursus agunt, cometas nostri putant, de quibus dicendum est. Horum genera sunt pogoniae, lampades et cyparissiae et alia omnia, quorum ignis in exitu sparsus est. Dubium, an inter hos ponantur trabes et pithiae, quae raro sunt visa. multa enim conglobatione ignium indigent, cum ingens illorum orbis aliquantum matutini amplitudinem solis exsuperet.
- 5 Inter haec ponas licet et quod frequenter in historiis legimus coelum ardere visum, cuius nonnumquam tam sublimis ardor est, ut inter ipsa sidera videatur, nonnumquam tam humilis, ut speciem longinqui incendii praebeat. Sub Tiberio Caesare cohortes



in auxilium Ostiensis coloniae cucurrerunt tamquam conflagrantis, cum coeli ardor fuisset per magnam partem noctis parum lucidus crassi fumidique ignis. De his nemo 6 dubitat, quin habeant flammam, quam ostendunt. certa illis substantia est: de prioribus quaeritur, de arcu dico et coronis, an decipiant aciem et mendacio constant, an *in* illis quoque verum sit, quod adparet. Nobis non pla- 7 cet in arcu aut coronis subesse aliquid corporis certi: nihil enim iudicamus in speculis nisi fallaciam esse nihil aliud quam alienum corpus mentientibus. non enim est in speculo, quod ostenditur. alioquin non exiret nec alia protinus imagine obduceretur, nec innumerabiles modo interirent, modo exciperentur formae. Quid ergo? simu- 8 lacra ista sunt et inanis verorum corporum imitatio [suntque ipsa a quibusdam ita composita, ut haec possent et detorquere]\*\* in pravum. Nam, ut dixi, sunt specula, quae faciem prospicientium obliquent, sunt quae in infinitum augeant ita, ut humanum habitum modumque excedant nostrorum corporum.

XVI. Hoc loco volo tibi narrare fabellam, ut intellegas, 1 quam nullum instrumentum inritandae voluptatis libido contemnat et ingeniosa sit ad incitandum furorem suum. Hostius fuit Quadra, obscoenitatis in scenam usque productae. hunc divitem avarum, sestertii milies servum, divus Augustus indignum vindicta iudicavit, cum a servis occisus esset, et tantum non pronuntiavit iure caesum videri. Non erat ille ab uno tantummodo sexu inpu- 2 rus, sed tam virorum quam feminarum avidus [fuit], fecitque specula eius notae, cuius modo retuli, imagines maiores reddentia, in quibus digitus brachii mensuram et crassitudinem excederet. haec autem ita disponebat, ut cum virum ipse pateretur, aversus omnes admissarii sui motus in speculo ipse videret ac deinde falsa magnitudine ipsius membri tamquam vera gaudebat. In omnibus qui- 3 dem balneis agebat ille delectum et aperta mensura legebat viros, sed nihilominus mendaciis quoque insatiabile malum oblectabat: i nunc et die speculum munditiarum causa repertum. Foeda dictu sunt, quae portentum illud

ore suo lancinandum dixerit feceritque, cum illi specula ab omni parte opponerentur, ut ipse flagitiorum suorum spectator esset et quae secreta quoque conscientiam premunt et quae [alii] aequae ac sibi quisque fecisse se 4 negat, non in os tantum, sed in oculos suos ingereret. At hercule scelera conspectum sui reformidant. in perditis quoque et ad omne dedecus expositis tenerrima est oculorum verecundia: ille [autem], quasi parum esset inaudita et incognita pati, oculos suos ad illa advocavit nec quantum peccabat videre contentus, specula sibi, per quae flagitia sua divideret disponderetque, circumdedit. et quia non tam diligenter intueri poterat, cum caput merserat inguinibusque alienis obhaeserat, opus sibi suum 5 per imagines offerebat. Spectabat illam libidinem oris sui, spectabat admissos sibi pariter in omnia viros. nonnumquam inter marem et feminam distributus et toto corpore patientiae expositus spectabat nefanda: quidnam homo impurus reliquit, quod in tenebris faceret? non pertimuit diem, sed ipsos concubitus portentosos sibi ipse ostendit, sibi ipse adprobavit. quem num putes in ipso 6 habitu pingi voluisse? Est aliqua etiam prostituta modestia et illa corpora publico obiecta ludibrio aliquid, quo infelix patientia lateat, obtendunt: adeo in quaedam lupanar quoque verecundum est: at illud monstrum obscenitatem suam spectaculum fecerat et ea sibi ostenta- 7 bat, quibus abscondendis nulla satis alta nox est. „Simul, inquit, et virum et feminam patior: nihilominus illa quoque supervacua mihi parte alicuius contumeliam maris exerceo. Omnia membra stupris occupata sunt: oculi quoque in partem libidinis veniant et testes eius exactoresque sint: etiam ea, quae a conspectu corporis nostri positio submovit, arte visantur, ne quis me putet nescire, 8 quid faciam. Nihil egit natura, quod humanae libidini ministeria tam maligna dedit, quod aliorum animalium concubitus melius instruxit: inveniam, quemadmodum morbo meo et inponam et satisfaciam. quo nequitiam meam, si ad naturae modum pecco? id genus speculorum circumponam mihi, quod incredibili magnitudine imaginem red-

dat. Si liceret mihi, ad verum ista perducerem: quia non 9  
licet, mendacio pascar. obscœnitas mea plus quam capit  
videat et patientiam suam ipsa miretur.“ Facinus indi-  
gnum. hic fortasse cito et antequam videret occisus est:  
ad speculum suum inmolandus fuit.

XVII. Derideantur nunc philosophi, quod de speculi 1  
natura disserant, quod inquirent, quid ita faciēs nostra  
nobis et quidem in nos obversa reddatur, quid sibi re-  
rum natura voluerit, quod, cum vera corpora edidisset,  
etiam simulacra eorum adspici voluit. Quorsus pertinuit 2  
hanc comparare materiam excipiendarum imaginum po-  
tentem? non in hoc scilicet, ut ad speculum barbam velle-  
remus aut ut faciem viri poliremus. In nulla re illa ne-  
gotium luxuriæ concessit: sed primum omnium, quia in-  
becilli oculi ad sustinendum cominus solem ignoraturi  
erant formam eius, hebetato illum lumine ostendit. quam-  
vis enim orientem occidentemque eum contemplari liceat,  
tamen habitum ipsum, qui verus est, non rubentis, sed  
candida luce fulgentis nesciremus, nisi in aliquo nobis  
humore lenior et adspici facilior occurreret. Praeterea 3  
duorum siderum occursum, quo interpellari dies solet,  
non videremus nec scire possemus, quid esset, nisi libe-  
rius humi solis lunaeque imagines videremus. Inventa 4  
sunt specula, ut homo ipse se nosset. multa ex hoc con-  
sequuntur: primum sui notitiam, deinde ad quaedam con-  
siliium: formosus, ut vitaret infamiam, deformis, ut sciret  
redimendum esse virtutibus quicquid corpori deesset, iu-  
venis, ut flore aetatis admoneretur illud tempus esse di-  
scendi et fortia audendi, senex, ut indecora canis depo-  
neret, ut de morte aliquid cogitaret: ad hoc rerum na-  
tura facultatem nobis dedit nosmetipsos videndi. Fons 5  
cuique perlucidus aut laeve saxum imaginem reddit:

*nuper me in litore vidi,*

*cum placidum ventis staret mare.*

Qualem fuisse cultum putas ad hoc se speculum comen-  
tium? aetas illa simplicior et fortuitis contenta nondum  
in vitium beneficium detorquebat nec inventum naturae  
in libidinem luxumque rapiebat. Primo faciem suam cui- 6

que casus ostendit. deinde cum blandus sui mortalibus amor dulcem adspectum formae suae faceret, saepius ea respexere, in quibus prius effigies suas viderant. Postquam deterior populus ipsas subiit terras effossurus obruenda, ferrum primum in usu fuit (et id inpune homines eruerant, si solum eruissent) tunc demum alia terrae mala, quorum laeuitas aliud agentibus speciem suam obtulit, quam hic in poculo, ille in aere ad alios usus comparato vidit. et mox proprie huic ministerio praeparatus est orbis, nondum argentei nitoris fragilis vilisque materia.

7 Tunc quoque, cum antiqui illi viri incondite viverent, satis nitidi, si squalorem opere collectum adverso flumine eluerant, cura comere capillum fuit ac prominentem barbam depectere: et in hac re quisque sibi, alteri in vicem operam dabat. [ne] coniugum quidem manu crinis ille, quem effundere olim mos viris fuit, adtrectabatur, sed illum sibi ipsi sine ullo artifice formosi quatiebant, non aliter quam iubam generosa animalia. Postea iam rerum

8 potiente luxuria specula totis paria corporibus auro argentoque caelata sunt, gemmis deinde adornata et pluris unum ex his feminae constitit, quam antiquarum dos fuit [non] illa, quae publice dabatur imperatorum pauperum liberis. An tu existimas auro inditum habuisse Scipionis

9 filias speculum, cum illis dos fuisset aes grave? O felix paupertas, quae tanto titulo locum fecit! Non fecisset illis senatus dotem, si habuissent. at quisquis ille erat, cui soceri loco senatus fuit, intellexit accepisse se dotem, quam fas non esset reddere: iam libertinorum virgunculis in unum speculum non sufficit illa dos, quam dedit

10 senatus pro *Scipione*. processit enim paulatim in deterius opibus ipsis invitata luxuria et incrementum ingens vitia ceperunt, adeoque omnia indiscreta sunt diversissimis artibus, ut quicquid mundus muliebris vocabatur, sarcinae viriles sint: minus dico, etiam militares. Iam speculum ornatus tantum causa adhibetur? nulli non vitio necessarium factum est.

# L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

## NATURALIUM QUAESTIONUM

### LIBER II.

---

I. Omnis de universo quaestio in coelestia, sublimia, 1  
terrena dividitur. Prima pars naturam siderum scrutatur  
et magnitudinem et formam ignium, quibus mundus inclu-  
ditur, solidumne sit coelum ac firmae concretaeque ma-  
teriae an ex subtili tenuique nexum, agatur an agat, et  
infra sese sidera habeat an in contextu sui fixa, quemad-  
modum anni vices servet, solem retro flectat, cetera dein-  
ceps similia. Secunda pars tractat inter coelum terram- 2  
que versantia. hic sunt nubila, imbres, nives [*terrae mo-  
tus, fulgores*]

*et humanas motura tonitrua mentes,*

quaecumque aer facit patiturve. haec sublimia dicimus,  
quia editiora imis sunt. Tertia illa pars de aquis, terris,  
arbustis, satis quaerit et, ut iurisconsultorum verbo utar,  
de omnibus, quae solo continentur. „Quomodo, in- 3  
quis, de terrarum motu quaestionem eo posuisti loco,  
quo de tonitribus fulgoribusque dicturus es?“ quia cum  
motus terrae spiritu fiant, spiritus autem aer sit agitatus,  
etiamsi subit terras, non ibi spectandus est: cogitetur in  
ea sede, in qua illum natura disposuit. Dicam, quod ma- 4  
gis mirum videbitur: inter coelestia et de terra dicendum  
erit. „Quare?“ inquis. quia cum propria terrae ipsius  
excutimus suo loco, utrum lata sit et inaequalis et enor-  
miter proiecta an tota in formam pilae spectet et in or-  
bem partes suas cogat, adliget aquas an aquis adligetur,  
ipsa animal sit an corpus iners et sine sensu, plenum qui-  
dem spiritus, sed alieni, et cetera huiusmodi, quotiens in  
manus venerint, terram sequuntur et in imis conlocabun-

- 5 tur: at ubi quaeretur, quis terrae situs sit, qua parte mundi consederit, quomodo adversus sidera coelumque posita sit, haec quaestio cedet superioribus et, ut ita dicam, meliorem condicionem sequetur.
- 1 II. Quoniam dixi de partibus, in quas omnis rerum naturae materia dividitur, quaedam in commune dicenda sunt et hoc primum praesumendum, inter ea corpora, [a] quibus unitas est, aëra esse.
- 2 Quid sit hoc, quare praecipendum fuerit, scies, si paulo altius repetiero et dixero esse aliquid continuum, aliquid commissum. continuatio est partium inter se non intermissa coniunctio. unitas est sine commissura continuatio, et [*commissura est*] duorum inter se coniunctorum
- 3 corporum tactus. Numquid dubium est, quin ex his corporibus, quae videmus tractamusque, quae aut sentiuntur aut sentiunt, quaedam sint [*composita, quaedam non*] composita? illa constant aut nexu aut acervatione, ut puta funis, frumentum, [*navis*]. rursus non composita, ut arbor, lapis. Ergo concedas oportet, ex his quoque, quae sensum quidem effugiunt, ceterum ratione prenduntur, esse in quibusdam unitatem corporum. Vide quomodo auribus tuis parcam: expedire me poteram, si philosophorum lingua uti voluissem, ut dicerem unita corpora. hoc cum tibi remittam, tu invicem [*mih*] refer gratiam. Quare istud? si quando dixero unum, memineris me non ad numerum referre, sed ad naturam corporis nulla ope externa, sed unitate sua cohaerentis. Ex hac nota corporum aer est.
- 1 III. Omnia quae in notitiam nostram cadunt aut cadere possunt, mundus complectitur. ex his quaedam eius partes sunt, quaedam materiae loco relicta. desiderat enim omnis natura materiam, sicut ars omnis, quae manu
- 2 constat. Quid sit hoc, apertius faciam. Pars est nostri oculus, manus, ossa, nervi: materia succus recentis cibi iturus in partes. rursus quasi pars est sanguis nostri: et tamen est materia. praeparat enim et alia et nihilominus eorum est, quibus totum corpus efficitur.
- 1 IV. Sic mundi pars est aer [*et*] quidem necessaria.

hic est enim, qui coelum terramque connectit, qui ima ac summa sic separat, ut iungat. separat, quia medius intervenit. iungit, quia utrique per hoc inter se consensus est. supra se dat, quicquid accepit a terris. rursus vim siderum in terrena transfundit. Quasi partem mundi <sup>2</sup> voco ut animalia, arbusta. nam genus animalium arborumque pars universi est, quia in consummationem totius adsumptum et quia non est sine hoc universum. unum autem animal et una arbor quasi pars est, quia quamvis perierit, tamen id, ex quo perit, totum est. Aer autem, ut dicebam, et coelo et terris cohaeret: utrique innatus est. habet autem unitatem quicquid alicuius rei nativa pars est. nihil enim nascitur sine unitate.

V. Terra et pars est mundi et materia. Pars quare <sup>1</sup> sit, non puto te interrogaturum, aut aequae interrogas, quare coelum pars sit, quia scilicet non magis sine hoc quam sine illa universum potest esse, quod cum his universum est, ex quibus [*tam*]quam ex hac, alimenta omnibus animalibus, omnibus satis, omnibus stellis dividuntur. hinc viritim singulis, hinc ipsi mundo tam multa <sup>2</sup> potescenti subministratur, hinc profertur, quo sustineantur tot sidera tam exercitata, tam avida per diem noctemque ut in opere ita [et] in pastu. [et] omnium quidem rerum natura quantum in nutrimentum sui satis sit, adprendit. mundus autem, quantum in aeternum desiderabat, invasit. Pusillum tibi exemplum magnae rei ponam: ova tantum complectuntur humoris, quantum ad effectum animalis exituri satis est.

VI. Aer continuus terrae est et sic adpositus, ut statim ibi futurus sit, unde illa discesserit. pars totius est mundi, sed tamen, quicquid terra in alimentum coelestium misit, recipit, ut scilicet materia, non pars intellegi debeat. ex hoc omnis inconstantia eius tumultusque est. Hunc quidam ex distantibus corpuseculis ut pulverem <sup>2</sup> struunt plurimumque a vero recedunt. numquam enim nisi contexti per unitatem corporis *n*isus est, cum partes consentire ad intentionem debeant et conferre vires. aer autem, si in atomos inciditur, sparsus est. teneri vero

3 disiecta non possunt. Intentionem aëris ostendent tibi inflata nec ad ictum cedentia. ostendant pondera per magnum spatium ablata gestante vento. ostendunt voces, quae remissae claraeque sunt, prout aer se concitavit. quid enim est vox nisi intentio aëris, ut audiatur, linguae  
 4 formata percussu? quid cursus et motus omnis, nonne intenti spiritus opera sunt? hic facit vim nervis, velocitatem currentibus. hic cum vehementer concitatus ipse se torsit, arbusta silvasque convulsit et aedificia tota corripiens in alto frangit. hic mare per se languidum et ia-  
 5 cens incitat. Ad minora veniamus: quis sine intentione spiritus cantus est? cornua et tubae et quae aquarum pressura maiorem sonitum formant quam qui ore reddi potest, nonne aëris intentione partes suas explicant? Consideremus quae ingentem vim per occultum agunt: parvula admodum semina et quorum exilitas in commissura lapidum locum invenit, in tantum convalescunt, ut ingentia saxa deturbent et monumenta dissolvant. scopulos interim rupesque radices minutissimae ac tenuissimae findunt: hoc quid est aliud quam intentio spiritus, sine  
 6 qua nihil validum est? Esse autem unitatem in aëre vel ex hoc intellegi potest, quod corpora nostra inter se cohaerent. quid enim est aliud, quod teneret illa quam spiritus? quid est aliud, quo animus noster agitetur? quis est illi motus nisi intentio? quae intentio nisi ex unitate? quae unitas, nisi haec esset in aëre? quid autem aliud producit fruges et segetem inbecillem ac virentes exigit arbores ac distendit in ramos [aut in altum erigit] quam spiritus intentio et unitas?

1 VII. Quidam aëra discerpunt et in particulas diducunt, ita ut illi inane permisceant. argumentum autem existimant non pleni corporis, sed multum vacui habentis, quod avibus in illo tam facilis motus, quod maximis  
 2 minimisque per illum transcursus est. Sed falluntur. nam aquarum quoque similis facilitas est, nec de unitate illarum dubium est, quae sic corpora accipiunt, ut semper in contrarium acceptis refluant. Hanc nostri circumstantiam, Graeci *ἀντιπερίστασιν* adpellant, quae in aëre



quoque sicut in aqua fit. circumssistit enim omne corpus, a quo inpellitur: nihil ergo opus erit admixto inani.

VIII. Sed haec alias. esse quaedam in rerum natura vehementia magnique inpetus nunc sic colligendum: nihil nisi intentione vehementius est, tam mehercule quam nihil intendi ab alio poterit, nisi aliquid per semet fuerit intentum. dicimus enim eodem modo non posse quicquam ab alio moveri, nisi aliquid fuerit mobile ex semet. quid autem est, quod magis credatur ex se ipso habere intentionem quam spiritus? Hunc intendi quis negabit, cum viderit iactari terram cum montibus, tecta murosque, magnas cum populis urbes, cum totis maria litoribus?

IX. Ostendit intentionem spiritus velocitas eius et diductio. Oculi statim per multa milia aciem suam mittunt. vox una totas urbes simul perentit. Lumen non paulatim prorpit, sed semel universis rebus infunditur. Aqua autem quemadmodum sine spiritu posset intendi? numquid dubitas, quin sparsio illa, quae ex fundamentis mediae arenae crescens in summum usque amphitheatri pervenit, cum intentione aquae fiat? atqui nec manus nec ullum aliud tormentum aquam potest mittere aut agere quam spiritus. huic se commodat, hoc adtollitur inserto et cogente, contra naturam suam multa conatur et adscendit, nata defluere. Quid? navigia sarcina depressa parum ostendunt non aquam sibi resistere, quo minus mergantur, sed spiritum? aqua enim cederet nec posset pondera sustinere, nisi ipsa sustineretur. Discus ex loco superiore in piscinam missus non descendit, sed resilit: quemadmodum, nisi spiritu referente? Vox autem quare ratione per parietum munimenta transmittitur, nisi quod solido quoque aer inest, qui sonum extrinsecus missum et accipit et remittit? scilicet spiritu non aperta tantum intendens, sed etiam abdita et inclusa, quod illi facere expeditum est, quia nusquam divisus est, sed per illa ipsa, quibus separari videtur, coit secum. interponas licet muros et mediam altitudinem montium: per omnia ista prohibetur nobis esse pervius, non sibi. id enim intercluditur tantum, per quod illum nos sequi possumus:

ipse quidem per ipsum transit, quo scinditur, et media non circumfundit tantum et utrimque cingit, sed permeat.

- 1 X. Ab aethere lucidissimo aer in terram usque diffusus est, agilior quidem tenuiorque et altior terris nec minus aquis, ceterum aethere spissior graviorque, frigidus per se et obscurus. lumen illi calorque aliunde sunt, sed non per omne spatium sui similis est: mutatur a  
 2 proximis. Summa pars eius siccissima calidissimaque et ob hoc etiam tenuissima est propter viciniam aeternorum ignium et illos tot motus siderum adsiduamque coeli circumactum. illa pars ina et vicina terris densa et caliginosa est, quia terrenas exhalationes receptat. media pars temperatior, si summis imisque conferas, quantum ad siccitatem tenuitatemque pertineat, ceterum utraque  
 3 parte frigidior. nam superiora eius calorem vicinorum siderum sentiunt. inferiora quoque tepent, primum terrarum halitu, qui multum secum calidi adfert, deinde quia radii solis replicantur et quousque redire potuerunt, id duplicato calore benignius fovent. deinde etiam illo spiritu, qui omnibus animalibus arbustisque ac satis calidus  
 4 est. nihil enim viveret sine calore. adice nunc ignes, non tantum manu factos et certos, sed opertos terris, quorum aliqui eruperunt, innumerabiles ex obscuro et condito flagrant semper. hae tot partes eius, fertiles rerum, habent aliquid teporis, quoniam quidem sterile frigus est, calor gignit. Media ergo pars aëris ab his submota in frigore suo manet. natura enim aëris gelida est.

- 1 XI. Qui cum sic divisus sit, *ima* sui parte maxime varius et inconstans et mutabilis est. circa terras plurimum audet, plurimum patitur, exagitat et exagitur: nec tamen eodem modo totus adficitur, sed aliter alibi,  
 2 et partibus inquietus ac turbidus est. Causas autem illi mutationis et inconstantiae alias terra praebet, cuius positiones aut huc aut illo versae magna ad aëris temperiem momenta sunt, alias siderum cursus, ex quibus soli plurimum imputes: illum sequitur annus, ad illius flexum hiemes aestatesque vertuntur. lunae proximum ius est. sed et ceterae quoque stellae non minus terrena

quam incumbentem terris spiritum adficiunt et cursu suo occursuve contrario modo frigora, modo imbres aliasque terris [turbine] iniurias movent.

Haec necessarium fuit praeeloqui dicturo de tonitru, fulminibus ac fulgurationibus. nam cum in aëre fiant, naturam eius explicari oportebat, quo facilius adpareret, quid facere aut pati posset.

XII. Tria sunt, quae accidunt, fulgurationes, fulmina, tonitrua, quae una facta serius audiuntur. Fulguratio ostendit ignem, fulminatio emittit. illa, ut ita dicam, comminatio est, conatio sine ictu: ista iaculatio cum ictu. Quaedam sunt, de quibus inter omnes convenit, quaedam in quibus diversae sententiae sunt. Convenit de illis: omnia ista in nubibus et e nubibus fieri. etiam nunc convenit et fulgurationes et fulminationes aut igneas esse aut ignea specie. Ad illa nunc transeamus, in quibus lis est: quidam putant ignem inesse nubibus, quidam ad tempus fieri nec prius esse quam mitti. Ne inter illos quidem, qui praeparant ignem, convenit. alius enim illum aliunde colligit: quidam aiunt radios solis incurrentes recurrentesque saepius in se relatos ignem excitare. Anaxagoras ait illum ex aethere distillare et ex tanto ardore coeli multa decidere, quae nubes diu inclusa custodiant. Aristoteles multo ante ignem colligi non putat, sed eodem momento exsilire, quo fiat. cuius sententia talis est: *Duae partes mundi in imo iacent, terra et aqua. utraque ex se reddit aliquid: terrenus vapor siccus est et fumo similis, qui ventos, fulmina tonitruaque facit. aquarum halitus humidus est et in imbres et nives cedit. Sed siccus ille terrarum vapor, unde ventis origo est, cum coacervatus est, coitu nubium vehementer inpactarum a latere eliditur: deinde, ubi latius nubes proximas ferit, haec plaga cum sono incutitur, qualis in nostris ignibus redditur, cum flamma vitio lignorum virentium crepat. et illic spiritus, habens aliquid humidi secum, cum conglobatus est, rumpitur flamma: eodem modo spiritus ille, quem paulo ante exprimi conlisis nubibus dixi, inpactus aliis nec rumpi nec exsilire silentio potest. Dissimilis autem crepitus*

*fit ob dissimilitudinem nubium. quare? aliae maiorem sinum habent, aliae minorem. ceterum illa vis expressi spiritus ignis est, qui fulgurationis nomen habet, levi impetu accensus et vanus. Ante autem videmus fulgorem quam sonum audiamus, quia oculorum velocior sensus est et multum aures antecedit.*

1 XIII. Falsam opinionem esse eorum, qui ignem in nubibus servant, per multa colligi potest. Si de coelo cadit, quomodo non cotidie fit, cum tantumdem semper illic ardeat? Deinde nullam rationem reddiderunt, quare ignis, quem natura sursum vocat, defluat. alia enim condicio nostrorum ignium est, ex quibus favillae cadunt, quae ponderis aliquid secum habent: ita non descendit  
2 ignis, sed praecipitatur et diducitur. Huic simile nihil accidit in illo igne purissimo, in quo nihil est quod deprimatur: aut si ulla pars eius exciderit, in periculo totus est, quia totum potest excidere, quod potest carpi. Deinde illud, quod cadere levitas prohibet, \* illud suo in abscondito tenet: grave quomodo illic esse potuit, unde  
3 caderet? „ Quid ergo? non aliqui ignes in inferiora ferri solent, sicut haec ipsa, de quibus quaerimus, fulmina?“ Fateor: non eunt tamen, sed feruntur. aliqua eos potentia deprimit, quae non est in aethere. nihil enim illi iniuria  
4 cogitur, nihil rumpitur, nihil praeter solitum evenit: ordo rerum est et purgatus ignis in custodia mundi summas sortitus oras operis pulcherrime circumit. hinc descendere non potest, sed ne ab externo quidem conprimi, quia in aethere nulli incerto corpori locus: certa et ordinata non pugnant.

1 XIV. „ Vos, inquit, dicitis, cum causas stellarum transvolantium redditis, posse aliquas aëris partes ad se trahere ignem ex locis superioribus ardore et sic accendi.“ Sed plurimum interest, utrum aliquis dicat ignem ex aethere decidere, quod natura non patitur, an dicat ex ignea vi calorem in ea, quae subiacent, transsilire. non enim illinc ignis cadit, quod non potest fieri, sed hic  
2 nascitur. Videmus certe apud nos late incendio pervagante quasdam insulas, quae diu concaluerunt, ex se

concupere flammam. itaque verisimile est et in aëre summo, qui naturam rapiendi ignis habet, aliquid accendi calore aetheris superpositi. necesse est enim, ut et imus aether habeat aliquid aëri simile et summus aer non sit dissimilis imo aetheri, quia non fit statim in diversum ex diverso transitus: paulatim ista in confinio vim suam miscent ita, ut dubitare possis, an aer, an hic iam aether sit.

XV. Quidam ex nostris existimant aëra, cum in ignem et aquam mutabilis sit, non detrahere aliunde causas flammaram novas. ipse enim se movendo accendit et cum densos compactosque nubium sinus dissipat, necessario vastum in tam magnorum corporum diruptione reddit sonum. Illa porro nubium difficulter cedentium pugna aliquid confert ad concitandum ignem, sic quemadmodum ferro ad secandum aliquid manus confert, sed secare ferri est.

XVI. Quid ergo inter fulgurationem et fulmen est? dicam. Fulguratio est late ignis explicitus, fulmen est coactus ignis et inpetu iactus. Solemus duabus manibus inter se iunctis aquam concipere et compressa utrimque palma in modum siphonis exprimere: simile quiddam et illic fieri puta. Nubium inter se compressarum angustiae medium spiritum eiciunt et hoc ipso inflamment et tormenti modo emittunt. nam balistae quoque scorpionesque tela cum sono expellunt.

XVII. Quidam existimant eum spiritum per frigida atque humida meantem sonum reddere: ne ferrum quidem ardens silentio tingitur, sed si in aquam fervens massa descendit, cum multo murmure exstinguitur. [ut] Anaximenes ait: „spiritus incidens nubibus tonitrua edit et, dum luctatur per obstantia atque intercisa vadere, ipsa ignem fuga accendit.“

XVIII. Anaximandros omnia ad spiritum retulit. „Tonitrua, inquit, sunt nubis ictae sonus. Quare inaequalia sunt? quia et ipse ictus inaequalis est. Quare et sereno tonat? quia tunc quoque per quassum et scissum aëra spiritus prosilit. At quare aliquando non fulgurat,

at tonat? quia spiritus infirmior in flammam non valuit, in sonum valuit. Quid est ergo ipsa fulguratio? aëris diducentis se corruentisque iactatio languidum ignem nec exiturum aperiens. Quid est fulmen? acrioris densiorisque spiritus cursus.“

XIX. Anaximandros ait: omnia ista sic fieri, ut ex aethere aliqua vis in inferiora descendat: ita ignis in contactus nubibus frigidis sonat. at cum illas interseindit, fulget et minor vis ignium fulgurationes facit, maior fulmina.

1 XX. Diogenes Apolloniates ait: quaedam tonitrua igne, quaedam spiritu fieri. illa ignis facit, quae ipse antecedit et nuntiat: illa spiritus, quae sine splendore  
2 crepuerunt. Utrumque sine altero aliquando fieri concedo, ita tamen, ut non discreta illis potestas sit, sed utrumque ab utroque effici possit. quis enim negabit spiritum magno inpetu latum, cum efficiat sonum, effecturum et ignem? quis autem non et hoc concedet, aliquando ignem posse quoque inrumpere nubes et non exsilire, si plurimarum acervo nubium, cum paucas percidisset, oppressus est? ergo et ignis ibit in spiritum perdetque  
3 fulgorem et spiritus, dum secat infera, incendet. Adice nunc, quod necesse est, inpetus fulminis et praemittat spiritus agatque ante se et a tergo trahat ventum, cum tam vasto ictu aëra inciderit. itaque omnia, antequam feriantur, intremiscunt vibrata vento, quem ignis ante se praemisit.

1 XXI. Dimissis nunc praeceptoribus nostris incipiamus per nos moveri et a confessis trans-  
eamus ad dubia. Quid in confessis est? fulmen ignem esse, aequae fulgurationem, quae nihil aliud est quam flamma, futura fulmen, si plus hau-  
2 sisset virium. non natura ista, sed inpetu distant. Esse illum ignem color ostendit, qui non est nisi ex eo, quod ostendit, et effectus: magnorum enim saepe incendiolorum causa fulmen fuit. silvae illo crematae et urbium partes. etiam quae non percussa sunt, tamen adusta cernuntur. quaedam vero velut fuligine colorantur. quid, quod omni-  
3 bus fulguratis odor sulphuris inest? Ergo et utramque

rem ignem esse constat et utramque rem meando inter se distare. fulguratio enim est non perlatum usque in terras fulmen. et rursus licet dicas fulmen esse fulgurationem usque in terras perductam. Non ad exercendum verba 4 diutius hoc idem pertracto, sed ut cognata esse ista et eiusdem notae ac naturae probem: fulguratio est paene fulmen. vertamus istud: fulmen est plus quiddam quam fulguratio.

XXII. Quoniam constat utramque rem igne- 1 am esse, videamus quemadmodum ignis fieri solet apud nos. eadem enim ratione et supra fiet: duobus modis: uno, si excitatur sicut ex lapide [percusso], altero, si adritu invenitur, sicut cum duo ligna inter se diutius fricta sunt. non omnis hoc tibi materia praestabit, sed idonea eliciendis ignibus, sicut laurus, hederæ et alia in hunc usum nota pastoribus. Pot- 2 est igitur fieri, ut nubes quoque ignem eodem modo vel percussæ reddant vel adritæ. Videamus, quantis procellæ viribus ruant, quanto vertantur inpetu turbines. id quod obvium fuit, dissipatur et rapitur et longe a loco suo proicitur. Quid ergo mirum, si tanta vis ignem ex- 3 cutit vel aliunde vel sibi? vides enim, quantum fervorem sensura sunt corpora horum transitu trita, non hoc tantum in his debere credi ac siderum, quorum ingens in confesso potentia est.

XXIII. Sed fortasse nubes quoque in nubes incitatae 1 fremente vento et leniter urgente ignem evocabunt, qui exsplendescat nec exsiliat. minore autem vi ad fulgurandum opus est quam ad fulminandum. Superioribus col- 2 legimus, in quantum fervorem quaedam adfricta perducerentur: cum autem aer mutabilis in ignem maximis viribus suis, cum in ventum conversus est, atteratur, verisimile est ignem excuti caducum et cito interiturum, quia non ex solida materia oritur nec in qua possit consistere. transit itaque tantumque habet morae, quantum itineris et cursus. sine alimento proiectus est.

XXIV. „Quomodo, inquit, cum dicatis ignis hanc 1 esse naturam, ut petat superiora, fulmen petit terram?

aut falsum est, quod de igne dixistis. est enim illi aequae sursum iter quam deorsum.“ Utrumque verum esse potest. ignis enim natura in verticem surgit et, si nihil illum prohibet, adscendit, sicut aqua natura defertur: si tamen aliqua vis accessit, quae illam in contrarium circumageret, illo intenditur, unde imbres deiecta est. Fulmen autem eadem necessitate, qua excutitur, decedit. In his ignibus accidit quod arboribus, quarum cacumina trahi possunt ita, ut terram spectent, si tenera sunt, etiam ut adtingant, sed cum permiseris, in locum suum exsiliunt. itaque non est, quod eum spectes cuiusque rei habitum, qui illi non ex voluntate est. Si igni permittes ire quo velit, coelum, id est levissimi cuiusque sedem repetet: ubi est aliquid, quod eum feriat et ab inpetu suo avertat, id non natura, sed servitus eius fit.

XXV. „Dicis, inquis, nubes adtrititas edere ignem: cum sint humidae, immo udae, quomodo possunt gignere ignem, quem non magis verisimile est fieri ex nube quam ex aqua?“

1 XXVI. Ex nube nascitur. Primum in nubibus non aqua est, sed aer spissus ad gignendam aquam praeparatus, nondum in illam mutatus, sed iam pronus et vergens. non est, quod existimes eam prius colligi, tum 2 effundi: simul fit et cadit. Deinde si concessero humidam esse nubem conceptis aquis plenam, nihil tamen prohibet ignem ex humido quoque educi, immo ex ipso, quod magis mireris, humore. quidam negaverunt in ignem quicquam posse mutari, priusquam mutatum esset in aquam. potest ergo nubes salva, quam continet, aqua ignem parte aliqua sui reddere, ut saepe alia pars ligni 3 ardet, alia sudat. Nec hoc dico, non contraria inter se ista esse et alterum altero perimi, sed ubi valentior ignis quam humor est, vincit. rursus cum copia humoris exsuperat, tunc ignis sine effectu est. itaque non ardent virentia. Refert ergo quantum aquae sit. exigua enim 4 non resistet nec vim ignis inpediet. quidni? Maiorum nostrorum memoria, ut Posidonius tradidit, cum insula in Aegeo mari surgeret, spumabat interdum mare et fumus



ex alto ferebatur. *noctu* demum prodebat ignem, non continuum, sed ex intervallis emicantem fulminum more, quotiens ardor infernus iacentis super undae pondus evicerat. deinde saxa evoluta rupesque partim inlaesae, 5 quas spiritus, antequam urerentur, expulerat, partim exesae et in levitatem pumicis versae, novissime cacumen usti montis emicuit. postea altitudini adiectum et saxum illud in magnitudinem insulae crevit. Idem nostra 6 memoria Valerio Asiatico consule iterum accidit. Quorsus haec retuli? ut adpareret nec extinctum ignem mari superfuso nec inpetum eius gravitate ingentis undae prohibitum exire: ducentorum passuum fuisse altitudinem Asclepiodotus auditor Posidonii tradidit, per quam diremptis aquis ignis emerit. Quod si inmensa aquarum 7 vis flammaram ex imo subeuntem vim non potuit opprimere, quanto minus inpedire poterit ignem nubium tenuis humor et roscidus? adeo res ista non adfert ullam moram, quae contra causas ignium sit, quos non videmus emicare nisi inpendente coelo. serenum sine fulmine est. non habet istos metus dies purus, ne nox quidem nisi obscura nubibus. „Quid ergo? non aliquando etiam 8 adparentibus stellis et nocte tranquilla fulgurat?“ Sed scias licet illic nubes esse, unde splendor effertur, quas videri a nobis terrarum tumor non sinit. Adice nunc, quod 9 fieri potest, ut nubes summae et humiles adritu suo ignem reddant, qui in inferiora expressus in parte coeli sincera puraque visitur: sed fit in sordida.

XXVII. Tonitrua distinxere quidam ita, ut 1 dicerent unum esse genus, cuius grave sit murmur, quale terrarum motum antecedit clauso vento et fremente. hoc quomodo videatur illis fieri, dicam. Cum spiritum intra se clausere nubes, in con- 2 cavis partibus earum volutatus aer similem agit mugitibus sonum, raucum et aequalem et continuum: itaque etiam humida est illa regio et exitum claudit. ideo huiusmodi tonitrua venturi praenuntia imbris sunt. Aliud genus est 3 a cre, quod acerbum magis\* dixerim quam sonorum, qualem audire solemus, cum super caput alicuius dirupta ve-

sica est. talia eduntur tonitrua, cum conglobata dissolvitur nubes et eum, quo distenta fuerat, spiritum emisit. Hic proprie fragor dicitur, subitus et vehemens, quo edito concidunt homines et exanimantur, quidam vero vivi stupent et in totum sibi excidunt, quos vocamus adtonitos, quorum mentes sonus ille coelestis loco  
4 pepulit. Hic fieri illo quoque modo potest, ut inclusus aer cava nube et motu ipso extenuatus diffundatur. deinde dum maiorem sibi locum quaerit, a quibus involutus est, sonum patitur. Quid autem? non quemadmodum inlissae inter se manus plausum edunt, sic inlissarum inter se nubium sonus potest esse magnus, quia magna concurrunt?

- 1 XXVIII. „Videmus, inquis, nubes inpingi montibus nec sonum fieri.“ Primum omnium non quocumque modo inlissae sunt, sonant, sed si apte sunt compositae ad sonum edendum: aversas inter se manus collide, non plaudent, sed palma cum palma collata plausum facit. et plurimum interest utrum caevae concutiantur an planae et extantae. Deinde non tantum ire nubes oportet, sed agi  
2 magna vi et procellosa. Adice nunc, quod mons non findit nubem, sed digerit et primam quamque partem eius solvit. ne vesica quidem quocumque modo spiritum emisit, sonat. si ferro divisa est, sine ullo aurium sensu exit: rumpi illam oportet, ut sonet, non secari. Idem de nubibus dico: nisi multo inpetu dissiluerit, non resonant. Adice nunc, quod nubes in montem actae non franguntur, sed circumfunduntur et in aliquas partes montis, in arboris ramos, frutices, aspera saxa et eminentia ita diducuntur, ut si quem habent spiritum, multifariam  
3 emittant, qui nisi universus erumpit, non crepat. Hoc ut scias, ventus, qui circa arborem finditur, sibilat, non tonat. lato, ut ita dicam, ictu et totum globum semel dissipante opus est, ut sonitus erumpat, qualis auditur, cum tonat.

XXIX. Praeter haec natura aptus est aer ad voces: quidni? cum vox nihil aliud sit quam ictus aer. debent ergo nubes utrimque inseri et caevae et intentae. vides

enim, quanto vocaliora sint vacua quam plena, et quanto intenta quam remissa. item tympana et cymbala sonant, quia illa repugnantem ex ulteriore parte spiritum pulsant, haec et ipsa aere non nisi cavo tinniunt.

XXX. Quidam, inter quos Aesclepiodotus est, iudicant sic quorundam quoque corporum concursu tonitrum et fulmina excuti posse. Aetna aliquando multo igne abundavit, ingentem vim arenae urentis effudit. involutus est dies pulvere populosque subita nox terruit. Illo tempore aiunt tunc plurima fuisse tonitrua et fulmina, quae concursu aridorum corporum facta sunt, non nubium, quas verisimile est in tanto fervore aëris nullas fuisse. Aliquando Cambyses ad Ammonem misit exercitum, quem arena austro mota et more nivis incidens texit, deinde obruit. tunc quoque verisimile est fuisse tonitruum fulminaque adtritu arenae sese adfricantis. Non repugnat proposito nostro ista opinio. diximus enim utriusque naturae corpora efflare terras et sicci aliquid et humidi in toto aëre vagari. itaque si quid tale intervenit, nubem fecit solidiorem et crassiorem, quam si tantum simplici spiritu texeretur. Illa frangi potest et edere sonum: ista quae dixi, sive incendiis vaporantibus aëra repleverunt sive ventis terras urentibus, necesse est nubem faciant ante quam sonum. nubem autem tam arida quam humida conserunt. est enim, ut diximus, nubes spissitudo aëris crassi.

XXXI. Ceterum mira fulminis, si intueri velis, opera sunt nec quicquam dubii relinquentia, quin divina sit illis ac subtilis potentia: oculis integris [ac inlaesis] conflatur argentum. manente vagina gladius ipse liquescit. et inviolato ligno circa pila ferrum omne distillat. stat et fracto dolio vinum nec ultra triduum ille rigor durat. Illud quoque inter adnotanda ponas licet, quod et hominum et ceterorum animalium, quae icta sunt, caput spectat ad exitum fulminis, quod omnium percussarum arborum contra fulmina astulae surgunt. Quid, quod malorum serpentium et aliorum animalium, quibus mortifera vis inest, cum fulmine icta sunt, venenum omne consumi-

tur? „Unde, inquis, scis?“ in venenatis corporibus vermibus non nascitur: fulmine iecta inter paucos dies verminant.

- 1 XXXII. Quid, quod futura portendunt nec unius tantum aut alterius rei signa dant, sed saepe longum factorum sequentium ordinem nuntiant et quidem notis evidentibus longeque clarioribus, quam [si] scriberentur?
- 2 Hoc inter nos et Tuscos, quibus summa est fulgurum persequendorum scientia, interest: nos putamus, quia nubes conlissae sunt, fulmina emitti. ipsi existimant nubes conlidi, ut fulmina emittantur. nam cum omnia ad deum referant, in ea opinione sunt, tamquam non, quia facta sunt, significant, sed quia significatura sunt, fiunt: eadem tamen ratione fiunt, sive illis significare propositum
- 3 est sive consequens. „Quomodo ergo significant, nisi ideo mittuntur?“ quomodo aves non in hoc motae, ut nobis occurrerent, dextrum auspiciam sinistrumque fecerunt. „Et illas, inquit, deus movit.“ Nimis illum otiosum, et pusillae rei ministrum facis, si aliis somnia, aliis
- 4 exta disponit. Ista nihilominus divina ope geruntur, sed non a deo pennae avium reguntur nec pecudum viscera sub ipsa securi formantur: alia ratione factorum series explicatur indicia futuri ubique praemittens, ex quibus quaedam nobis familiaria, quaedam ignota sunt. Quicquid ratione fit, alicuius rei futurae signum est: fortuita et sine ratione vaga divinationem non recipiunt. Cuius
- 5 rei ordo est, etiam praedictio est. „Cur ergo aquilae hic honor datus est, ut magnarum rerum faceret auspiciam, aut corvo et paucissimis avibus, ceterarum sine praesagio vox est?“ quia quaedam nondum in artem redacta sunt, quaedam vero ne redigi quidem possunt ob nimium remotam conversationem: ceterum nullum animal est, quod non motu et occurso suo praedicat aliquid. non
- 6 omnia scilicet, sed quaedam notantur. Auspiciam observantis est. ad eum itaque pertinet, qui in ea direxerit animum. ceterum et illa fiunt, quae pereunt. Quinque stellarum potestates Chaldaeorum observatio exceptit.
- 7 quid, tu tot illa milia siderum iudicas otiosa lucere? Quid

est porro aliud, quod errorem maximum incutiat peritis natalium, quam quod paucis nos sideribus adsignant, cum omnia, quae supra nos sunt, partem nostri sibi vindicent? submissiora forsitan propius in nos vim suam dirigunt et ea, quae frequentius mota aliter nos aliterque prospiciunt. ceterum et illa, quae aut inmota sunt aut 8 propter velocitatem universo parem inmotis similia, non extra ius dominiumque nostri sunt. *Altius* adspice et distributis rem officii tracta. non magis autem facile est scire, quid possint, quam dubitari debet, an possint.

XXXIII. Nunc ad fulmina revertamur, quorum ars in haec tria dividitur: quemadmodum exploremus, quemadmodum interpretemur, quemadmodum exoremus. Prima pars ad formulam pertinet, secunda ad divinationem, tertia ad propitiandos deos, quos bono fulmine rogare oportet, malo deprecari: rogare, ut promissa firment, deprecari, ut remittant minas.

XXXIV. Summam esse vim fulminis iudicant, quia 1 quicquid alia portendunt, interventus fulminis tollit, quicquid ab hoc portenditur, fixum est nec alterius ostenti significatione mutatur. Quicquid exta, quicquid aves minantur, secundo fulmine abolebitur. quicquid fulmine denuntiatum est, nec extis nec ave contraria refellitur. In quo mihi falli videntur. quare? quia vero verius nihil 2 est. Si aves futura cecinerunt, nec potest hoc auspiciam fulmine inritum fieri aut non futura cecinerunt. non enim nunc avem conparo et fulmen, sed duo veri signa, quae si verum significant, paria sunt. itaque cum fulminis interventus submovet extorum vel augurii indicia, male inspecta exta, male servata auguria sunt. non enim refert, utrius rei species maior sit vel natura potentior: si utraque res veri adtulit signa, quantum ad hoc, par est. Si 3 dicas flammae maiorem vim esse quam fumi, non mentieris: sed ad indicandum ignem idem valet flamma quod fumus. itaque si hoc dicunt: „quotiens exta aliud significabunt, aliud fulmina, fulminum erit auctoritas maior“ fortasse consentiam. si hoc dicunt: [quod] „altera res

verum praedixit, sed fulminis ictus priora delevit et ad se fidem traxit“ falsum est. quare? quia nihil interest, quam multa auspicia sint: fatum unum est, quod sive primo auspicio intellectum est sive secundo, nihil inter-  
4 erit. Ita dico: non refert, an aliud sit, per quod quidem quaerimus, quoniam de ave quod quaerimus idem fatum fulmine mutari non potest. quidni? nam fulmen ipsum fati pars est.

1 XXXV. „Quid ergo? expiationes procurationesque quo pertinent, si inmutabilia sunt fata?“ Permite mihi illam rigidam sectam tueri eorum, qui excipiunt ista et nihil esse aliud quam aegrae mentis  
2 solatia existimant. Fata inrevocabiliter ius suum peragunt nec ulla commoventur prece. non misericordia flecti, non gratia sciunt. cursum inrevocabilem ingressa ex destinato fluunt. quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit nec moratur quidem, quia priorem superveniens praecipitat: sic ordinem fati rerum aeterna series rotat, cuius haec prima lex est: stare decreto.

XXXVI. Quid enim intellegis fatum? existimo necessitatem rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat. hanc si sacrificiis aut capite niveae agnae exorari iudicas, divina non nosti. Sapientis quoque viri sententiam negatis posse mutari: quanto magis dei? cum sapiens quid sit optimum in praesentia sciat, illius divinitati omne praesens sit.

1 XXXVII. Agere nunc causam eorum volo, qui procuranda existimant fulmina et expiationes non dubitant prodesse aliquando ad submovenda pericula, aliquando  
2 ad levanda, aliquando ad differenda. Quid sit, quod sequantur, paulo post persequar: interim hoc habent commune nobiscum, quod nos quoque existimamus vota proficere salva vi ac potestate factorum. Quemadmodum enim a dis immortalibus ita suspensa relicta sunt, ut in bonum vertant, si admotae dis preces fuerint, si vota suscepta: ita non est hoc contra fatum, si ipsum quoque in fato  
3 est. „Aut futurum, inquit, est aut non: si futurum est,

fiet, etiamsi vota non suscipis. si non est futurum, etiamsi non susceperis vota, non fiet.“ Falsa est ista interrogatio, quia illam mediam inter ista exceptionem praeteris: futurum hoc est, sed si vota suscepta fuerint.

XXXVIII. „Hoc quoque, inquit, ipsum necesse est i fato comprehensum sit, ut aut suscipias vota aut non.“ Puta me manus dare tibi et fateri hoc quoque fato esse comprehensum, ut utique fiant vota: ideo fient. Fatum 2 est, ut iste peritus sit, sed si literas didicerit. atqui eodem fato continetur, ut literas discat: ideo docendus est. Hic dives erit, sed si navigaverit. at in illo fati ordine, quo patrimonium illi grande promittitur, hoc quoque protinus adfatum est, ut et naviget: ideo navigabit. Idem tibi de expiationibus dico. Effugiet pericula, si expiaverit praedictas divinitus minas. at hoc quoque in fato est, ut expiet: ideo expiabit. Ista nobis opponi solent, 3 ut probetur nil voluntati nostrae relictum et omne ius *fato* traditum. Cum de ista re agetur, dicam, quemadmodum manente fato aliquid sit in hominis arbitrio: nunc vero de quo agitur, explicui, quomodo, si fati certus est ordo, expiationes procurationesque prodigiorum pericula avertant, quia non cum fato pugnant, sed ipsa fati lege fiunt. „Quid ergo, inquis, aruspex mihi prodest? utique enim 4 expiare mihi etiam non suadente illo necesse est.“ Hoc prodest, quia fati minister est. Sic cum sanitas debeatur fato, debetur et medico, quia ad nos beneficium fati per huius manus venit.

XXXIX. Genera fulgurum tria esse ait Caecin- 1 na, consiliarium, auctoritatis et quod status dicitur. Consiliarium ante rem fit, sed post cogitationem, cum aliquid in animo versantibus aut suadetur fulminis ictu aut dissuadetur. auctoritatis est, ubi post rem factam venit, quam bono futuram malove significet. sta- 2 tus est, ubi rebus quietis nec agentibus nec cogitantibus quicquam fulmen quidem intervenit et aut minatur aut promittit aut monet. hoc monitorium vocat. sed nescio, quare non idem sit quod consiliarium. nam et qui monet, consilium dat. sed habet aliquam distinctionem 3

et ob hoc separetur a consiliario, quia illud suadet dis-  
suadetque, hoc solam evitacionem independentis periculi  
continet, ut cum timemus ignem, fraudem a proximis,  
4 insidias a servis. Etiamnunc tamen illam distinctionem  
video: consiliarium est, quod cogitanti factum est, moni-  
torium, quod nihil cogitanti. habet autem utraque res  
suam proprietatem: suadetur deliberantibus et ultro mo-  
nentur.

1 XL. Primo omnium non sunt fulminum genera, sed  
significationum. nam fulminum genera sunt illa:  
quod terebrat, quod discutit, quod urit. Quod  
terebrat subtile est et flammeum, cui per angustissimum  
2 fuga est ob sinceram et puram flammae tenuitatem. Quod  
dissipat conglobatum est et habet admixtam vim spiritus  
coacti ac procellosi. itaque illud fulmen per id foramen,  
quod ingressum est, redit et evadit. huius late sparsa vis  
3 est: rumpit icta, non perforat. Tertium illud genus, quod  
urit, multum terreni habet et igneum magis est quam  
flammeum. itaque relinquit magnas ignium notas, quae  
percussis inhaereant. nullum quidem sine igne fulmen  
venit, sed tamen hoc proprie igneum dicimus, quod ma-  
nifesta ardoris vestigia inprimit, quod aut urit aut fuscet.  
4 tribus modis urit: aut adflat et levi iniuria laedit aut con-  
burit aut accendit. omnia ista urunt, sed genere et modo  
differunt. quodecumque combustum est, utique et ustum  
5 est. at quod ustum est, non utique combustum est. item  
quod accensum est: potest enim illud ipso transitu ignis  
ussisse. quis nescit uri quaedam, non ardescere, nil au-  
tem ardere, quod non uratur? Unum hoc adiciam: potest  
aliquid esse combustum nec accensum, potest accensum  
6 esse nec combustum. Nunc ad id genus fulminis transeo,  
quo icta fuscantur: hoc aut decolorat aut colorat. utrique  
distinctionem suam reddam. Decoloratur id, cuius color  
vitiatur, non mutatur. coloratur id, cuius alia fit quam  
fuit facies, tamquam caerulea vel nigra vel pallida.

1 XLI. Haec adhuc Etruscis philosophisque  
communia sunt. in illud dissentiunt, quod  
fulmen a Iove dicunt mitti et tres illi manu-



bias dant: prima, ut aiunt, monet et placata est et ipsius Iovis consilio mittitur. secundam mittit Iupiter quidem, sed ex consilii sententia: deos duodecim advocat. hoc fulmen boni aliquid aliquando facit, sed tunc quoque non aliter, quam ut noceat: nec prodest quidem in-pune. tertiam manubiam idem Iupiter mittit sed adhibitis 2 in consilium dis, quos superiores et involutos vocant, quia vastat, in quae incidit, et utique mutat statum privatum et publicum, quem invenit. ignis enim nihil esse, quale fuit, patitur.

XLII. In prima specie, si intueri velis, errat antiquitas. quid enim tam inperitum est quam credere fulmina e nubibus Iovem mittere, columnas, arbores, nonnumquam statuas suas petere, uti impunitis sacrilegis, percussis ovibus, incensis aris pecudes innoxias feriat? advocatos ad suum concilium a Iove deos, quasi in ipso parum consilii sit? illa laeta esse et placata fulmina, quae solus excutiat, perniciose, quibus mittendis maior turba numinum interfuit? Si a me quaeris, quid sentiam, non 2 existimo tam hebetes fuisse, ut crederent Iovem iniquae voluntatis aut certe minus paratum. utrum enim tunc, cum emisit ignes, quibus innoxia capita percuteret, scelerata transiret, noluit iustius mittere an non successit? Quid 3 ergo secuti sunt, cum haec dicerent? ad coercendos inperitorum animos sapientissimi viri iudicaverunt inevitabilem metum, ut aliquid supra nos timeremus. utile erat in tanta audacia scelerum esse, adversus quod nemo sibi satis potens videretur. ad deterrendos itaque eos, quibus innocentia nisi metu non placet, posuerunt supra caput vindicem et quidem armatum.

XLIII. Quare ergo id fulmen, quod solus Iupiter mit- 1 tit, placabile est, perniciosum id, de quo deliberavit et quod aliis quoque dis auctoribus misit? quia Iovem, id est regem, prodesse etiam solum oportet, nocere non, nisi cum pluribus visum est. Discant hi, quicumque 2 magnam inter homines adepti potentiam sunt, sine consilio ne fulmen quidem mitti: advocent, considerent multorum sententias, nociturum temperent, hoc sibi pro-

ponant, ubi aliquid percuti debet, ne Iovi quidem suum satis esse consilium.

- 1 XLIV. In hoc quoque tam inperiti non fuerunt, ut Iovem existimarent tela mutare. poeticam istud licentiam decet:

*Est aliud levius fulmen, cui dextra Cyclopum  
saevitiae flammaeque minus, minus addidit irae:  
tela secunda vocant superi.*

- 2 Illos vero altissimos viros error iste non tenuit, ut existimarent Iovem modo [*gravioribus, modo*] levioribus fulminibus et lusoriis uti. sed admonere voluerunt eos, quibus adversus peccata hominum fulminandum est, non eodem modo omnia esse percutienda: quaedam stringi debere, quaedam elidi ac distringi, quaedam admoneri.

- 1 XLV. Ne hoc quidem crediderunt, Iovem, qualem in Capitolio et in ceteris aedibus colimus, mittere manu fulmina, sed eundem, quem nos, Iovem intelligunt, rectorem custodemque universi, animum ac spiritum mundi, operis huius dominum et artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum fatum vocare: non errabis. hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. vis illum providentiam dicere: recte dices. est enim, cuius consilio huic mundo providetur, ut inoffensus exeat et actus  
3 suos explicet. vis illum naturam vocare: non peccabis. hic est, ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu vivimus. vis illum vocare mundum: non falleris. ipse enim est hoc quod vides totum, partibus suis inditus, et se sustinens et sua. Idem Etruscis [quoque] visum est et ideo fulmina dixerunt mitti a Iove, quia sine illo nihil geritur.

XLVI. „At quare Iupiter aut ferienda transit aut innoxia ferit?“ In maiorem me quaestionem vocas, cui suus dies, suus locus dandus est: interim hoc dico, fulmina mitti a Iove, sed sic omnia esse disposita, ut etiam quae ab illo non fiunt, tamen sine ratione non fiant, quae illius est. nam etiamsi Iupiter illa

non facit nunc, Iupiter fecit ut fierent. Singulis non ad-  
est, *et tamen* vim et causam et manum omnibus dedit.

XLVII. Huic illorum divisioni non accedo: aiunt aut perpetua esse fulmina aut finita aut prorogativa. perpetua, quorum significatio in totam pertinet vitam, nec unam rem *denuntiat*, sed contextum rerum per omnem deinceps aetatem futurarum complectitur. haec sunt fulmina, quae prima accepto patrimonio et novo hominis aut urbis statu fiant. Finita ad diem utique respondent. Prorogativa sunt, quorum minae differri possunt, averti tollique non possunt.

XLVIII. Dicam, quid sit, quare huic divi 1  
sioni non consentiam. nam et quod perpetuum vocant fulmen, finitum est. aequae enim talia ad diem respondent, nec ideo finita non sunt, quia multa significant, et quod prorogativum videtur, finitum est. nam illorum quoque confessione certum est, quousque inpetratur dilatio. privata enim fulgura negant ultra decimum annum, publica ultra tricesimum posse differri. hoc modo et ista finita sunt, quia ultra quod non prorogatur, inclusum est. Omnium ergo fulminum et omnis eventus dies stata sit. non potest enim ulla incerti esse comprehensio. Quae 2  
inspicienda sunt in fulgure, passim et vage dicunt, cum possint sic dividere, quemadmodum ab Attalo philosopho, qui se huic disciplinae dediderat, divisa sunt, ut inspiciant, ubi factum sit, quando, cui, in qua re, quale, quantum. Haec si digerere in partes suas voluero, quid postea faciam? in immensa procedam.

XLIX. Nunc nomina fulgurum, quae a Caecina ponuntur, aperte distinguam et quid de eis sentiam, exponam. Ait esse postulatoria, quibus sacrificia intermissa aut non rite facta repetuntur, monitoria, quibus docetur, quid cavendum sit, pestifera, quae mortem exiliumque portendunt, fallacia, quae per speciem alicuius boni nocent: dant consulatum malo futurum gerentibus, et hereditatem, cuius compendium magno luendum sit incommodo. dentanea, quae speciem periculi sine periculo adferunt, per- 2

emptalia, quibus tolluntur priorum fulminum minae, adtestata, quae prioribus consentiunt, adterranea, quae in cluso fiunt, obruta, quibus iam percussa prius nec procurata feruntur, regalia, cum forum tangitur vel comitium aut principalia urbis liberae loca, quorum  
 3 significatio regnum civitati minatur, inferna, cum e terra exsilivit ignis, hospitalia, quae sacrificiis ad nos Iovem accersunt et, ut verbo eorum molliori utar, invitant. sed non accesseretur invitus: nunc venire eum magno insultantium periculo adfirmant. auxiliaria, quae invocata, sed advocantium bono veniunt.

1 L. Quanto simplicior divisio est, qua utebatur Attalus noster, vir egregius, qui Etruscorum disciplinam Graeca subtilitate miscuerat: ex fulminibus quaedam sunt, quae significant id, quod ad nos pertinet, quaedam autem nihil significant aut id, cuius in-  
 2 tellectus ad nos non pertinet. Ex his, quae significant, quaedam sunt laeta, quaedam adversa, [*quaedam mixta*], quaedam nec adversa nec laeta. Adversorum hae sunt species: aut inevitabilia mala portendunt aut evitabilia aut quae minui possunt aut quae prorogari. Laeta aut  
 3 mansura significant aut caduca. Mixta aut partem habent boni, partem mali aut mala in bonum, aut bona in malum vertunt. Nec adversa nec laeta sunt, quae aliquam nobis actionem significant, qua nec terri nec laetari debemus, ut peregrinationem, in qua nec metus quicquam nec spei sit.

LI. Revertor ad ea fulmina, quae significant quidem aliquid, sed quod ad nos non pertineat, tamquam utrum eodem anno idem homini futurum fulmen quod factum sit. Nihil significant fulmina aut id, cuius notitia nos effugit, ut illa, quae in vastum mare sparguntur aut in desertas solitudines, quorum significatio nulla est vel perit.

1 LII. Pauca adhuc adiciam ad enarrandam vim fulminis, quae non eodem modo omnem materiam vexat. Valentiora, quia resistunt, vehementius dissipat, cedentia nonnumquam sine iniuria transit. cum lapide ferroque et durissimis quibusque con-

fligit, quia viam per illa necesse est inpetu quaerat: itaque facit, qua effugiat. teneris et rarioribus parcit, quamquam flammis opportuna videantur, quia transitu patente minus obstaculum invenit. oculis itaque integris, ut dixi, pecunia, quae in his fuit, conflata reperitur, quia ignis tenuissimus per foramina occulta transcurrit. quicquid autem in tigno solidum invenit et contumax, vincit. Non 2 autem uno, ut dixi, modo saevit, sed quid quaecumque vis fecerit, ex ipso genere iniuriae intellegis et fulmen opere cognoscis. interdum in eadem materia multa diversa eiusdem vis fulminis facit, sicut in arbore quod aridissimum, urit, quod solidissimum et durissimum est, terebrat et frangit, summos cortices dissipat, interiores libros [in parte interioris arboris] rumpit ac scindit, folia pertundit ac stringit. vinum gelat, ferrum et aes fundit.

LIII. Illud est mirum, quod vinum fulmine gelatum, 1 cum ad priorem habitum redit, potum aut exanimat aut dementes facit. Quare id accidat quaerenti mihi illud occurrit: inest vis fulmini pestifera. ex hoc remanere aliquem spiritum in eo humore, quem coegit congelavitque, verisimile est. nec enim adligari potuisset, nisi aliquod illi esset additum vinculum. Praeterea olei quoque et 2 omnis unguenti teter post fulmen odor est. ex quo adparet inesse quamdam subtilissimo igni et contra naturam acto pestilentem potentiam, quo non icta tantum cadant, sed adflata. Praeterea quocumque decidit fulmen, ibi odorem esse sulphuris certum est, qui quia gravis est, saepius haustus alienat. Sed ad hoc vacui revertamur. 3 fortasse enim libebit ostendere, quam omnia ista a philosophia parente artium defluerunt: illa primum et quae-sivit causas rerum et observavit effectus et, quod in fulminis inspectione longe melius est, initiis rerum exitus contulit.

LIV. Nunc ad opinionem Posidonii rever- 1 tor: e terra terrenisque omnibus pars humida efflatur, pars sicca et fumida [remanet]: haec fulminibus alimentum est, illa imbribus. Quicquid in aëra sicci fumosique pervenit, id includi se [nubibus] non fert, sed rumpit

claudentia. inde est sonus, quem nos tonitrum vocamus.

2 In ipso quoque aëre quicquid extenuatur, simul *et* sic-  
catur et calefit. hoc quoque si inclusum est, aequè fu-  
gam quaerit et cum sono evadit ac modo universam eru-  
ptionem facit eoque vehementius intonat, modo per par-  
3 tes et minutatim. ergo tonitrua hic spiritus exprimit, dum  
aut rumpit nubes aut pervolat. volutatio autem spiritus  
in nube conclusi valentissimum est adterendi genus. to-  
nitrua enim nihil aliud sunt quam citi aëris sonitus, qui  
fieri, nisi dum aut terit aut rumpitur, non potest.

1 LV. „Et si confliduntur inter se nubes, inquit, fit is  
quem desideras ictus.“ sed non universus. neque enim  
*totae* totis concurrunt, sed partibus partes. nec sonant  
mollia, nisi inlisa duris sunt: itaque non auditur fluctus,  
2 nisi in tactus est. „Ignis, inquit, dimissus in aquam  
sonat, dum exstinguitur.“ Puta ita esse: pro me est.  
non enim tunc ignis sonum efficit, sed spiritus per ex-  
stinguentia fugiens. Ut dem tibi et fieri in nube ignem  
3 et exstingui, e spiritu nascitur et adritu. „Quid ergo?  
inquit, non potest aliqua ex his transcurrentibus stellis  
incidere in nubem et exstingui?“ Existimemus posse  
etiam aliquando hoc fieri: nunc naturalem causam quae-  
rimus et adsiduam, non raram fortuitamque. puta enim  
me confiteri verum esse, quod dicis, aliquando post to-  
nitrua emicare ignes stellis transversis et cadentibus si-  
miles: non ob hoc tonitrua facta sunt, sed cum hoc fie-  
4 ret, tonitrua facta sunt. Clidemos ait fulgurationem  
speciem inanem esse, non ignem: sic enim per noctem  
splendorem motu remorum videri. Dissimile est exem-  
plum. illic enim splendor intra aquam ipsam adparet:  
qui fit in aëre, erumpit et exsilit.

1 LVI. Heraclitus existimat fulgurationem esse velut  
apud nos incipientium ignium conatum et primam flam-  
mam incertam, modo intereuntem, modo resurgentem:  
haec antiqui fulgetra dicebant. nos tonitrua plurali-  
ter dicimus, antiqui autem tonitrum dixerunt aut to-  
num. Hoc apud Caecinnam invenio, facundum virum et  
qui habuisset aliquando in eloquentia nomen, nisi illum

Ciceronis umbra pressisset. Etiamnunc illo verbo utebantur antiqui correpto, quo nos producta una syllaba utimur: dicimus enim ut splendēre sic fulgēre. at illis ad significandam hanc e nubibus subitae lucis eruptionem mos erat correpta media syllaba uti, ut dicerent fulgēre.

LVII. Quid ipse existimem quaeris? adhuc enim alienis opinionibus commodavi manum: dicam. Fulgurat, cum repentinum late lumen emicuit. id evenit, ubi aer in ignem extenuatis nubibus vertitur nec vires, quibus longius prosiliret, invenit. Non miraris, puto, si aëra aut motus extenuat aut extenuatio incendit: sic liquescit excussa glans funda et adritu aëris velut igne distillat. ideo plurima aestate fiunt fulmina, qua plurimum calidi est. facilius autem adritu calidorum ignis exsistit. Eodem autem modo fit fulgur, quod tantum splendet, et fulmen, quod incendit. sed illi levior vis alimentique minus est, et, ut breviter dicam quod sentio, fulmen est fulgur intentum. Ergo ubi calidi fumidique materia emissa terris in nubes incidit et diu in illarum sinu volutata est, novissime erumpit et, quia vires non habet, splendor est. at ubi illa fulgura plus habuere materiae, [et] maiore inpetu arserunt, sed non adparent tantum, sed decidunt. Quidam existimant utique fulmen reverti, quidam subsidere, ubi alimenta praegravaverunt et fulmen ictu languidiore delatum est.

LVIII. „At quare fulmen subitum adparet nec continuatur adsiduus ignis?“ quia celer ignis undique motus simul et nubes rumpit et aëra incendit. deinde desinit flamma motu quiescente. non enim adsiduus est spiritus cursus, ut ignis possit extendi, sed quotiens fortius ipsa iactatione se accendit, fugiendi inpetum capit. deinde cum evasit et pugna desivit, ex eadem causa modo usque ad terram profertur, modo ante dissolvitur, si minore vi pressus est. „Quare oblique fertur?“ quia spiritu constat. spiritus autem obliquus est flexuosusque et, quia natura ignem sursum vocat, iniuria deorsum premit, incipit obliquus esse. interdum neutra vis alteri ce-

- dit et ignis in superiora nititur et in inferiora deprimitur.
- 3 „Quare frequenter cacumina montium feriuntur?“ quia opposita sunt nubibus et e coelo cadentibus per haec transeundum est.
- 1 LIX. Intellego, quid dudum desideres, quid efflagites. „Malo, inquis, fulmina non timere quam nosse. itaque alios doce, quemadmodum fiant: ego mihi metum
- 2 illorum excuti volo, non naturam indicari.“ Sequar quo vocas: omnibus enim rebus omnibusque sermonibus aliquid salutare miscendum est. Cum imus per occulta naturae, cum divina tractamus, vindicandus est a malis suis animus ac subinde firmandus, quod etiam eruditis et hoc unum agentibus necessarium est, non ut effugiamus ictus rerum, undique enim tela in nos iaciuntur, sed ut fortiter
- 3 et constanter patiamur. invicti esse possumus, inconcussi non possumus, quamquam interim spes subit, inconcussos quoque esse nos posse. „Quemadmodum?“ inquis. Contemne mortem: et omnia, quae ad mortem ducunt, contempta sunt, sive bella sunt seu naufragia seu morsus ferarum seu ruinarum subito lapsu procidentium pondera. Numquid amplius facere possunt, quam ut corpus
- 4 ab animo resolvatur? hoc nulla diligentia evitat, nulla felicitas donat, nulla potentia evincit. talia varia fors libidine disponit: mors omnes aequae vocat. iratis dis pro-
- 5 pitiusque moriendum est. Animus ex ipsa desperatione sumatur: ignavissima animalia, quae natura ad fugam genuit, ubi exitus non patet, temptant pugnam corpore inbelli. nullus perniciosior hostis est quam quem audacem angustiae faciunt, longeque violentius semper ex necessitate quam ex virtute corruiat, [maiora] aut certe
- 6 paria conatur animus magnus ac perditus. Cogitemus nos, quantum ad mortem, perditos esse: et sumus. Ita est, Lucili: omnes reservamur ad mortem. totum hunc quem vides populum, totum quem usquam cogitas esse, cito natura revocabit et condet: nec de re, sed de die
- 7 quaeritur. Eodem citius tardiusve veniendum est. Quid ergo? non tibi timidissimus omnium et insipientissimus videtur, qui magno ambitu rogat moram mortis? nonne



contemneres eum, qui inter perituros constitutus benefici loco peteret, ut ultimus cervicem praeberet? Idem facimus: magno aestimamus tardius mori. In omnes constitutum est capitale supplicium et quidem constitutione iustissima. nam, quod magnum solet esse solatium extrema passuris, quorum *eadem* causa, et sors eadem est. Si sequeremur traditi a iudice aut magistratu, carnifici nostro praestaremus obsequium: quid interest ad mortem iussi eamus an nati? O te dementem et oblitum fragilitatis tuae, si tunc mortem times, cum tonat! Itane in hoc salus tua vertitur? vives, si fulmen effugeris? Reperet te gladius, petet lapis, perdet bilis: non maximum ex periculis tuis, sed speciosissimum fulmen est. Male scilicet actum erit tecum, si sensum mortis tuae celeritas infinita praeveniet, si mors tua procuratur, si ne tunc quidem, cum exspiras, supervacuum, sed alicuius magnae rei signum es. Male scilicet agitur tecum, si cum fulmine conderis. Sed pavescis ad coeli fragorem et ad inane nubilum trepidas et, quotiens aliquid effulsit, exspiras. quid ergo? honestius putas defectione perire quam fulmine? eo itaque fortior adversus coeli minas surge et, cum undique mundus exarsit, cogita nihil habere te tanta morte perdendum. Quod si tibi parari credis illam coeli confusionem, illam tempestatum discordiam, si propter te ingestae inlisaque nubes strepunt, si in tuum exilium tanta ignium vis excutitur: at tu solatii loco numera tanti esse mortem tuam. Sed non erit huic cogitationi locus: casus iste donat metum et inter cetera hoc quoque commodum est eius, quod exspectionem suam antecedit. Nemo umquam timuit fulmen, nisi quod effugit.

L. ANNAEI SENECAE  
AD LUCILIUM  
NATURALIUM QUAESTIONUM  
LIBER III.

---

[PRAEFATIO.]

- 1 Non praeterit me, Lucili virorum optime, quam magnarum rerum fundamenta ponam senex, qui mundum circuire constitui et causas secretaque eius eruere atque aliis noscenda prodere. quando tam multa consequar, tam sparsa colligam, tam occulta perspiciam?
- 2 *Premat* ergo senectus et obiciat annos inter vana studia consumptos: tanto magis urgeamus et damna aetatis male exemptae labor sarciat: nox ad diem accedat. occupationes recidantur. patrimonii longe a domino iacentis cura solvatur. sibi totus animus vacet et ad contemplationem sui saltem in ipso fine respiciat. Faciet ac sibi instabit et cotidie brevitatem temporis metietur. quicquid amissum est, id diligenti usu vitae praesentis recolliget. Fidelissimus est ad honesta ex poenitentia transitus. libet igitur mihi exclamare illum poetae incliti versum:

*tollimus ingentes animos et maxima parvo  
tempore molimur.*

- hoc dicerem, si puer iuvenisque molirer. nullum enim non tam magnis rebus tempus angustum est: nunc vero ad rem seriam, gravem, immensam post meridianas horas accessimus. Faciamus quod in itinere fieri solet: qui tardius exierunt, velocitate pensant moram. festinemus et opus nescio an superabile, magnum certe, sine aetatis excusatione tractemus. Crescit animus, quotiens coepta magnitudinem ostendit et cogitat, quantum proposito, non quantum sibi supersit. Consumpsere se qui-

dam, dum acta regum externorum componunt quaeque passi invicem ausique sunt populi: quanto satius est, sua mala exstinguere quam aliena posteris tradere? quanto potius, deorum opera celebrare quam Philippi aut Alexandri latrocinia ceterorumque, qui exitio gentium clari non minores fuere pestes mortalium quam inundatio, qua planum omne perfusum est, quam conflagratio, qua pars magna animantium exaruit? Quemadmodum Hannibal superiecerit Alpes scribunt. quemadmodum confirmatus Hispaniae cladibus bellum Italiae inopinatus intulerit fractisque rebus et post Carthaginem pertinax reges pererraverit ducem promittens, exercitum petens. quemadmodum non desierit omnibus angulis bellum senex quaerere: adeo sine patria pati poterat, sine hoste non poterat. Quanto satius est, quid faciendum sit 7 quam quid factum quaerere, ac docere eos, qui sua permisere fortunae, nihil stabile ab illa datum fuisse, eius omnia aura fluere mobilius? nescit enim quiescere, gaudet laetis tristia substituere, utique miscere. Itaque secundis nemo confidat, adversis nemo deficiat: alternae sunt vices rerum. Quid exsultas? haec, quibus veheris 8 ad summum, nescis ubi te relictura sint: habebunt suum, non tuum finem. Quid iaces? ad imum delatus es: nunc locus est resurgendi. in melius adversa, in deterius optata flectuntur. Ista concipienda est animo varietas non privatarum tantum domuum, quas levis casus inpellit, sed publicarum. regna ex infimo coorta supra imperantes constiterunt, vetera imperia in ipso flore ceciderunt. inveniri non potest numerus, quam multa ab aliis fracta sint: nunc cum maxime deus exstruit alia, alia submittit nec molliter ponit, sed ex fastigio suo nullas habitura reliquias iactat. Magna ista, quia parvi sumus, credimus. multis rebus non ex natura sua, sed ex humilitate quidem nostra magnitudo est. Quid praecipuum in rebus humanis est? non classibus maria conplesse nec in rubri maris litore signa fixisse nec deficiente ad iuiurias terra errasse in oceano ignota quaerentem, sed animo omnia vidisse et, qua maior nulla victoria est, vitia do-

- muisse. Innumerabiles sunt, qui populos, qui urbes ha-
- 11 buerunt in potestate, paucissimi, qui se. Quid est praecipuum? erigere animum supra minas et promissa fortunae, nihil dignum illam habere putare, quod speres: quid enim habet dignum, quod concupiscas? qui a divinorum conversatione quotiens ad humana recideris, non aliter caligabis quam quorum oculi in densam umbram ex claro
- 12 sole redierunt. Quid est praecipuum? posse laeto animo adversa tolerare. quicquid acciderit, sic ferre, quasi volueris tibi accidere. debuisses enim velle, si scisses omnia ex decreto dei fieri: flere, queri, gemere desciscere est.
- 13 Quid est praecipuum? animus contra calamitates fortis et contumax, luxuriae non adversus tantum, sed infestus nec avidus periculi nec fugax, qui sciat fortunam non expectare sed facere, et adversus utramque intrepidus inconfususque prodire, nec illius tumultu nec
- 14 huius fulgore percussus. Quid est praecipuum? non admittere in animo mala consilia, puras ad coelum manus extollere, nullum bonum petere, quod ut ad te transeat, aliquis dare debet, aliquis amittere, optare, quod sine adversario optatur, bonam mentem: cetera magno aestimata mortalibus, etiamsi quis domum casus adtulerit,
- 15 sic intueri, quasi exitura, qua venerunt. Quid est praecipuum? altos supra fortuita spiritus tollere, hominis meminisse, ut, sive felix eris, scias hoc non futurum diu, sive
- 16 infelix, scias te hoc non esse, si non putes. Quid est praecipuum? in primis labris animam habere. Haec res efficit non e iure Quiritium liberum, sed e iure naturae. liber autem est, qui servitutem suam effugit. haec est adsidua et ineluctabilis et per diem et per noctem aequali-
- 17 ter premens, sine intervallo, sine commeatu. Sibi servire gravissima est servitus: quam discutere facile est, si desieris multa te poscere, si desieris tibi referre mercedem, si ante oculos et naturam tuam et aetatem posueris, licet prima sit, ac tibi ipse dixeris: quid insanio? quid anhelio? quid sudo? quid terram, quid forum verso? nec
- 18 multo opus est nec diu. Ad hoc nobis proderit inspicere rerum naturam: primo discedemus a sordidis. deinde

animum ipsum, quo summo magnoque opus est, seducemus a corpore. deinde in occultis exercitata subtilitas non erit in aperta deterior. nihil autem est apertius his salutaribus, quae contra nequitiam nostram furoremque discuntur, quae damnamus nec ponimus.

I. Quaeramus ergo de aquis et investigate-  
mus, qua ratione fiant: sive, ut ait Ovidius,

*fons erat illimis nitidis argenteus undis,*

sive, ut ait Vergilius,

*unde per ora novem vasto cum murmure montis*

*it mare praeruptum et pelago premit arva sonanti,*

sive, ut apud te, iuvenis carissime, invenio,

*elisu Siculis de fontibus exsilit amnis,*

si qua ratio aquas subministret, quomodo tot flumina ingentia per diem noctemque decurrant. quare alia hibernis aquis intumescant, alia in defectu ceterorum annium crescant. Nilum interim se-  
ponemus a turba, propriae naturae ac singularis, et  
illi suum diem dabimus: nunc volgares aquas pro-  
sequamur, tam frigidas quam calentes. in qui-  
bus [calentibus] quaerendum erit, utrum calidae  
nascantur an fiant. de ceteris quoque dissere-  
mus, quas insignes aut sapor aut aliqua red-  
dit utilitas: quaedam enim oculos, quaedam nervos  
iuvant, quaedam veterata et a medicis desperata vitia  
percurant. quaedam medentur ulceribus, quaedam inte-  
riora potu fovent et pulmonis ac viscerum querelas le-  
vant. quaedam supprimunt sanguinem: tam varius sin-  
gulis usus est quam gustus.

II. Aut stant omnes aquae aut eunt aut colliguntur aut  
varias habent venas. aliae sunt dulces, aliae variae: aspe-  
rae quippe interveniunt, salsae amaraeque aut medicatae,  
ex quibus sulphuratas dicimus, ferratas, aluminosas: in-  
dicat vim sapor. Habent praeterea multa discrimina.  
primum tactus: frigidae et calidae sunt. deinde ponde-  
ris: leves et graves sunt. deinde coloris: purae sunt,  
turbidae, caeruleae, lividae. deinde salubritatis: sunt  
enim utiles, sunt mortiferae. [sunt quae coguntur in la-

pidem. quaedam tenues, quaedam pingues.] quaedam alunt, quaedam sine ulla bibentis ope transeunt, quaedam haustae fecunditatem adferunt.

III. Ut stet aqua vel fluat, loci positio efficit: in devexo fluit, in plano continetur et stagnat. aliquando in adversum spiritu impellitur: tunc cogitur, non fluit. colligitur ex imbribus. ex suo fonte nativa est. nihil tamen prohibet eodem loco aquam colligi et nasci, quod in Fucino videmus, in quem montes circumiecti quicquid fudit pluvia derivant, sed magnae in ipso latentesque venae sunt. itaque etiam cum hiberni defluxere torrentes, faciem suam servat.

IV. Primum ergo quaeramus, quomodo ad continuandos fluminum cursus terra sufficiat, unde tantum aquarum exeat. Miramur, quod accessionem fluminum maria non sentiant: aequae mirandum est, quod detrimentum exeuntium terra non sentit. quid est, quod illam aut sic inpleverit, ut praebere tantum ex recondito possit, aut subinde sic suppleat? Quamcumque rationem reddiderimus de flumine, eadem erit rivorum ac fontium.

V. Quidam iudicant terram, quicquid aquarum emisit, rursus accipere et ob hoc nec maria crescere, quia quod influxit, non in suum vertunt, sed protinus reddunt. occulto enim itinere subit terras et palam venit, secreto revertitur, colaturque in transitu mare, quod per multiplices terrarum anfractus verberatum amaritudinem ponit et pravitatem [saporis] in tanta soli varietate exiit et in sinceram aquam transit.

- 1 VI. Quidam existimant, quicquid ex imbribus terra concipit, ad ima trahi et *in flumina* rursus emitti et hoc argumenti loco ponunt, quod rarissima flumina sunt in his  
2 locis quibus rarus est imber. Ideo siccas aiunt Aethiopiae solitudines esse paucosque inveniri in interiore Africa fontes, quia fervida natura coeli sit et paene semper aestiva. squalidae itaque sine arbore, sine cultore arenae iacent raris imbribus sparsae, quos statim conbibunt. At contra constat Germaniam et Galliam et proxime ab illis Ita-

liam abundare rivis et fluminibus, quia coelo humido utuntur et ne aestas quidem imbris caret.

VII. Adversus haec multa posse dici vides. Primum 1 ego tibi vinearum diligens fossor adfirmo, nullam pluviam esse [tam magnam], quae terram ultra decem pedes in altitudinem madefaciat: omnis humor intra primam crustam consumitur nec in inferiora descendit. quomodo 2 ergo imber suggerere potest annibus vires, qui summam tantum humum tingit? pars maior eius per fluminum alveos in mare aufertur. exiguum est, quod sorbeat terra, nec id servat. aut enim arida est et absument in se, quicquid infusum est, aut satiata, si quid supra desiderium cecidit, excludet. et ideo primis imbris non augentur amnes, quia totos in se sitiens terra trahit. Quid, quod 3 quaedam flumina erumpunt saxis et montibus? his quid conferent pluviae, quae per nudas rupes deferuntur nec habent [terram], cui insideant. Adice, quod siccissimis locis putei in altum acti ultra ducentorum aut trecentorum pedum spatium inveniunt aquarum uberes venas in ea altitudine, in quam aqua non penetrat, ut scias illic non coelestem esse nec collectivum humorem, sed, quod dici solet, vivam aquam. Illo quoque argumento haec 4 opinio refellitur, quod quidam fontes in summo cacumine montis redundant. adparet illos sursum agi aut ibi concipi, cum omnis pluvialis aqua decurrat.

VIII. Quidam existimant, quemadmodum in exteriori parte terrarum vastae paludes iacent magnique et navigabiles lacus, quemadmodum ingenti spatio [terrarum] maria infusa vallibus porrecta sunt, sic interiora terrarum abundare aquis dulcibus nec minus illas stagnare quam apud nos oceanum et sinus eius. immo eo latius, quo plus terra in altum patet. Ergo ex illa profunda copia isti amnes egeruntur, quos quid miraris si terra deductos non sentit, cum adiectos maria non sentiunt.

IX. Quibusdam haec causa placet: aiunt habere terram 1 intra se recessus cavos et multum spiritus, qui necessario frigescit umbra gravi pressus. deinde piger et inmotus in aquam, cum se desiit ferre, convertitur. Si 2

cut apud nos mutatio aëris imbrem facit, ita infra terras flumen aut rivum. supra nos non potest stare segnis diu et gravis. aliquando enim sole tenuatur, aliquando ventis expanditur. itaque intervalla magna imbribus sunt: sub terra vero quicquid est, quod illum in aquam convertat, idem semper est, umbra perpetua, frigus aeternum, inexercitata densitas. semper ergo praebebit fonti  
 3 et flumini causas. Placet nobis terram esse mutabilem. haec quoque quicquid efflavit, quia non libero aëre concipitur, crassescit protinus et in humorem convertitur. Habes primam aquarum sub terra nascentium causam.

1 X. Adicias etiam licet, quod fiunt omnia ex omnibus, ex aqua aer, ex aëre aqua, ignis ex aëre, ex igne aer: quare ergo non e terra fiat aqua? quae si in alia mutabilis est, et in aquam, immo maxime in hanc. utraque enim cognata est res, utraque gravis, utraque densa, utraque in extremum mundi compulsa. Ex aqua  
 2 terra fit: cur non aqua fiat e terra? „At magna flumina sunt.“ Cum videris, quanta sunt, rursus ex quanto prodeant adspice. Miraris, cum labantur adsidue, quaedam vero concitata rapiantur, quod praesto sit illis aqua semper nova? quid si mireris, quod, cum venti totum aëra impellant, non deficit spiritus, sed per dies noctesque aequaliter fluit, nec ut flumina certo alveo feruntur, sed per vastum coeli spatium lato inpetu vadit? quid si ullam undam superesse mireris, quae superveniat tot fluctibus  
 3 fractis? Nihil deficit, quia totum in se redit. omnium elementorum in alternum recursus sunt. quicquid alteri perit, in alterum transit et natura partes suas velut in ponderibus constitutas examinat, ne portionum aequitate  
 4 turbata mundus praeponderet. Omnia in omnibus sunt: non tantum aer in ignem transit, sed numquam sine igne est. detrahe illi calorem: rigescet, stabit, durabitur et transiet aer in humorem, sed nihilominus non sine humore est. et aëra et aquam facit terra, sed non magis umquam sine aqua est quam sine aëre. et ideo facilius est invicem transitus, quia illis, in quae transeundum



est, iam mixta sunt. Habet ergo terra humorem: hunc 5  
 exprimit. habet aëra: hunc umbra hiberni frigoris den-  
 sat, ut faciat humorem. ipsa quoque mutabilis est in hu-  
 morem: natura sua utitur.

XI. „Quid ergo? inquis, si perpetuae sunt cau- 1  
 sae, quibus flumina oriuntur ac fontes, quare  
 aliquando siccantur, aliquando quibus non  
 fuerunt locis, exeunt?“ Saepe motu terrarum iti-  
 nera turbantur et ruina interscindit cursum aquis, quae  
 retentae novos exitus quaerunt et aliquo inpetum faciunt  
 aut ipsius quassatione terrae aliunde alio transferuntur. 2  
 Apud nos solet evenire, ut amisso canali suo flumina  
 primum refundantur, deinde, quia perdiderunt viam, fa-  
 ciant. Hoc accidisse ait Theophrastus in *Coryco* monte,  
 in quo post terrarum tremorem nova vis fontium emer-  
 sit. Sunt qui alias quoque causas intervenire opinantur, quae 3  
 evocent aquas aut a cursu suo deiciant et avertant. Fuit  
 aliquando aquarum inops Haemus, sed cum Gallorum  
 gens a Cassandro obsessa in illum se contulisset et sil-  
 vas caecidisset, ingens aquarum copia adparuit, quas vi-  
 delicet in alimentum suum nemora ducebant, quibus  
 eversis humor, qui desiit in arbusta consumi, superflusus  
 est. Idem ait et circa Magnesiam accidisse. Sed pace 4  
 Theophrasti dixisse liceat, non est hoc veri simile, quia  
 fere aquosissima sunt quaecumque umbrosissima. quod  
 non eveniret, si aquas arbusta siccarent, quibus alimen-  
 tum ex proximo est. fluminum vero vis ex intimo manat  
 ultraque concipitur quam radicibus evagari licet. Deinde  
 succisae arbores plus humoris desiderant. non enim tan-  
 tum id, quo vivant, sed quo crescant trahunt. Idem ait 5  
 circa Arcadium, quae urbs in Creta insula fuit, fontes et  
 rivos substitisse, quia desierit coli terra diruta urbe,  
 postea vero quam cultores perceperit, aquas quoque  
 percepisse. causam siccitatis hanc ponit, quod obriguerit  
 constricta tellus nec potuerit imbres inagitata transmittere.  
 Quomodo ergo videmus plurimos in locis desertissimis 6  
 fontes? plura denique invenimus, quae propter aquas  
 coli coeperunt quam quae aquas habere coeperint, quia

colebantur. non enim esse pluvialem hanc, quae vastissima flumina a fonte statim apta magnis navigiis defert, ex hoc intellegas licet, quod per hiemem aestatemque par est a capite deiectus. Pluvia potest facere torrentem, non potest *amnem* aequali inter ripas suas tenore labentem, quem non faciunt imbres, sed incitant.

- 1 XII. Paulo repetamus hoc altius, si videtur, et scies te non habere quod quaeras, cum ad veram amnium originem accesseris. Flumen nempe fecit copia cursusque aquae perennis. ergo si quaeris a me, quomodo aqua fiat, interrogabo invicem, quomodo aer
- 2 fiat aut terra. † Aegyptii quatuor elementa fecerunt. deinde ex singulis bina, maria et feminea: aërem marem iudicant, qua ventus est, feminam, qua nubilosus et iners. aquam virilem vocant mare, muliebrem omnem aliam. ignem vocant masculum, qua ardet flamma, et feminam, qua lucet innoxius tactu. terram fortiozem marem vocant, saxa cautesque: feminae nomen adsignant huic tractabili
- 3 et cultae. † Sed si in rerum natura elementa sunt quatuor, non potes interrogare, unde aqua fiat. quarta enim pars naturae est: quid ergo miraris, si rerum naturae tam magna portio potest aliquid ex se semper effundere?
- 4 Quomodo aer, et ipse quarta pars mundi, ventos et auras movet, sic aqua rivos et flumina. si ventus est fluens aer, et flumen est fluens aqua. Satis et multum illi virium dedi, cum dixi, elementum est: intellegis, quod ab illo proficiscitur non posse deficere.

- 1 XIII. Adiciam, ut ait Thales: valentissimum elementum est. hoc fuisse primum putat, ex hoc surrexisse omnia. Sed nos quoque aut in eadem sententia, aut in ultima eius sumus. dicimus enim ignem esse, qui occupet mundum et in se cuncta convertat. hunc evanidum considerare et nihil relinqui aliud in rerum natura igne restincto quam humorem. in hoc futuri mundi spem latere.
- 2 Ita ignis exitus mundi, humor primordium: miraris ex hoc posse amnes semper exire, qui pro omnibus fuit et ex quo sunt omnia? hic [humor] in diductione rerum ad

quartas redactus est, sic positus, ut sufficere fluminibus edendis, ut rivis, ut fontibus possit.

XIV. Quae sequitur Thaletis inepta sententia est. ait 1 enim terrarum orbem aqua sustineri et vehi more navigii mobilitateque eius fluctuare tunc, cum dicitur tremere. non est ergo mirum, si abundet humore ad flumina profundenda, cum in humore sit totus. Hanc veterem et ru- 2 dem sententiam explode. nec est, quod credas in hunc orbem aquam subire per rimas et facere sentinam. †† Mare 3 unum est, ab initio scilicet ita constitutum. habet suas venas, quibus inpletur atque aestuat. Quomodo maris sic et aquae huius mitioris abdita est virium ratio: tantum ex illa, quantum semper fluere opus sit, emittitur. vasta maris in occulto via est, quam nullius fluminis cursus exhauriet.

XV. Quaedam ex istis sunt, quibus adsen- 1 tire possumus, sed hoc amplius censeo: placet natura regi terram et quidem ad corporum nostrorum exemplar, in quibus et venae sunt et arteriae, illae sanguinis, hae spiritus receptacula. in terra quoque sunt alia itinera, per quae aqua, alia, per quae spiritus currit, adeoque ad similitudinem illa humanorum corporum natura formavit, ut maiores quoque nostri aquarum adpellaverint venas. Sed sicut in nobis non tantum san- 2 guis est, sed multa genera humoris, alia necessarii, alia corrupti ac paulo quidem pinguioris, in capite cerebrum, in ossibus medullae, mucis salivaeque et lacrimae et quiddam additum articulis, per quod citius flectantur ex lubrico, sic in terra quoque sunt humoris complura genera: quaedam quae mature durentur: hinc est omnis metallo- 3 rum humus, ex quibus petit aurum argentumque avaritia, et quae in lapidem ex liquore vertuntur. in quaedam vero terra humorque putrescunt, sicut bitumen et cetera huius similia. Haec est causa aquarum secundum legem naturae voluntatemque nascentium. Ceterum ut in nostris 4 corporibus, ita in illa saepe humores vitia concipiunt: aut ictus aut quassatio aliqua aut loci senium aut frigus aut aestus corrumpere naturam. et sulphuratio contraxit

- 5 humorem, qui modo diuturnus est, modo brevis. Ergo ut in corporibus nostris sanguis, cum percussa est vena, tamdiu manat, donec omnis effluxit aut donec venae scissura subsedit atque intereludit aut aliqua alia causa retro dedit sanguinem: ita in terra solutis ac patefactis venis  
6 rivus aut flumen effunditur. Interest, quanta aperta sit vena, quae modo consumpta aqua deficit, modo exsiccat aliquo impedimento, modo coit velut in cicatricem comprimitque quam patefecerat viam. modo illa vis terrae, quam esse mutabilem diximus, desinit posse alimenta in  
7 humorem convertere. Aliquando autem exhausta replentur modo per se viribus recollectis, modo aliunde translatis. saepe enim inania adposita plenis humorem in se avocaverunt. saepe terra, si facilis est in tabem, ipsa solvitur et humescit. [*saepe*] idem evenit sub terra, quod in nubibus, ut spissetur [*aer*], graviorque quam ut manere possit in natura sua, gignat humorem. saepe colligitur roris modo tenuis et dispersus liquor, qui ex multis in unum locis confluit: sudorem aquileges vocant, quia guttae quaedam vel pressura loci eliduntur vel aestu  
8 evocantur. Haec tenuis unda vix fonti sufficit: at ex magnis causis magnisque conceptibus excidunt amnes, nonnunquam leviter emissi, si aqua pondere se tantum detulit, nonnunquam vehementer et cum sono, si illam spiritus intermixtus eiecit.
- 1 XVI. „Sed quare quidam fontes senis horis pleni senisque sicci sunt?“ Supervacuum est nominare singula flumina, quae certis mensibus magna, certis angusta sunt et occasionem singulis quaerere, cum  
2 possim eandem causam de omnibus reddere. Quemadmodum quartana ad horam venit, quemadmodum ad tempus podagra respondet, quemadmodum purgatio, si nihil obstat, statutum diem servat, quemadmodum praesto est ad mensem suum partus: sic aquae intervalla habent, quibus se retrahant et quibus redeant. quaedam autem intervalla sunt minora et ideo notabilia, quaedam maiora nec  
3 minus certa. Ecquid hic mirum est, cum videas ordinem rerum et naturam per constituta procedere: hiems num-

quam aberravit. aestas suo tempore incaluit. autumnus verisque, ut solet, facta mutatio est. tam solstitium quam aequinoctium suos dies retulit. Sunt et sub terra minus nobis nota iura naturae, sed non minus certa: crede infra, quicquid vides supra. Sunt et illic specus vasti, sunt ingentes recessus ac spatia suspensis hinc et inde montibus laxa. sunt abrupti in infinitum hiatus, qui saepe inlapsas urbes receperunt et ingentem ruinam in alto condiderunt. Haec spiritu plena sunt. nihil enim usquam inane est, etiam stagna obsessa tenebris et \* locis amplis. animalia quoque illis innascuntur, sed tarda et informia, ut in aëre caeco pinguique concepta et aquis torpenti- bus situ. pleraque ex his caeca, ut talpae et subterra- nei mures, quibus deest lumen, quia supervacuum est. Inde, ut Theophrastus adfirmat, pisces quibusdam locis eruuntur.

XVII. Multa hoc loco tibi in mentem veniunt, quae urbane ut in re incredibili [fabulam] dicas: non cum re- tibus aliquem nec cum hamis, sed cum dolabra ire pesca- tum. exspecto, ut aliquis in mari venetur. Quid est au- tem, quare non pisces in terram transeant, si nos in ma- ria transimus? permutavimus sedes. Hoc miraris acci- dere? quanto incredibilia sunt opera luxuriae? quotiens naturam aut mentitur aut vincit? In cubili natant pisces et sub ipsa mensa capitur qui statim transferatur in men- sam. parum videtur recens mullus, nisi qui in conviviae manu moritur. vitreis ollis inclusi adferuntur et observa- tur morientium color, quem in multas mutationes mors luctante spiritu vertit: alios necant in garo et condiunt vivos. Hi sunt qui fabulas putant, piscem posse vivere sub terra et effodi, non capi? quam incredibile eis vide- retur, si audirent natare in garo piscem nec coenae causa occidisse super coenam, cum multum in deliciis fuit et oculos ante quam gulam pavit.

XVIII. Permite mihi quaestione seposita castigare luxuriam. „Nihil est, inquit, nullo exspi- rante illic formosius. ipsa colluctatione animae sese af- fligenti rubor primum, deinde pallor subfunditur: quam

aequae variantur et in ceteras facies inter vitam ac mor-  
 tem coloris est vagatio!“ Longa somniculosae inertis-  
 que luxuriae expectatio! quam sero circumscribi se et  
 fraudari tanto bono sensit! hoc adhuc tam pulchro spe-  
 2 ctaculo piscatores fruebantur. „Quo coctum piscem? quo  
 exanimum? in ipso ferculo exspiret.“ Mirabamur tantum  
 illis inesse fastidium, ut nolent adtingere nisi eodem die  
 captum, qui, ut aiunt, saperet ipsum mare. ideo cursu  
 advehebatur, ideo gerulis cum anhelitu et clamore pro-  
 3 perantibus dabatur via. Quo pervenere deliciae? Iam  
 pro putrido his piscis est occisus. „Hodie eductus est?  
 nescio de re magna tibi credere: ipse oportet *ne caedas*.  
 huc adferatur. coram me animam agat,“ Ad hunc fastum  
 pervenit venter delicatorum, ut gustare non possint pi-  
 scem, nisi quem in ipso convivio natantem palpitantem-  
 que viderunt: tantum ad sollertiam luxuria pereuntibus  
 accedit, tantoque subtilius cotidie et elegantius aliquid  
 4 excogitat furor usitata contemnens. Illa audiebamus:  
 „nihil est melius saxatili mullo.“ at nunc audimus: „Nihil  
 est moriente formosius. da mihi in manus vas vitreum,  
 in quo exsultet, trepidet.“ Ubi multum *diuque luctatus*  
 5 est, ex illo perlucido vivario extrahitur. tunc ut quisque  
 peritior est, monstrat: „Vide, quomodo exarserit rubor  
 omni acrior minio. vide, quas per latera venas agat.  
 ecce, sanguinem putes ventrem. quam lucidum quiddam  
 caeruleumque sub ipso tempore effulsit! iam porrigitur  
 6 et pallet et in unum colorem componitur!“ Ex his nemo  
 morienti amico adsidet, nemo videre mortem patris sui  
 sustinet, quam optavit. quotusquisque funus domesticum  
 ad rogum [pro]sequitur? fratrum propinquorumque ex-  
 7 trema hora deseritur: ad mortem quidem nulli concurr-  
 tur. nihil enim est illa formosius. Non tempero mihi, quin  
 utar interdum temerarie verbis et proprietatis modum ex-  
 cedam: non sunt ad popinam dentibus, ore et ventre  
 contenti: oculis quoque gulosi sunt.  
 1 XIX. Sed ut ad propositum revertar. accipe  
 argumentum, magnam vim aquarum in sub-  
 terraneis occultis fertilem foedorum situ pi-

scium: si quando erupit, adfert secum immensam animalium turbam, horridam [adspici] et turpem ac noxiam gustu. Certe cum in Caria circa Hydissum urbem talis 2 exsiluisset unda, perierunt, quicumque illos ederant pisces, quos ignoto ante eam diem coelo novus annis ostendit. nec id mirum. erant enim pingua et differta ut ex longo otio corpora, ceterum inexercitata et in tenebris saginata et lucis expertia, ex qua salubritas ducitur. Na- 3 sci autem posse pisces in illo terrarum profundo sit indicium, quod anguillae latebrosis locis innascuntur, gravis et ipsae cibus ob ignaviam, utique si illas altitudo luti penitus abscondit. Habet ergo non tantum venas 4 aquarum terra, ex quibus contrivatis flumina effici possunt, sed amnes magnitudinis vastae: quorum aliis semper in occulto cursus est, donec aliquo sinu terrae devorentur, alii sub aliquo lacu emergunt. Iam quis ignorat esse quaedam stagna sine fundo? quorsus hoc pertinet? ut adpareat hanc aquam magnis annibus aeternam esse materiam, cuius non tanguntur extrema sicut fluminum fontes.

XX. „At quare aquis sapor varius?“ qua- 1 tuor ex causis: ex solo prima est, per quod fertur. secunda ex eodem, si mutatione eius nascitur. tertia ex spiritu, qui in aquam transfiguratus est. quarta ex vitio, quod saepe concipiunt corruptae per iniuriam. Hae cau- 2 sae saporem dant aquis varium, hae medicatam potentiam, hae gravem spiritum odoremque pestiferum, hae levitatem gravitatemque, [hae] aut calorem aut nimium rigorem. Interest, utrum loca sulphure an nitro an bitumine plena transierint. hac ratione corruptae cum vitae periculo bibuntur. Hinc Ovidius: 3

*Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit viscera, quod tactis inducit marmora rebus.*

Medicatum est et eius naturae habet limum, ut corporibus se adglutinet et obduret. Quemadmodum Puteolanus pulvis, si aquam adtigit, saxum est, sic e contrario haec aqua, si solidum tetigit, haeret et adfigitur. Inde est, 4 quod res abiectae in eundem lacum lapideae subinde extrahuntur, quod in Italia quibusdam in locis evenit. sive

virgam vel frondem demerseris, lapidem post dies paucos extrahis. circumfunditur enim corpori limus adliniturque paulatim. Hoc minus tibi videbitur mirum, si notaveris Albulas et fere sulphuratam aquam circa canales suos ripasque durari. *Aliam* habent causam illi lacus, quos quisque ut faucibus hausit, ut idem poeta ait,

*aut furit aut patitur mirum gravitate soporem.*

Similem vim habent mero, sed vehementiorem. nam quemadmodum ebrietas, donec exsiccetur, dementia est et nimia gravitate defertur in somnum: sic huius aquae sulphurea vis [et] habens quoddam acrius ex aëre noxio virus mentem aut furore movet aut sopore opprimit. Hoc habet mali

*Lynceius amnis,*

*quem quicumque parum moderato gutture traxit,  
haut aliter titubat, quam si mera vina bibisset.*

1 XXI. In quosdam specus qui despexere, moriuntur. tam velox malum est, ut transvolantes aves deiciat: talis est aer, talis locus, ex quo letalis aqua distillat. Quod si remissior fuit aëris et loci pestis, ipsa quoque temperatior noxa nihil amplius quam temptat nervos velut ebrietate torpentes. Nec miror, si locus atque aer aquas inficit similesque regionibus reddit, per quas et ex quibus 2 veniunt: pabuli sapor adparet in lacte, et vini vis existit in aceto. Nulla res est, quae non eius, quo nascitur, notas reddat.

XXII. Aliud est aquarum genus, quod nobis placet coepisse cum mundo: sive ille aeternus est, haec quoque fuit semper, sive initium aliquod est illi, haec quoque cum toto disposita est. Quae sit haec quaeris? Oceanus et quodcumque ex illo terras mare interluit. Iudicant quidam flumina quoque, quorum inenarrabilis natura est, cum ipso mundo traxisse principia, ut Istrum, ut Nilum, vastos amnes magisque insignes, quam ut dici possit eandem illis originem quam ceteris esse.

XXIII. Haec est ergo aquarum divisio, ut



quibusdam videtur: post illum ex posterioribus coelestes, quas nubila excutiunt: ex terrenis aliae sunt, ut ita dicam, supernatantes, quae in summa humo repunt, aliae abditae, quarum reddita est ratio.

XXIV. Quare quaedam aquae caleant, quaedam etiam ferveant in tantum, ut non possint esse usui, nisi aut in aperto evanuerunt aut mixtura frigidae intepuerunt, plures causae redduntur. Empedocles existimat ignibus, quos multis locis terra opertos tegit, aquam calescere, si subiecti sunt solo, per quod aquis transitus est. Facere solemus dracones et miliaria et complures formas, in quibus aereas fistulas struimus per declive circumdatas, ut saepe eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat spatii, quantum efficiendo calori sat est. frigida itaque intrat, effluit calida. Idem Empedocles sub terra existimat fieri, quem non falli credent *ii*, quibus balnearia sine igne calefiunt. Spiritus in illa fervens loco aestuanti infunditur. hic per rivos lapsus non aliter quam igne subdito parietes et vasa balnei calefacit. omnis denique frigida transitu mutatur in calidam nec trahit saporem *e vaporario*, quia clausa praelabatur. Quidam existimant per loca sulphure plena exeuntes vel introeuntes aquas calorem beneficio materiae, per quam fluunt, trahere, quod ipso odore gustuque testantur. reddunt enim qualitatem eius, qua caluere, materiae. Quod ne accidere mireris: vivae calci aquam infunde, fervebit.

XXV. Quaedam aquae mortiferae sunt nec odore notabiles nec sapore. Circa Nonacriam in Arcadia Styx adpellata ab incolis advenas fallit, quia non facie, non odore suspecta est: qualia sunt magnorum artificum venena, quae deprehendi nisi morte non possunt. Haec autem, de qua paulo ante retuli, aqua summa celeritate corrumpit, nec remedio locus est, quia protinus hausta duratur, nec aliter quam gypsum sub humore constringitur et adligat viscera. Est autem noxia aqua in Thessalia circa Tempe, quam et fera et pecus omne devitat. per ferrum et aes exit: tanta vis est illi etiam dura mordendi. nec arbusta quidem ulla alit et herbas necat.

3 Quibusdam fluminibus vis inest mira. alia  
 enim sunt, quae pota inficiunt greges ovium, et  
 intra certum tempus, quae fuerunt nigrae, albam ferunt  
 lanam, quae albae venerant, nigrae abeunt. Hoc in  
 Boeotia amnes duo efficiunt, quorum alteri ab effectu  
 Melas nomen est: utrique ex eodem lacu exeunt diversa  
 4 facturi. In Macedonia quoque, ut ait Theophrastus, amnis  
 est, ad quem, qui facere oves albas voluerint, adducunt.  
 quem ut diutius potavere, non aliter quam infectae mut-  
 tantur. At si illis opus fuit lana pulla, paratus gratuitus  
 infector est: ad Peneion eundem gregem adpellant. Au-  
 ctiores novos habeo esse in Galatia flumen, quod idem  
 in ovibus efficiat. est et in Cappadocia, quo pota equis  
 nec praeterea ulli animali color mutetur et spargitur albo  
 5 cutis. Quosdam lacus esse, qui nandi inpe-  
 ritos ferant, notum est: erat in Sicilia, est et adhuc  
 in Syria stagnum, in quo natant lateres et mergi proiecta  
 non possunt, licet graviora sint. Huius rei palam causa  
 est: quamcumque vis rem expende et contra aquam sta-  
 tue, dummodo utriusque par sit modus: si aqua gravior  
 est, leviolem rem, quam ipsa est, feret et tanto supra  
 se extollet, quanto erit levior: graviora descendunt. at  
 si aquae et eius rei, quam contra pensabis, par pondus  
 erit, nec pessum ibit nec exstabit, sed exaequabitur  
 aquae et natabit quidem, sed paene mersa ac nulla emi-  
 6 nens parte. Hoc est, cur quaedam tigna supra aquam  
 paene tota efferantur, quaedam ad medium submissa sint,  
 quaedam ad aequilibrium aquae descendant. namque  
 cum utriusque pondus par est, neutra res alteri cedit:  
 graviora descendunt, leviora gestantur. grave autem et  
 leve est non aestimatione nostra, sed conparatione eius,  
 7 quo vehi debet. Itaque ubi aqua gravior est hominis cor-  
 pore aut saxi, non sinit id, quo non vincitur, mergi: sic  
 evenit, ut in quibusdam stagnis ne lapides quidem pes-  
 sum eant. de solidis quidem ac duris loquor. sunt enim  
 multi pumicosi et leves, ex quibus quae constant in su-  
 8 lae in *Lydia*, natant. Theophrastus est auctor. Ipse  
 ad Cutilias natantem insulam vidi. et alia in *Vadimonis*

lacu vehitur, alia in lacu *Statoniensi* est. Cutiliarum insula arbores habet et herbas nutrit: tamen aqua sustinetur et in hanc atque illam partem non vento tantum, sed aura compellitur, nec unquam illi per diem ac noctem uno loco statio est: adeo movetur levi flatu. Huic duplex 9 causa est: aquae gravitas medicatae, ob hoc ponderosae, et ipsius insulae materia vectabilis, quae non est corporis solidi, quamvis arbores alat. fortasse enim leves truncos frondesque in lacu sparsas pinguis humor adprehendit ac vinxit. Itaque etiam si qua in illa saxa sunt, 10 invenies aquosa et fistulosa, qualia sunt quae duratus humor efficit, utique circa medicatorum fontium rivos. quare ubi purgamenta aquarum coaluerunt et spuma solidatur, necessario leve est, quod ex ventoso inanique concretum est. Quorumdam causa non potest 11 reddi: quare aqua Nilotica fecundiores feminas faciat, adeo ut quarumdam viscera longa sterilitate praeclusa ad conceptum relaxaverit. quare quaedam in Lycia aquae conceptum feminarum custodiant, quas solent petere, quibus parum tenax vulva est. Quod ad me adtinet, pono ista inter temere volgata. Creditum est quasdam aquas scabiem adferre corporibus, quasdam vitiliginem et foedam ex albo varietatem, sive infusa sive pota sit: quod vitium dicunt habere aquam e rore collectam. Quis non 12 gravissimas esse aquas credat, quae in crystallum coeunt? contra autem est: tenuissimis enim hoc evenit, quas frigus ob ipsam tenuitatem facillime gelat. Unde autem fiat eiusmodi lapis, apud Graecos ex ipso nomine adparet: *κρύσταλλον* enim adpellant aequae hunc perlucidum lapidem quam illam glaciem, ex qua fieri lapis creditur. aqua enim coelestis minimum in se terreni habens cum induruit, longioris frigoris pertinacia spissatur magis ac magis, donec omni aëre excluso in se tota compressa est et humor qui fuerat, lapis effectus est.

XXVI. Aestate quaedam flumina augentur, 1 ut Nilus, cuius alias ratio reddetur. Theophrastus est auctor, in Ponto quoque quosdam amnes crescere tempore aestivo. quatuor esse iudicant causas: aut quia tunc

maxime in humorem mutabilis sit terra, aut quia maiores in remoto imbres sint, quorum aqua per secretos cuniculos reddita tacite *ad*funditur. tertia: si crebrioribus ventis ostium caeditur et reverberatur fluctu, amnis resistit, qui crescere videtur, quia non effunditur. quarta siderum ratio est: haec enim quibusdam mensibus magis urgent et exhauriunt flumina. cum longius recesserunt, minus consumunt atque trahunt. itaque quod inpendio solebat, [id] incremento accedit. Quaedam flumina palam in aliquem specum decidunt et sic ex oculis auferuntur, quaedam consumuntur paulatim et intercidunt. eadem ex intervallo revertuntur recipiuntque et nomen et cursum. Causa manifesta est: sub terra vacat locus. omnis autem naturâ humor ad inferius et ad inane defertur. illo itaque recepta flumina cursus egere secreto, sed cum primum aliquid solidi, quod obstaret, occurrit, perrupta parte, quae minus ad exitum repugnabat, repetiere cursum suum.

- 4     *Sic ubi terreno Lycus est potatus hiatu,  
existit procul hinc alioque renascitur ore.  
Sic modo combibitur, tacito modo gurgite lapsus  
redditur Argolicis ingens Erasinus in undis.*

Idem et in Oriente Tigris facit: absorbetur et desideratus diu tandem e longe remoto loco, non tamen dubius an idem sit, emergit. Quidam fontes certo tempore purgamenta eiectant, ut Arethusa in Sicilia quinta quaque aestate per Olympia. inde opinio est Alpheon ex Achaia eo usque penetrare et agere sub mare cursum nec ante quam in Syracusano litore emergere: ideoque his diebus, quibus Olympia sunt, victimarum stercus secundo traditum flumini illic redundare. Hoc et a te traditum est ut in *poemate*, Lucili carissime, et a Vergilio, qui adloquitur Arethusam:

*Sic tibi, cum fluctus subter labere Sicanos,  
Doris amara suas non intermisceat undas.*

Est in Chersoneso Rhodiorum fons, qui post magnum intervallum temporis foeda quaedam turbinibus ex intimo fundat, donec liberatus eliquatusque est. Hoc quibus-

dam locis fontes faciunt, ut non tantum lutum, sed folia testasque et quicquid putre iacuit expellant. ubique autem facit mare, cuius haec natura est, ut omne inmundum stercorosumque litoribus inpingat. quaedam vero partes maris id certis temporibus faciunt, ut circa Messanam et Mylas fimo quiddam simile *turbulentis aquis* mare profert fervetque et exaestuat non sine odore foedo. unde illic stabulari boves Solis fabula est. Sed difficilis ratio est quorundam, utique ubi tempus eius rei, de qua quaeritur, inobservatum vel incertum est. itaque proxima quidem inveniri causa et vicina non potest. ceterum publica est illa: omnis aquarum stantium clausurarumque natura se purgat. (nam in his, quibus cursus est, non possunt vitia consistere, quae secunda vis defert et exportat.) illae, quae non emittunt quicquid insedit, magis minusve aestuant. Mare vero cadavera stramentaue et naufragorum reliqua similia ex intimo trahit nec tantum tempestate fluctuque, sed tranquillum quoque placidumque purgatur.

XXVII. Sed monet me locus, ut quaeram, cum fatalis dies diluvii venerit, quemadmodum magna pars terrarum undis obruatur: utrum oceani viribus fiat et extremum in nos pelagus exurgat, an sine intermissione imbres et elisa aestate hiems pertinax inmensam vim aquarum ruptis nubibus eiciat, an flumina tellus largius fundat aperiatque fontes novos, aut non sit una tanto malo causa, sed omnis ratio consentiat et simul imbres cadant, flumina increscant, maria sedibus suis excita ~~percurrant~~ et omnia agmine uno ad exitium humani generis incumbant. Ita est. nihil difficile naturae est, utique ubi in finem suum properat. Ad originem rerum parce utitur viribus dispensatque se incrementis fallentibus: subito ad ruinam toto inpetu venit. Quam longo tempore opus est, ut conceptus ad puerperium perduret infans? quantis laboribus tener educatur? quam diligenti nutrimento obnoxium novissime corpus adolescit? at quam nullo negotio solvitur? Urbes constituit aetas, hora dissolvit. Momento fit cinis, diu silva. Magna tutela

3 stant ac vigent omnia, cito ac repente dissiliunt. Quic-  
 quid ex hoc statu rerum natura flexerit, in exitium mor-  
 talium satis est. ergo cum adfuerit illa necessitas tempo-  
 ris, multa simul fata causas movent. nec enim sine con-  
 cussione mundi tanta mutatio est, ut quidam putant, inter  
 4 quos Fabianus est. Primo inmodici cadunt imbres et sine  
 ullis solibus triste nubilo coelum est nebulaque continua  
 et ex humido spissa caligo numquam exsiccantibus ven-  
 tis. inde vitium est satis, segetum sine fruge surgentium  
 marcor. tunc corruptis quae seruntur manu, palustris  
 5 omnibus campis herba subcresecit. Mox iniuriam et va-  
 lidiora sensere: solutis quippe radicibus arbusta procum-  
 bunt et vitis atque omne virgultum non tenetur solo, quod  
 molle fluidumque est. iam nec gramina aut pabula laeta  
 aquis sustinet. fame laboratur et manus ad antiqua ali-  
 menta porrigitur. qua ilex est et quercus, excutitur et  
 quaecumque in his arduis arbor commissura adstricta la-  
 6 pidum stetit. Labant ac madent tecta et in imum usque  
 receptis aquis fundamenta desidunt ac tota humus sta-  
 gnat. frustra titubantium fultura temptatur. omne enim  
 firmamentum in lubrico figitur et in lutosa humo nihil sta-  
 7 bile est. Postquam magis magisque nimbi ingruunt et  
 congestae seculis tabuerunt nives, devolutus torrens al-  
 tissimis montibus rapit silvas male haerentes et saxa re-  
 volutis remissa compagibus rotat. abluit villas et inter-  
 mixtos dominos, greges devehit, vulsisque minoribus  
 tectis, quae in transitu abduxit, tandem in maiora vio-  
 lentus aberrat. urbes et implicitos trahit moenibus suis  
 populos, ruinam an naufragium querantur incertos:  
 adeo simul et quod opprimeret et quod mergeret venit.  
 auctus deinde processu aliquot in se torrentibus raptis  
 plana passim populatur: novissime in *miseriam* magnam  
 8 gentium clarus onustusque diffunditur. Flumina vero  
 suapte natura vasta et tempestatibus raptata alveos relin-  
 quunt. quid tu Rhodanum, quid putas Rhenum atque  
 Danubium, quibus torrens et in canali suo cursus est,  
 cum superfusi novas sibi fecerunt ripas ac scissa humo  
 9 simul excessere alveo? quanta cum praecipitatione vol-

vuntur, ubi per campestria fluens Rhenus ne spatio quidem languidus, sed latissimas velut per angustum aquas inplet? cum Danubius non iam radices nec media montium stringit, sed iuga ipsa sollicitat ferens secum madefacta montium latera rupesque disiectas et magnarum promuntoria regionum, quae fundamentis labantibus a continenti recesserunt. deinde non inveniens exitum, omnia enim ipse sibi praecluserat, in orbem redit, [et] ingentem terrarum ambitum atque urbium uno vortice involvit. Interim permanant imbres, fit coelum gravius ac sic diu 10 malum ex malo colligitur. quod olim fuerat nubilum, nox est et quidem horrida ac terribilis intercurso luminis diri. crebra enim micant fulmina procellaeque quatunt mare tunc primum auctum fluminum accessu et sibi angustum: iam enim promovet litus nec continetur suis finibus, sed prohibent exire torrentes aguntque fluctum retro: pars tamen maior ut maligno ostio retenta restagnat et agros in formam unius lacus redigit. Iam omnia, qua prospici 11 potest, aquis obsidentur: omnis tumulus in profundo latet et immensa ubique altitudo est. tantum in summis montium iugis vada sunt. In ea [excelsissima] cum liberis coniugibusque fugerunt acris ante se gregibus: diremptum inter miseros commercium ac transitus, quoniam quicquid submissius erat, id unda conplevit. editissimis 12 quibusque adhaerebant reliquiae generis humani, quibus in extrema perductis hoc unum solatio fuit, quod transierat in stuporem metus. non vacabat timere mirantibus, ne dolor quidem locum habebat, quippe vim suam perdit in eo, qui ultra sensum mali miser est. Ergo insu- 13 larum modo eminent

*montes et sparsas Cycladas augent,*

ut ait ille poetarum ingeniosissimus egregie, sicut illud pro magnitudine rei dixit:

*omnia pontus erant, deerant quoque litora ponto,*  
nisi tantum inpetum ingenii et materiae ad pueriles ineptias reduxisset:

*nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones.*

Non est res satis sobria lascivire devorato orbe terrarum. 14

Dixit ingentia et tantae confusionis imaginem cepit, cum dixit:

*exspatiata ruunt per apertos flumina campos  
pressaeque labant sub gurgite turres.*

Magnifice haec, si non curaverit, quid oves et lupi faciant. natari autem in deluvio et in illa rapina potest? aut non eodem inpetu pecus, quo raptum erat, mersum 15 erat? Concepisti imaginem quantam debebas obrutis terris omnibus coelo ipso in terram ruente: perfer. scies quid deceat, si cogitaveris orbem terrarum natare.

- 1 XXVIII. Nunc ad propositum revertamur. Sunt qui existimant inmodicis imbribus vexari terras posse, non obrui: magno inpetu magna ferienda sunt. faciet pluvia segetes malas, fructum grando decutiet, intumescunt rivis flumina: sed resident. Quibusdam placet movere mare et illinc causam tantae cladis accersere: non potest torrentium aut imbrum aut fluminum iniuria fieri tam grande naufragium. ubi instat illa perniciēs mutarique humanum genus placuit, fluere adsiduos imbres et non esse modum pluviis concesserim: suppressis aquilonibus et flatu sicciore austris nubes et imbres et amnes abundare.

*Sed adhuc in damna profectum est:  
sternuntur segetes et deplorata colonis  
vota iacent longique perit labor inritus anni.*

- 3 Non laedi terrae debent, sed abscondi. Denique cum per ista prolusum est, crescunt maria, sed super solitum, et fluctum ultra extremum tempestatis maximae vestigium mittunt. deinde a tergo ventis surgentibus ingens aequor evolvunt, quod longe a conspectu interioris litoris frangitur. deinde ubi litus bis vel ter prolatum est et pelagus in alieno constitit, velut admoto malo cominus procurrit 4 aestus ex imo recessu maris. nam ut aëris, ut aetheris, sic huius elementi larga materia est multoque in abdito plenior. haec fatis mota, non aestu (nam aestus fati ministerium est) adtollit vasto sinu fretum agitque ante se. deinde in miram altitudinem erigitur et illis tutis hominum receptaculis superest. nec id aquis arduum est, quoniam aequo 5 terris fastigio adscendet. Si quis excelsa perlibret, maria



paria sunt. nam par undique sibi ipsa tellus est: cava eius et plana eius inferiora sunt. sed istis a deo in rotundum orbis aequatus est. in parte autem eius et maria sunt, quae in unius pilae aequalitatem conveniunt. Sed sicut campos intuentem quae paulatim devexa sunt, fallunt, sic cum non intellegimus curvaturas maris, videtur planum, quicquid adparet. at illud aequale terris est, ideoque ut effluat, non magna mole se tollit, dum satis est illi, ut supra paria veniat, leviter exurgere, nec a litore, ubi inferius est, sed a medio, ubi ille cumulus est, defluit. Ergo ut solet aestus aequinoctialis sub ipsum 6 lunae solisque coitum omnibus aliis maior undare, sic hic, qui ad occupandas terras mittitur, solitis maximisque violentior plus aquarum trahit nec ante quam supra cacumina eorum, quos perfusus est, montium crevit, devolvitur. Per centena milia quibusdam locis aestus excurrit innoxius et ordinem servat. ad mensuram enim crescit iterumque decrescit: at illo tempore solutus legibus sine modo fertur. „Qua ratione?“ inquis. eadem 7 ratione, qua conflagratio futura est. Utrumque fit, cum deo visum ordiri meliora, vetera finiri. aqua et ignis terrenis dominantur. ex his ortus et ex his interitus est. ergo quandoque placere res novae mundo, sic in nos mare emittitur desuper, ut fervor ignisque, cum aliud genus exitii placuit.

XXIX. Quidam existimant terram quoque concuti et 1 dirupto solo nova fluminum capita detegere, quae amplius ut e pleno profundant. Berosus, qui Belum interpretatus est, ait ista cursu siderum fieri. adeo quidem adfirmat, ut conflagrationi et diluvio tempus adsignet: arsura enim terrena contendit, quando omnia sidera, quae nunc diversos agunt cursus, in Cancrum convenerint sic sub eodem posita vestigio, ut recta linea exire per orbem omnium possit: inundationem futuram, cum eadem siderum turba in Capricornum convenerit. Illic solstitium, hic bruma conficitur: magnae potentiae signa, quando in ipsa mutatione anni momenta sunt. Et istas ego rece- 2 perim causas (neque enim ex uno est tanta pernicietas) et

illam, quae in conflagratione nostris placet, huc quoque transferendam puto: sive anima est mundus, sive corpus natura gubernabile, ut arbores et sata, ab initio eius usque ad exitum quicquid facere, quicquid pati debeat, 3 inclusum est. Ut in semine omnis futuri hominis ratio comprehensa est et legem barbae canorumque nondum natus infans habet, totius enim corporis et sequentis actus in parvo occultoque lineamenta sunt: sic origo mundi non minus solem et lunam et vices siderum et animalium ortus quam quibus mutarentur terrena continuit. in his fuit inundatio, quae non secus quam hiems, quam aestas 4 lege mundi venit. Itaque non pluvia istud fiet, sed pluvia quoque, non incursu maris, sed maris quoque incursu, non terrae motu, sed terrae quoque motu. Omnia adiuvabunt naturam, ut constituta naturae peragantur. maximam tamen causam ad se inundandam terra [ipsa] praestabit, quam diximus esse mutabilem et solvi in humorem. Ergo quandocumque erit terminus rebus humanis, cum partes eius interire debuerint abolerique funditus totae, ut de integro totae rudes innoxiaeque generentur nec supersit in deteriora praeceptor: plus fiet humoris quam semper fuit. nunc enim elementa ad id, quod debetur, pensa sunt: aliquid oportet alteri cedit, ut quae libramento stant, inaequalitas turbet: accedet humor humori. nunc enim habet, quo ambiat terras, non quo obruat. quicquid illi adieceris, necesse est in alienum locum exundet. Vide ergo, ne terra habeat minus, ut validiori infirma succumbat. incipiet ergo putrescere, dehinc laxata ire in humorem et adsidua tabe defluere. tunc exsillent sub montibus flumina ipsosque inpetu qua- 7 tient: inde aura tacta manabunt. Solum omne aquas reddet, summi scaturient montes. sicut in morbum trans-eunt sana et ulceri vicina consentiunt, ut quaeque proxima terris fluentibus fuerint, eluentur, stillabunt et deinde current et hiante pluribus locis saxo *p̄r* fretum saliet et maria inter se conponet. nihil erunt Adria, nihil Siculi maris fauces, nihil Charybdis, nihil Scylla: omnes novum mare fabulas obruet et hic, qui terras cingit, ocea-

nus extrema sortitus veniet in medium. Quid ergo est? 8 nihilominus tenebit alienos menses hiems, aestas prohibebitur et quodcumque terras sidus exsiccat, compresso ardore cessabit. Peribunt tot nomina, Caspium et Rubrum mare, Ambracii et Cretici sinus, Propontis et Pontus. peribit omne discrimen. confundetur quicquid in suas partes natura digessit. non muri quemquam, non turres tuebuntur. non proderunt templa supplicibus nec urbium summa, quippe fugientes unda praeveniet et ex ipsis arcibus deferet. Alia ab occasu, alia ab oriente concu- 9 rent: unus humanum genus condet dies. quicquid tam longa fortunae indulgentia excoluit, quicquid supra ceteros extulit, nobilia pariter atque adornata magnarumque gentium regna pessumdabit.

XXX. Sunt omnia, ut dixi, facilia naturae, ut quae 1 a primo facere constituit, ad quae non subito, sed ex denuntiatio venit. Iam autem primo a die mundi, cum in hunc habitum ex informi unitate discederent, quando mergerentur terrena, decretum est et ne sit quandoque velut in novo opere dura molitio, olim ad hoc maria se exercent. Non vides, ut fluctus in litora tamquam exi- 2 turus incurrat? non vides, ut aestus fines suos transeat et in possessionem terrarum mare inducatur? non vides, ut illi perpetua cum claustris suis pugna sit? Quid porro? istinc, unde tantum tumultum vides, metus est, e mari et magno spiritu erumpentibus fluviis. Ubi non humorem 3 natura disposuit, ut undique nos, cum voluisset, adgredi posset? mentior, nisi eruentibus terram humor occurrit, et quotiens nos avaritia aut defodit aut aliqua causa penetrare altius cogit, eruenti finis aliquando [*aqua*] est. Adice, quod inmanes sunt in abdito lacus et multum maris conditi, multum fluminum per opaca labentium. Undique 4 ergo erit causa diluvio, cum aliae aquae subterfluant terras, aliae circumfluant, quae diu coercitae vincent et amnes amnibus iungent, paludibus stagna. omnium tunc mare ora fontium inplebit et maiore hiatu solvet. Quemadmodum corpora nostra ad egestum venter exhaurit, quemadmodum in sudorem eunt vires, ita tellus liquefiet

et aliis causis quiescentibus intra se, quo mergatur, in-  
 5 veniet. Sic magna omnia coitura crediderim. nec longa  
 erit mora exitii. temptatur divelliturque concordia. cum  
 semel aliquid ex hac idonea diligentia remisit mundus,  
 statim undique ex aperto et abdito, superne, ab infimo  
 6 aquarum fiet irruptio. Nihil est tam violentum, tam in-  
 continens sui, tam contumax infestumque retinentibus  
 quam magna vis undae: utetur libertate permissa et iu-  
 bente natura quae scindit circuitque complebit. ut ignis  
 diversis locis ortus cito miscet incendium flammis coire  
 properantibus, sic momento se redundantia pluribus locis  
 7 maria committent. Nec ea semper licentia undis erit,  
 sed peracto iudicio generis humani extinctisque pariter  
 feris, in quarum homines ingenia transierant, iterum  
 aquas terra sorbebit, terra pelagus stare aut intra termi-  
 nos suos furere coget et reiectus e nostris sedibus in sua  
 secreta pelletur oceanus et antiquus ordo revocabitur.  
 8 Omne ex integro animal *generabitur* dabiturque terris ho-  
 mo inscius scelerum et melioribus auspiciis natus. Sed  
 illis quoque innocentia non durabit, nisi dum novi sunt.  
 Cito nequitia subrepat: virtus difficilis inventu est. re-  
 ctorem ducemque desiderat: etiam sine magistro vitia  
 discuntur.

---

## L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

# NATURALIUM QUÆSTIONUM

LIBER IV.

---

[P R A E F A T I O.]

1 Delectat te, quemadmodum scribis, Lucili virorum  
 optime, Sicilia et officium procurationis otiosae delecta-  
 bitque, si continere id intra fines suos volueris nec

efficere imperium, quod est procuratio. Facturum hoc te non dubito. scio, quam sis ambitioni alienus, quam familiaris otio et literis. turbam hominum rerumque desiderent, qui se pati nesciunt: tibi tecum optime convenit. Nec est mirum paucis istud contingere [*in*] imperio, si nobis ipsi molesti sumus, si modo amore nostri, modo taedio laboramus, infelicem animum nunc superbia inflammas, nunc cupiditate distendimus, alias voluptate lassamus, alias sollicitudine exurimus. quod est miserimum, numquam singuli sumus: necesse est itaque adsidua sit in tanto vitiorum contubernio rixa. Fac ergo, mi Lucili, quod facere consuesti: a turba te, quantum potes, separa, ne adulatoribus latus praebeas: artifices sunt ad captandos superiores. par illis, etiamsi bene caveris, non eris. crede mihi, capieris, proditori [*si*] ipse te trades. Habent hoc in se naturale blanditiae: etiam cum reiciuntur placent, saepe exclusae novissime admittuntur. hoc enim ipsum inputant, quod repelluntur, et subigi ne contumelia quidem possunt. Incredibile est quod dicturus sum, sed tamen verum: ea maxime quisque patet, qua petitur. fortasse enim ideo, quia patet, petitur. Sic ergo formare, ut scias non posse te consequi, ut sis inpenetrabilis. cum omnia caveris, per ornamenta feriet. Alius adulatione clam utetur, parce, alius ex aperto, palam, rusticitate simulata, quasi simplicitas illa ars non sit. Plancus, artifex ante Villeium maximus, aiebat non esse occulte nec ex dissimulato blandiendum. *Perit, inquit, procari, si latet.* Plurimum adulator, cum 6 deprehensus est, proficit: plus etiam nunc, si obiurgatus est, si erubuit. Futuros multos Plancos cogita in persona tua et hoc non esse remedium tanti mali, nolle laudari. Crispus Passienus, quo ego nil novi subtilius in omnibus rebus, maxime in distinguendis et curandis vitiis, saepe dicebat adulationibus nos non claudere ostium, sed aperire, et quidem sic, ut amicae opponi solet, quae si inputat, grata est, gratior, si effregit. Demetrium egregium 7 virum memini dicere cuidam libertino potenti: facilem sibi viam ad divitias esse, quo die bonae mentis poeni-

tuisset. „Nec inuidebo, inquit, vobis hac arte, sed docebo eos, quibus quaesito opus est, quemadmodum non dubiam fortunam maris, non emendi vendendique litem subeant, non incertam fidem ruris, incertiore fori temptent, quemadmodum non solum facili, sed etiam hilari  
8 via pecuniam faciant gaudentesque dispolient. Te, inquit, longiorem Fido Annaeo iurabo et Apollonio *pycta*, quamvis staturam habeas *Threcis cum* Threce compositi. hominem quidem non esse ullum liberaliorem non mentiar, cum possis videri omnibus donasse, quicquid dereliquisti.“ Ita est, mi Iunior. quo apertior est adulatio, quo improbior, quo magis frontem suam perfricuit, cecidit alienam, hoc citius expugnat. eo enim iam dementiae  
10 venimus, ut qui parce adulatur, pro maligno sit. Solebam tibi dicere Gallionem, fratrem meum, quem nemo non parum amat, etiam qui amare plus non potest, alia vitia non nosse, hoc eum odisse. Ab omni illum parte temptasti: ingenium suspicere coepisti omnium maximum et dignissimum, quod consecrari malle quam conteri: pedes abstulit. frugalitatem laudare coepisti, qua sic a novis [*moribus*] resiliit, ut illos nec habere nec damnare  
11 videatur: prima statim verba praecidit. coepisti mirari comitatem et inconpositam suavitatem, quae illos quoque, quos transit, abducit, gratuitum etiam in obvios meritum. nemo enim mortalium uni tam dulcis est quam hic omnibus, cum interim tanta naturalis boni vis est, uti artem simulationemque non redolet. nemo non inputari sibi bonitatem publicam patitur: hoc quoque loco blanditiis tuis restitit, ut exclamares invenisse te inexpugnabilem virum adversus insidias, quas nemo non in sinum  
12 recipit. Eo quidem magis hanc eius prudentiam et in evitando inevitabili malo pertinaciam te suspicere confessus es, quia speraveras posse apertis auribus recipi, quamvis blanda diceres, quia vera dicebas: sed eo magis intellexit obstandum. semper enim falsis a vero petitur veritas. Nolo tamen tibi displiceas, quasi male egeris mimum et quasi ille aliquid iocorum aut doli suspicatus sit: non deprehendit te, sed repulit. Ad hoc

exemplar componere. Cum quis ad te adulator accesserit, dicito: „vis tu ista verba, quae iam ab alio magistratu ad alium cum lictoribus transeunt, ferre ad aliquem, qui paria facturus vult quicquid dixeris audire? ego nec decipere volo nec decipi possum. laudari me a vobis, nisi laudaretis etiam malos, vellem.“ Quid autem necesse est in hoc descendere, ut te petere cominus possint? longum inter vos intervallum sit. Cum cupieris bene laudari, 14 quare hoc ulli debeas? ipse te lauda. dic: „Liberalibus me studiis tradidi. quamquam paupertas alia suaderet et ingenium eo duceret, ubi praesens studii pretium est, ad gratuita carmina me deflexi et ad salutare studium philosophiae me contuli. Ostendi in omne pectus cadere 15 virtutem et eluctatus natalium angustias non sorte me, sed animo mensus par maximis steti. Non mihi in amicitia Getulici vel Caius fidem eripuit, non in aliorum persona infeliciter amatorum Messala et Narcissus, diu publici hostes antequam sui, propositum meum avertere potuerunt: cervicem pro fide opposui. nullum verbum mihi, quod non salva bona conscientia procederet, excussum est. pro amicis omnia timui, pro me nihil, nisi ne parum bonus amicus fuisset. Non mihi muliebres fluxere 16 lacrimae, non e manibus ullius supplex pependi. nihil indecorum nec bono nec viro feci. periculis meis maior, paratus ire in ea, quae minabantur, gratias egi fortunae, quod experiri voluisset, quanti aestimarem fidem. Non debebat mihi parvo res tanta constare, nec examinavit me quidem diu: neque enim paria pendebant, utrum satius esset me perire pro fide an fidem pro me. Non praeci- 17 piti inpetu in ultimum consilium, quo me eriperem furori potentium, misi. videbam apud Caium tormenta, videbam ignes. sciebam olim sub illo in eum statum res humanas decidisse, ut inter opera misericordiae haberentur occisi: non tamen ferro incubui nec in mare aperto ore desilui, ne viderer pro fide tantum mori posse.“ Adice nunc invictum muneribus animum et in tanto ava- 18 ritiae certamine numquam suppositam manum lucro. adice nunc quoque victus parsimoniam, sermonis modestiam,

adversus minores humanitatem, adversus maiores reverentiam: post haec ipse te consule, verane an falsa memoraveris. si vera sunt, coram magno teste laudatus es, 19 si falsa, derisus es. Possum et ipse nunc videri te aut captare aut experiri: utrumlibet crede et omnes timere a me incipe. Vergilianum illud exaudi:

*nusquam tuta fides.*

aut Ovidianum:

*qua terra patet, fera regnat Erinys:*

*in facinus iurasse putes.*

aut illud Menandri: (quis enim non in hoc magnitudinem ingenii sui concitavit, detestatus consensum humani generis tendentis ad vitia?) *omnes ait malos vivere* et in scenam velut rusticus poeta prosiluit. non senem exceperit, non puerum, non feminam, non virum, et adicit non singulos peccare, non paucos, sed iam scelus esse contextum. 20 Fugiendum ergo et in se redeundum est, immo etiam a se recedendum. Hoc tibi, etsi mari dividimur, praestare temptabo, ut dubium viae iniecta manu ad meliora perducam. et ne solitudinem sentias, hinc tecum miscebo sermones. Erimus una, qua parte optimi sumus. dabimus invicem consilia, et non ex voltu audientis pen-

21 dentia. Longe te ab ista provincia abducam, ne forte magnam historiis esse fidem credas et placere tibi incipias, quotiens cogitaveris: hanc ego habeo sub meo iure provinciam, quae maximarum urbium exercitus et sustinuit et fregit, cum inter Carthaginem et Romam ingentis belli pretium iacuit, cum quatuor Romanorum principum, id est totius imperii vires contractas in unum locum vidit altamque Pompeii fortunam erexit, Caesaris

22 fatigavit, Lepidi transtulit, omnium cepit. quae illi ingenti spectaculo interfuit, ex quo liquere mortalibus posset, quam velox foret ad imum lapsus ex summo, quamque diversa via magnam potentiam fortuna destrueret: uno enim tempore vidit Pompeium Lepidumque ex maximo fastigio aliter aliterque ad extrema deiectos, cum Pompeius alienum exercitum fugeret, Lepidus suum.

1 I. Ita que, ut totum te inde abducam, quamvis multa



habeat Sicilia in se circaque se mirabilia, omnes interim provinciae tuae quaestiones praeteribo et in diversum cogitationes tuas abstraham. quaeram enim tecum id, quod superiore libro distuli: quid ita Nilus aestivis mensibus abundat? cui Danubium similis naturae philosophi tradiderunt, quod et fontis ignoti et aestate quam hieme maior sit: utrumque adparuit falsum. nam et caput eius in Germania esse conperimus et aestate quidem incipit crescere, sed adhuc manente intra mensuram suam Nilo primis caloribus, cum sol vehementior intra extrema veris nives emollit, quas ante consumit, quam Nilus intumescere incipiat: reliquo vero aestatis minuitur et ad hibernam magnitudinem redit atque ex ea dimittitur.

II. At Nilus ante ortus Caniculae augetur mediis aestibus ultra aequinoctium. hunc nobilissimum annum natura extulit ante humani generis oculos et ita disposuit, ut eo tempore inundaret Aegyptum, quo maxime usta fervoribus terra undas altius traheret tantum *hausura* quantum siccitati annuae sufficere possit. nam in ea parte, quae in Aethiopiam vergit, aut nulli imbres sunt aut rari et qui insuetam aquis coelestibus terram non adiuvent. Unam, ut scis, Aegyptus in hoc spem habet suam: proinde aut sterilis annus aut fertilis est, prout ille magnus influxit aut parcior. Nemo aratorum adspicit coelum: quare non cum poeta meo iocor et illi Ovidium suum inpingo? qui ait:

*nec Pluvio supplicat herba Iovi.*

Unde crescere incipiat si comprehendi posset, causae quoque incrementi invenirentur: nunc vero magnas solitudines pervagatus et in paludes diffusus, gentibus sparsus circa Philas primum ex vago et errante colligitur. Philae insula est aspera et undique praerupta. duobus in unum *coeuntibus* annibus cingitur, qui Nilo mutantur et eius nomen ferunt. urbs totam complectitur. Ab hac Nilus magnus magis quam violentus, egressus Aethiopiam, arenas[que], per quas ad commercia Indici maris iter est, praelabitur. excipiunt autem Cataractae, nobilis insigni

- 5 spectaculo locus. Ibi per arduas excisasque pluribus locis rupes Nilus exurgit et vires suas concitat. frangitur enim occurrentibus saxis et per angusta reluctatus, ubicumque vincit aut vincitur, fluctuat et illic primum excitatis aquis, quas sine tumultu leni alveo duxerat, violentus et torrens per malignos transitus prosilit dissimilis sibi: quippe ad id lutosus et turbidus fluit: at ubi scopulos cautium verberavit, spumat et illi non ex natura sua, sed ex iniuria loci color est. tandemque eluctatus obstantia in vastam altitudinem subito destitutus cadit cum ingenti circumiacentium regionum strepitu. quem perferre gens ibi a Persis collocata non potuit obtusis adsiduo fragore auribus et ob hoc [*mutatis*] sedibus ad quietiora translati
- 6 sunt. Inter miracula fluminis incredibilem incolarum audaciam accepi: bini parvula navigia conscendunt, quorum alter navem regit, alter exhaurit. deinde multum inter rapidam insaniam Nili et reciprocos quidem fluctus volutati tandem tenuissimos canales tenent, per quos angusta rupium effugiunt, et cum toto flumine effusi navigium ruens manu temperant magnoque spectantium metu in caput missi, cum iam adploraveris mersos[que] atque obrutos tanta mole credideris, longe ab eo, in quem ceciderunt, loco navigant tormenti modo missi. nec mergit
- 7 cadens unda, sed planis aquis tradit. Primum incrementum Nili circa insulam, quam modo retuli, Philas, nascitur. Exiguo ab hac spatio petra dividitur: *Ἄβατον* Graeci vocant, nec illam ulli nisi antistites calcant. illa primum saxa auctum fluminis sentiunt. Post spatium deinde magnum duo emicant scopuli: Nili venas vocant incolae, ex quibus magna vis funditur, non tamen quanta operire possit Aegyptum. in haec ora stipem sacerdotes et aurea dona praefecti, cum sollemne venit sacrum, iaci-
- 8 unt. Hinc iam manifestus novarum virium Nilus alto ac profundo alveo fertur, ne in latitudinem excedat, obiectu montium pressus. Circa Memphim demum liber et per campestria vagus in plura scinditur flumina manumque canalibus factis, ut sit modus in derivantium potestate, per totam discurrit Aegyptum. Initio diduci-

tur, deinde continuatis aquis in faciem lati ac turbidi maris stagnat, cursumque illi violentiamque eripit latitudo regionum, in quas extenditur dextra laevaue totam amplexus Aegyptum. Quantum crevit Nilus, tantum spei in 9 annum est. nec computatio fallit agricolam: adeo ad mensuram fluminis respondet [*terra*], quam fertilem facit Nilus. Is arenoso et sitiensi solo et aquam inducit et terram: nam cum turbulentus fluat, omnem in siccis et hi-antibus locis faecem relinquit et quicquid pingue tulit secum, arenis locis adlinit iuvatque agros duabus ex causis, et quod inundat et quod oblimat. itaque quicquid non adiuvit, sterile ac squalidum iacet. Si crevit super debitum, nocuit. Mira itaque natura fluminis, quod cum 10 ceteri amnes abluant terras et eviscerent, Nilus, tanto ceteris maior, adeo nihil exedit nec abradit, ut contra adiciat vires nimiumque in eo sit, quod solum temperat. inlato enim limo arenas saturat et iungit debetque illi Aegyptus non tantum fertilitatem terrarum, sed ipsas. Illa 11 facies pulcherrima est, cum iam se in agros Nilus ingessit: latent campi opertaeque sunt valles. oppida insularum modo exstant. nullum in mediterraneis nisi per navigia commercium est: maior est laetitia gentibus, quominus terrarum suarum vident. Sic quoque cum se ripis 12 continet Nilus, per septena ostia in mare emittitur. quodcumque elegeris ex his, mare est. multos nihilominus ignobiles ramos in aliud atque aliud litus porrigit. Ceterum beluas marinis vel magnitudine vel noxa pares educat, et ex eo quantus sit aestimari potest, quod ingentia animalia et pabulo sufficienti et ad vagandum loco continet. Balbillus, virorum optimus profectusque in omni 13 literarum genere rarissimi, auctor est, cum ipse praefectus obtineret Aegyptum, Heracleotico ostio Nili, quod est maximum, spectaculo sibi fuisse delphinorum a mari concurrentium et crocodilorum a flumine adversum agmen agentium velut pro partibus proelium. crocodilos ab animalibus placidis morsuque innoxiiis victos. His superior 14 pars corporis dura et impenetrabilis est etiam maiorum animalium dentibus, at inferior mollis ac tenera. hanc

- delphini spinis, quas dorso eminentes gerunt, submersi vulnerabant et in adversum enisi dividebant. rescissis hoc modo pluribus ceteri velut acie versa refugerunt.
- 15 Fugax animal audaci, audacissimum timido. nec illos Tentyritae generis aut sanguinis proprietate superant, sed contemptu et temeritate. ultro enim insequuntur fugientesque iniecto trahunt laqueo: plurimi quidem per-eunt, quibus minus praesens animus ad persequendum
- 16 fuit. Nilum aliquando marinam aquam detulisse Theophrastus est auctor. Biennio continuo, regnante Cleopatra non adscendisse, decimo regni anno et undecimo, constat. significatam aiunt duobus rerum potentibus defectionem: Antonii enim et Cleopatrae defecit imperium. Per novem annos non adscendisse Nilum superioribus seculis Callimachus est auctor.
- 17 Sed nunc ad inspiciendas causas, propter quas aestate Nilus crescat, accedam et ab antiquissimis incipiam. Anaxagoras ait, ex Aethiopiae iugis solutas nives ad Nilum usque decurrere. in eadem opinione omnis vetustas fuit. hoc Aeschylus, Sophocles, Euripides tradunt. sed falsum esse pluribus
- 18 argumentis patet. Primo Aethiopiam ferventissimam esse indicat hominum color adustus et Troglodytae, quibus subterraneae domus sunt. saxa velut igni fervescunt, non tantum medio, sed inclinato quoque die. ardens pulvis nec humani vestigii patiens. argentum replumbatur. signorum coagmenta solvuntur. nullum materiae superadornatae manet operimentum. auster quoque, qui ex illo tractu venit, ventus calidissimus est. nullum ex his animalibus, quae latent, bruma umquam reconditur et per hiemes in summo et aperto serpens est. Alexandria quoque longe ab inmodicis caloribus posita est: nives non
- 19 cadunt. superiora pluvia carent. Quemadmodum ergo regio tantis subiecta fervoribus duraturas per totam aestatem nives recepit? quas sane aliqui montes illic quoque excipiant: numquid magis quam Alpes, quam Thraciae iuga, quam Caucasus? atqui horum montium flumina vere et prima aestate intumescunt, deinde hibernis mi-

nora sunt: quippe vernis temporibus imbres nivem diluunt, reliquias eius primus calor dissolvit. nec Rhenus 20 nec Rhodanus nec Ister [*nec qui alii hiberno*] subiacent coelo, aestate proveniunt: et illis in septemtrionibus altissimae iugiter sunt nives. Phasis quoque *per idem* tempus et Borysthenes crescerent, si nives possent flumina contra aestatem magna producere. Praeterea si haec causa 21 adtolleret Nilum, aestate prima plenissimus fluere. tunc enim maximae et integrae adhuc nives ex mollissimoque tabes est: Nilus autem per menses quatuor liquitur et illi aequalis accessio est.

Si Thaleti credis, etesiae descendenti Nilo resistunt 22 et cursus eius acto contra ostia mari sustinent: ita re-verberatus in se recurrit nec crescit, sed exitu prohibitus resistit et quacumque mox potuit, inconcessus erumpit. Euthymenes Massiliensis testimonium dicit: „Navigavi, inquit, Atlanticum mare, unde Nilus fluit, maior quamdiu etesiae tempus observant. tunc enim eicitur mare instantibus ventis. cum resederint, et pelagus conquiescit minorque descendenti inde vis Nilo est. Ceterum dulcis mari sapor est et similes Niloticis beluae.“ Quare ergo, si Nilum etesiae provocant, et ante illos in- 23 cipit incrementum eius et post eos durat? Praeterea non fit maior, quo illi flavere vehementius, nec remittitur incitaturque, prout illis inpetus fuit, quod fieret, si illorum viribus cresceret. Quid, quod etesiae litus Aegyptium verberant et contra illos Nilus descendit, inde venturus unde illi, si origo ab illis esset? Praeterea ex mari purus et caeruleus efflueret, non ut nunc turbidus veniret. Adde, quod testimonium eius testium turba co- 24 arguitur. tunc erat mendacio locus, cum ignota essent externa, [s] libebat illis fabulas miscere: nunc vero tota exteri maris ora mercatorum navibus stringitur, quorum nemo narrat \* *nunc caeruleum Nilum* aut mare saporis alterius, \* quod et natura credi vetat, quia dulcissimum quodque et levissimum sol trahit. Praeterea quare hieme 25 non crescit? et tunc potest ventis concitari mare, aliquando quidem maioribus: nam etesiae temperati sunt.

Quod si e mari ferretur Atlantico, semel oppleret Aegyptum: at nunc per gradus crescit.

- 26 Oenopides Chius ait: hieme calorem sub terris contineri. ideo et specus calidos esse et tepidiorem puteis aquam: itaque venas interno calore siccari. Sed in aliis terris augentur flumina imbribus: Nilum quia nullo imbre adiuvetur, tenuari, deinde crescere per aestatem, quo tempore frigent interiora terrarum et redit vigor fontibus.
- 27 Quod si verum esset, aestate flumina crescerent [omnia], omnes[que] putei aestate abundarent. Deinde „calorem hieme sub terris esse maiorem“? aqua et specus et putei tepent, quia aëra rigentem extrinsecus non recipiunt: ita non calorem habent, sed frigus excludunt. ex eadem causa aestate frigescunt, quia illo remotus seductusque aer calefactus non pervenit.
- 28 Diogenes Apolloniates ait: „Sol humorem ad se rapit: hunc adsiccata tellus ex mari ducit, tum ex ceteris aquis. fieri autem non potest, ut una sicca sit tellus, alia abundet. sunt enim perforata omnia et invicem pervia et sicca ab humidis sumunt aliquando. nisi aliquid terra acciperet, exaruisset. Ergo sol undas trahit, sed ex his,
- 29 quae premit maxime: haec meridiana sunt. Terra cum exaruit, plus humoris ad se adducit. ut in lucernis oleum illo fluit, ubi exuritur, sic aqua illo incumbit, quo vis caloris et terrae aestuantis arcessit. Unde ergo trahit? ex illis scilicet partibus semper hibernis, septentrionalibus, unde exundat. ob hoc Pontus in infernum mare adsidue fluit rapidus, non ut cetera maria alternatis ultro citroque aestibus, in unam partem semper pronus et torrens. Quod nisi fieret hisque itineribus quod cuique deest, redderetur, quod cuique superest, emitteretur, iam aut sicca
- 30 essent omnia aut inundata.“ Interrogare Diogenem libet: quare, si complexus *annibus [est]* et cuncta invicem comitant, non omnibus locis aestate maiora sunt flumina? Aegyptum sol magis percoquit. itaque Nilus magis crescit: sed in ceteris quoque terris aliqua fluminibus fiat adiectio. Deinde quare ulla pars terrae sine humore, cum omnis ad se ex aliis terris trahat, eo quidem magis quo

calidior est? Deinde quare Nilus dulcis est, si haec illi e mari unda est? nec enim ulli flumini dulcior gustus. \*\*\*

III. \*\*\* [*Quaeritur, quomodo nix fiat. \*\* Nix pruinae habet similem naturam. plus illi spiritus quam aquae interest. \*\* Anaxagoras \*\* Quod inter aquam et rorem interest, hoc inter pruinae et glaciem, nec non inter nivem et grandinem interest. \*\**]

Grandinem hoc modo fieri, si tibi adfirmavero, quo apud nos glacies fit, gelata nube tota, nimis audacem rem fecero. itaque ex his me testibus numero secundae notae, qui audivisse quidem se, vidisse negant. aut quod historici faciunt, et ipse faciam: illi cum multa mentiti sunt ad arbitrium suum, unam aliquam rem nolunt spondere, sed adiciunt: „penes auctores fides erit.“ Ergo si mihi parum credis, Posidonius tibi auctoritatem promittit, tam in illo, quod praeteriit, quam in hoc, quod secuturum est. Grandinem enim fieri ex nube aquosa, iam et in humorem versa, sic adfirmabit tamquam interfuerit. Quare autem rotunda sit grando, et sine magistro scire possis, cum adnotaveris stillicidium omne glomerari. quod et in speculis adparet, quae humorem halitu colligunt, et in poculis sparsis aliaque omni laevitate. non minus foliis si quae guttae adhaeserunt, in rotundum iacent.

*Quid magis est saxo durum? quid mollius unda?*

*dura tamen molli saxa cavantur aqua.*

aut ut alius poeta ait:

*stillicidi casus lapidem cavat.*

Haec ipsa excavatio rotunda fit. ex quo adparet illud quoque huic simile esse, quod cavat. locum enim sibi ad formam et habitum sui exsculpsit. Praeterea potest, etiam si non fuit grando talis, dum defertur, conrotundari et totiens per spatium aëris densi devoluta aequabiliter atque in orbem teri. quod nix pati non potest, quia non est tam solida, immo quia tam fusa est et non per magnam altitudinem cadit, sed circa terras initium eius est: ita non longius illi per aëra, sed ex proximo lapsus est.

6 Quare non et ego mihi idem permittam, quod Anaxagoras? inter nullos magis quam inter philosophos debet esse aequa libertas: grando nihil aliud est quam suspensa glacies, nix in pruina pendens congelatio: illud enim iam diximus, quod inter aquam et rorem interest, hoc inter pruina et glaciem, nec non inter nivem et grandinem interesse.

1 IV. Poteram me peracta quaestione dimittere: sed bene mensum dabo et, quoniam coepi tibi molestus esse, quicquid in hoc loco quaeritur dicam. Quaeritur autem, quare hieme ningat, non grandinet, et vere iam frigore infracto grando cadat. Nam ut fallar tibi, verum mihi quidem persuadetur, qui me usque ad mendacia haec leviora, in quibus os percidi, non  
2 oculi erui solent, credulum praesto. Hieme aer riget et ideo nondum in aquam vertitur, sed in nivem, cui aer propinquior est: cum ver coepit, maior inclinatio sequitur temporis et calidiore coelo maiora fiunt stillicidia. ideo, ut ait Vergilius noster,

*cum ruit imbriferum ver,*

vehementior est mutatio aëris undique patefacti et solventis se ipso tepore adiuvante. ob hoc nimbi graves  
3 magis vastique quam pertinaces deferuntur. Bruma lentas pluvias habet et tenues, quales saepe solent intervenire, cum pluvia rara et minuta nivem quoque admixtam habet. dicimus nivalem diem, cum altum frigus et triste coelum est. Praeterea aquilone flante et suum coelum habente minutae pluviae sunt: austro imber improbior est et guttae pleniores.

1 V. Rem a nostris positam neque dicere audeo, quia infirma videtur, neque praeterire. quid enim mali est, aliquid et faciliori iudici scribere? immo si omnia argumenta ad obrussam coeperimus exigere, silentium indicetur. pauca enim admodum sunt sine adversario: cetera  
2 etsi vincunt, litigant. Aiunt enim, vere, quicquid circa Scythiam et Pontum et septemtrionalem plagam glaciatum et adstrictum est, relaxari. tunc flumina gelata [et lacus] discedere, tunc obrutos montes nivem solvere.



credibile est ergo frigidus spiritus inde inferri et verno coelo remisceri. Illud quoque adiciunt, quod neque sum 3 expertus neque experiri cogito. tu quoque, censeo, si voveris verum exquirere, nivem in Care experiaris: minus algere aiunt pedes eorum, qui fixam et duram nivem calcant quam eorum, qui teneram et labefactam. Ergo, si 4 non mentiuntur, quicquid ex illis septemtrionalibus locis iam disturbata nive et glacie frangente se fertur, id meridianae partis tepentem iam humidumque aëra adligat et praestringit. itaque cum pluvia futura erat, grando fit iniuria frigoris.

VI. Non tempero mihi, quo minus omnes nostrorum 1 ineptias proferam. Quosdam peritos observandarum nubium esse adfirmant et praedicere, cum grando ventura sit. hoc intellegere usu ipso potuerunt, cum colorem nubium notassent, quem grando 2 totiens insequatur. illud incredibile, Cleonis fuisse publice praepositos *χαλαζοφύλακας*, speculatores futurae grandinis. hi cum signum dedissent adesse iam grandinem, quid exspectas? ut homines ad penulas discurre- rent aut ad scortas? immo pro se quisque alius agnum immolabat, alius pullum: protinus illae nubes alio declinabant, cum aliquid gustassent sanguinis. Hoc rides? 3 accipe quod rideas magis: si quis neque agnum neque pullum habebat, quod sine damno fieri poterat, manus sibi adferebat, et, ne tu avidas aut crudeles existimes nubes, digitum suum bene acuto graphio pungebat et hoc sanguine litabat. nec minus ab huius agello grando se ver- tebat quam ab illo, in quo maioribus hostiis exorata erat.

VII. Rationem huius rei quaerunt: alteri, ut homines 1 sapientissimos decet, negant posse fieri, ut cum grandine aliquis paciscatur et tempestates munusculis redimat, quamvis munera et deos vincant. alteri suspicari ipsos aiunt esse in ipso sanguine vim quamdam potentem aver- tendae nubis ac repellendae. Sed quomodo in tam exi- 2 guo sanguine potest esse vis tanta, ut in altum penetret et illam sentiant nubes? Quanto expeditius erat dicere, mendacium et fabula est. At decuriones iudicia redde-

bant in illos, quibus delegata erat cura providendae tempestatis, quod negligentia eorum vineae vapulassent aut segetes procidissent. Et apud nos in duodecim tabulis 3 cavetur, *ne quis alienos fructus excantasset*. Rudis adhuc antiquitas credebat et adtrahi imbres cantibus et repelli, quorum nihil posse fieri tam palam est, ut huius rei causa nullius philosophi schola intranda sit.

VIII. Unam rem adhuc adiciam et favere te ac plaudere iuvabit. Aiunt nivem in ea parte aëris fieri, quae prope terras est. hanc enim plus habere caloris ex quatuor causis: una, quod omnis terrarum evaporatio, cum multum in se fervidi aridique habeat, hoc est calidior quo recentior. altera, quod radii solis a terra resiliunt et in se currunt: horum duplicatio proxima quaeque a terris calefacit, quae ideo plus habent teporis, quia solem bis sentiunt. tertia causa est, quod magis superiora perflantur, at quaecumque depressa sunt, minus ventis verberantur.

IX. Accedit his ratio Democriti: „Omne corpus quo solidius est, hoc calorem citius concipit, diutius servat. itaque si in sole posueris aeneum vas et vitreum et argenteum, aeneo citius calor accedet, diutius haerebit.“ Adicit deinde, quare existimet hoc fieri. „His, inquit, corporibus, quae duriora et pressiora sunt, necesse est minora foramina esse et tenuiorem in singulis spiritum: sequitur, ut, quemadmodum minora balnearia et minora miliaria citius calefiunt, sic haec foramina occulta et oculos fugientia et celerius fervorem sentiant et propter easdem angustias, quicquid receperint, tardius reddant.“ Haec longe praeparata ad id perducunt, de quo nunc quaeritur.

X. Omnis aer quo propior est terris, hoc crassior. quemadmodum in aqua et in humore omni ima est faex, ita in aëre spississima quaeque desidunt. iam autem probatum est omnia, quo crassioris solidiorisque materiae sunt, hoc fidelius custodire calorem receptum. Editior aer quo longius a terrarum conluvie recessit, hoc sincerior puriorque est. itaque solem non relinet, sed velut per inane transmittit. ideo minus calefit.

XI. Contra quidam aiunt cacumina montium hoc ca- 1  
 lidiora esse debere, quo sunt propiora soli: qui mihi  
 videntur errare, quod Apenninum et Alpes et alios notos  
 ob eximiam altitudinem montes in tantum putant crescere,  
 ut illorum magnitudo sentire solis viciniam possit: ex- 2  
 celsa sunt ista, quamdiu nobis conparantur: at vero ubi  
 ad universum respexeris, manifesta est omnium humilitas.  
 inter se vincuntur et vincunt: ceterum in tantum nihil  
 adtollitur, ut in collatione totius ulla sit vel maximis por-  
 tio: quod nisi esset, non diceremus totum orbem terra-  
 rum pilam esse. Pilae proprietas est cum aequalitate 3  
 quadam rotunditas. aequalitatem autem accipe hanc,  
 quam vides in lusoria pila. non multum illi commissu-  
 rae et rimae earum nocent, quo minus par sibi ab omni  
 parte dicatur: quomodo in hac pila nihil illa intervalla  
 officiant ad speciem rotundi, sic ne in universo quidem  
 orbe terrarum editi montes, quorum altitudo totius mundi  
 collatione consumitur. Qui dicit altiorem montem, quia 4  
 solem propius excipiat, magis calere debere, ille dicere  
 potest longiorem hominem citius quam pusillum debere  
 calefieri et caput citius quam pedes: at quisquis mun-  
 dum mensura sua aestimaverit et terram cogitaverit te-  
 nere puncti locum, intelletget nihil in illa posse eminere  
 ita, ut coelestia magis sentiat, velut in propinquum illis  
 accesserit. Montes isti, quos suspicimus et vertices ae- 5  
 terna nive possessi nihilominus in imo sunt. et propius  
 quidem est a sole mons quam campus aut valles, sed sic,  
 quomodo est pilus pilo crassior. isto enim modo et arbor  
 alia magis quam alia dicetur vicina coelo: quod falsum  
 est, quia inter pusilla non potest esse magnum discrimen,  
 nisi dum inter se conparantur. ubi ad collationem inmensi  
 corporis ventum est, nihil interest, quanto sit alterum  
 altero maius, quia, etiamsi magno discrimine, tamen mi-  
 nima vincuntur.

XII. Sed ut ad propositum revertar, propter has quas 1  
 retuli causas plerisque placuit in ea parte aëris nivem  
 concipi, quae vicina terris est, et ideo minus adligari,  
 quia minore rigore coit. nam vicinus aer et plus habet

frigoris, quam ut in aquam vel imbrem transeat, et minus, quam ut duretur in grandinem: hoc medio frigore non nimis intento nives fiunt coactis aquis.

- 1 XIII. „Quid istas, inquis, ineptias, quibus literatior est quisque, non melior, tam operose persequeris? quomodo fiant nives dicis, cum multo magis ad nos dici a te pertineat, quare emendae non sint nives.“ Iubes me tu cum luxuria litigare? cotidianum istud et sine effectu iurgium est. litigemus tamen, et, si superior futura est, pugnantem ac reluctantem vincat. Quid porro? hanc ipsam inspectionem naturae nihil iudicas ad id, quod vis, conferre? cum quaerimus, quomodo nix fiat, et dicimus illam pruinae habere similem naturam, plus illi spiritus quam aquae inesse, non putas exprobrari illis, cum emere aquam turpe sit, si ne aquam quidem emunt? Nos vero quaeramus potius, quomodo fiant nives quam quomodo serventur, quoniam non contenti vina diffundere, veteraria per sapes aetatesque disponere invenimus, quomodo stiparemus nivem, ut ea aestatem evinceret et contra anni fervorem defenderetur loci frigore. Quid hac diligentia consecuti sumus? nempe ut gratuitam mercemur aquam. Nobis dolet, quod spiritum, quod emere solem non possumus, quod hic aer etiam delicatis divitibusque ex facili, non emptus, venit. O quam nobis male est, quod quicquam a rerum natura
- 4 in medio relictum est! Hoc quod illa fluere et patere omnibus voluit, cuius haustum vitae publicum fecit, hoc quod tam homini quam feris avibusque et inertissimis animalibus in usum large ac beate profudit, contra se ingeniosa luxuria redegit ad pretium: adeo illi nihil placere potest nisi carum. Unum hoc erat, quod divites in aequum turbae deduceret, quo non possent antecedere pauperrimum: illi cui divitiae molestae sunt, excogitatum est, quemadmodum etiam caperet aqua luxuriam.
- 5 Quando ad hoc perventum sit, ut nulla nobis aqua satis frigida videretur quae flueret, dicam. Quamdiu sanus et salubris cibi capax stomachus est inpleturque, non premitur, naturalibus fomentis contentus est: ubi cotidianis

cruditatibus non temporis aestus, sed suos sentit, ubi ebrietas continua visceribus insedit et praecordia bile, in quam vertitur, torret, aliquid necessario quaeritur, quo aestus ille frangatur, qui ipsis aquis incalescit, remediis incitat vitium. itaque non tantum aestate, sed media hieme nivem hac causa bibunt. Quae huius rei causa est nisi 6  
intestinum malum et luxu corrupta praecordia, quibus nullum intervallum unquam, quo interquiescerent, datum est, sed prandia coenis usque in lucem perductis ingesta sunt et distentos copia ferculorum ac varietate comessatio altius mersit. deinde numquam intermissa intemperantia quicquid avidè coxerat, efferavit et in desiderium semper novi rigoris accendit. Itaque quamvis 7  
coenationem velis ac specularibus muniant et igne multo doment hiemen, nihilominus stomachus ille solutus et aestu suo languidus quaerit aliquid, quo erigatur. nam sicut animo relictos stupentesque aqua frigida spargimus, ut ad sensum sui redeant: ita viscera istorum vitiis torpentia nihil sentiunt, nisi frigore illa vehementiori peruseris. Inde est, inquam, quod nec nive [quidem] contenti 8  
sunt, sed glaciem, velut certior illi ex solido rigor sit, exquirunt ac saepe repetitis aquis diluunt: quae non e summo tollitur, sed ut vim maiorem habeat et pertinacius frigus, ex abdito effoditur. itaque ne unum quidem est pretium, sed habet institores aqua et annonam, pro pudor, variam. Unguentarios Lacedaemonii urbe expu 9  
lerunt et propere cedere finibus suis iusserunt, quia oleum disperderent: quid illi, si vidissent reponendae nivis officinas et tot iumenta portandae aquae deservientia, cuius colorem saporemque paleis, quibus custodiunt, inquinant? At, di boni, quam facile est extinguere sitim sanam! Sed quid sentire possunt emortuae fauces et 10  
occellatae cibus ardentibus? Quemadmodum nihil illis satis frigidum, sic nihil satis calidum est, sed ardentibus boletos et raptim indumento suo mersatos demittunt paene fumantes, quos deinde restinguant nivatis potionibus. Videbis, inquam, quosdam graciles et palliolo focalique circumdatos, pallentes et aegros non sorbere solum ni-

ven, sed etiam esse et frustra eius in scyphos suos de-  
 11 cere inter ipsam bibendi moram. Sitim esse putas? febris  
 est, et quidem eo acrior, quod non tactu venarum neque  
 in cutem effuso calore deprehenditur, sed cor ipsum ex-  
 coquit luxuria, invictum malum et ex molli fluidoque du-  
 rum atque patiens. non intellegis omnia consuetudine  
 vim suam perdere? itaque nix ista, in qua iam etiam na-  
 tatis, eo pervenit usu et cotidiana stomachi servitute, ut  
 aquae locum obtineat. Aliquid adhuc quaerite illa frigi-  
 dius, quia pro nihilo est familiaris rigor.

---

## L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

# NATURALIUM QUESTIONUM

LIBER V.

---

1 I. Ventus est fluens aer. Quidam ita definierunt:  
 ventus est aer fluens in unam partem. Haec de-  
 finitio videtur diligentior, quia numquam aer tam inmo-  
 bilis est, ut non in aliqua sit agitatione. sic tranquillum  
 mare dicitur, cum leviter movetur neque in unam partem  
 inclinatur. Itaque si legeris:

*cum placidum ventis staret mare,*

scito illud non stare, sed succuti leviter et dici tranquil-  
 2 lum, quia neque huc neque illo inpetum faciat. Idem et  
 de aëre iudicandum est, non esse umquam immobilem,  
 etiamsi quietus sit. quod ex hoc intellegas licet: cum  
 sol in aliquem clausum locum infusus est, videmus cor-  
 puscula minima in adversum ferri, alia sursum, alia de-  
 3 orsum varie concursantia. Ergo ut parum diligenter con-  
 prehendet, quod vult, qui dixerit: „fluctus est maris agi-  
 tatio,“ quia tranquillum quoque agitur, at ille abunde

sibi caverit, cuius haec definitio fuerit: „fluctus est maris in unam partem agitatio“: sic in hac re, quam cum maxime quaerimus, non circumscribetur, qui ita se gesserit, ut dicat: „ventus est fluens aer in unam partem“ aut „aer fluens inpetu“ aut „vis aëris in unam partem euntis“ aut „cursus aëris aliquo concitator.“ Scio quid 4 responderi pro definitione altera possit: quid necesse est adicere te: „in unam partem fluens aer?“ utique enim, quod fluit, in unam partem fluit. nemo aquam fluere dicit, si tantum intra se movetur, sed si aliquo fertur. potest ergo aliquid moveri et non fluere, et e contrario non potest fluere nisi in unam partem. Sed sive haec 5 brevitatis satis a calumnia tuta est, hac utamur: sive aliquis circumspiciendus est, verbo non parcat, cuius adiectio cavillationem omnem poterit excludere. Nunc ad ipsam rem accedamus, quoniam satis de formula disputatum est.

II. Democritus ait: cum in angusto inani multa sint corpuscula, quae ille atomos vocat, sequi ventum. at contra quietum et placidum aëris statum esse, cum in multo inani pauca sint corpuscula. nam quemadmodum in foro aut vico, quamdiu paucitas est, sine tumultu ambulatur, ubi turba in angustum concurrerit, aliorum in alios incidentium rixa fit: sic in hoc, quo circumdati sumus, spatio cum exiguum locum multa corpora impleverint, necesse est alia aliis incidant et impellant ac repellantur implicenturque et comprimantur, ex quibus nascitur ventus, cum illa, quae conluctabantur, incubuere et diu fluctuata ac dubia inclinavere se. at ubi in magna laxitate corpora pauca versantur, nec arietare possunt nec impelli.

III. Hoc falsum esse vel ex eo colligas licet, quod 1 interim ventus minime est, cum aer nubilo gravis est. atqui tunc plurima corpora se in angustum contulerunt et inde est spissarum nubium gravitas. Adice nunc, quod 2 circa flumina et lacus frequens nebula est artatis congestisque corporibus neque tamen ventus est. interdum vero multa caligo effunditur, ut conspectum in vicino

stantium eripiat, quod non eveniret, nisi in parvum locum corpora se multa compellerent. atqui nullum tempus magis quam nebulosum caret vento. Adice nunc, quod e contrario evenit, ut sol matutinum aëra spissum et humidum ortu suo tenuet: tunc surgit aura, cum datum est laxamentum corporibus et stipatio illorum ac turba resoluta est.

1 IV. „Quo modo ergo, inquis, fiunt venti, quoniam hoc [modo] negas fieri?“ Non uno modo: alias enim terra ipsa vim magnam aëris eicit et ex abdito spirat, alias cum magna et continua ex \*imo evaporatio in altum egit quae emiserat, inmutatio ipsa halitus mixti in ventum vertitur. Illud enim neque ut credam mihi persuaderi potest neque ut taceam: quomodo in nostris corporibus cibo fit inflatio, quae non sine magna narium iniuria emittitur et ventrem interdum cum sono exonerat, interdum secretius: sic putant et hanc magnam rerum naturam alimenta mutantem emittere spiritum. Bene nobiscum agitur, quod semper concoquit et sic emittit: alioquin inmundius aliquid timeremus. Numquid ergo hoc verius est dicere, multa ex omni parte terrarum et adsidua ferri corpuscula, quae cum coacervata sunt, deinde extenuari sole coeperint, quia omne, quod in angusto dilatatur, spatium maius desiderat, ventus existit?

1 V. Quid ergo? hanc solam esse causam venti existimo, aquarum terrarumque evaporationes? ex his gravitatem aëris deinde solvi inpetu, cum quae densa steterant, ut est necesse, extenuata nituntur in ampliorem locum? Ego vero et hanc iudico: ceterum illa est longe valentior veriorque, habere aëra naturalem vim movendi se neque aliunde concipere, sed inesse illi ut aliarum rerum, ita huius potentiam. An hoc existimas, nobis quidem datas vires, quibus nos moveremus, aëra autem relictum inertem et inagitabilem esse? cum aqua motum suum habeat etiam ventis quiescentibus. non enim aliter animalia edere posset. muscum quoque innasci aquis et herbosa quaedam videmus summo earum innatantia. Est ergo aliquid in aqua vitale.



VI. De aqua dico? ignis, qui omnia consumit, quaedam creat, et quod videri non potest simile veri, tamen verum est, animalia igne generari. Habet ergo vim aliquam talem aer et ideo modo spissat se, modo expandit se et purgat et alias contrahit, diducit ac differt. Hoc ergo interest inter aëra et ventum, quod inter lacum et flumen. Aliquando per se ipse sol causa venti est fundens rigentem aëra et ex denso coactoque explicans.

VII. In universum de ventis diximus, nunc i viritim incipiamus illos excutere: fortasse adparebit quemadmodum fiant, si adparuerit, quando et unde procedant. Primum ergo antelucanos flatus inspiciamus, qui aut ex fluminibus aut ex convallibus aut ex aliquo sinu feruntur. Nullus ex his per-2 tinax est, sed cadit fortiore iam sole nec fert ultra terrarum conspectum. Hoc ventorum genus incipit vere nec ultra aestatem durat et inde maxime venit, ubi aquarum plurimum et montium est. plana licet abundant aquis, ca- rent aura, hac dico, quae pro vento valet.

VIII. „Quomodo ergo talis flatus concipi-1 tur, quem Graeci encolpiam vocant?“ Quicquid ex se paludes et flumina remittunt, id autem et multum est et adsiduum, per diem solis alimentum est. nocte non exhauritur et montibus inclusum in unam regionem colligitur. cum illam inplevit et iam se non capit, exprimitur aliquo et in unam partem procedit: hic ventus est. itaque eo incumbit, quo liberior exitus invitat et loci laxitas, in quam coacervata decurrant. Huius rei argumen-2 tum est, quod prima noctis parte non spirat, incipit enim fieri illa collectio, quae circa lucem iam plena est. onerata quaerit, quo defluat, et eo potissimum exit, ubi plurimum vacui est et magna ac patens area. adicit autem ei stimulos ortus solis feriens gelidum aëra. nam etiam antequam adpareat, lumine ipso valet et nondum quidem radiis aëra inpellit, iam tamen lacessit et inritat luce praemissa: nam cum ipse processit, alia superius rapiuntur, 3 alia distrahuntur tepore: ideo non ultra matutinum illis datur fluere. omnis illorum vis conspectu solis exstingui-

tur, et si violentiores flavere, circa medium tamen diem relanguescunt nec usquam usque in meridiem aura producitur. Alia autem [*aliâ*] inbecillior ac brevior est, prout valentioribus minoribusve collecta causis est.

- 1 IX. „Quare tamen tales venti vere et aestate validiores sunt?“ (levissimi enim cetera parte anni neque qui velum impleant surgunt): quia ver aquosius est et ex pluribus aquis locisque ob humidam coeli naturam saturis et redundantibus maior evaporatio est.
- 2 „At quare aestate profunditur?“ quia post occasum solis remanet diurnus calor et magna noctis parte perdurat, qui evocat exeuntia ac vehementius trahit, quicquid ex his sponte reddi solet. deinde non tantum habet virium, ut quod evocavit absumat. ob hoc diutius corpuscula, emanare solita et efflari, terra ex se atque humor emit-
- 3 tunt. Facit autem ventum sol ortus non calore tantum, sed etiam ictu. lux enim, ut dixi, quae solem antecedit, nondum aëra calefacit, sed percutit tantum. percussus autem in latus, cedit, quamquam ego ne illud quidem concesserim, lucem ipsam sine calore esse, cum ex calore sit: non habet forsitan tantum teporis, quantum tactu adpareat, opus tamen suum facit et densa diducit ac tenuat. praeterea loca, quae aliqua iniquitate naturae ita clausa sunt, ut solem accipere non possint, illa nebulosa quoque et tristi luce calefiunt et per diem minus quam
- 5 noctibus rigent. Etiam nunc natura calor omnis abigit nebulas et a se repellit: ergo sol quoque idem facit, et ideo, ut quibusdam videtur, inde flatus est, unde sol.
- 1 X. Hoc falsum esse ex eo adparet, quod natura in omnem partem aëra vehit et contra ortum plenis ventis navigatur, quod non eveniret, si semper ventus ferretur a sole. Etesiae quoque, qui in argumentum a quibusdam advocantur, non nimis propositum adjuvant. Dicam primum, quid illis placeat, deinde, cur displiceat mihi. „Etesiae, inquiunt, hieme non sunt, quia brevissimis diebus sol desinit, priusquam frigus evincatur. itaque nives et ponuntur et durant: aestate inci-

piunt flare, cum et[iam] longius extenditur dies et recti in nos radii diriguntur. Veri ergo simile est concussas 3 calore magno nives plus humidi efflare. item terras exoneratas nive reiectasque spirare liberius. ita plura ex septentrionali parte coeli corpora exire et in haec loca, quae sunt submissiora ac tepidiora, deferri. sic inpetum etesias sumere: et ob hoc a solstitio illis initium est, ultra ortum Caniculae non valent, quia iam multum e frigida coeli parte in hanc coniectum est. ac sol mutato cursu in 4 nostra rectior intenditur et alteram partem aëris adtrahit, aliam vero inpellit. Sic ille etesiarum flatus aestatem frangit et a mensium ferventissimorum gravitate defendit.

XI. Nunc quod promisi dicendum est, quare 1 etesiae vos non adiuvent neque quicquam huic conferant causae. Dicimus ante lucem auram incitari, eandem subsidere, cum illam sol attingit. atqui etesiae ob hoc somniculosi a nautis et delicati vocantur, quod, ut ait Gallio, *mane nesciunt surgere*: eo tempore fere incipiunt prodire, quo ne pertinax quidem aura est. quod non accideret, si ut auram, ita illos sol commoveret. Adice nunc, quod si causa illis flatus est diei spa- 2 tium ac longitudo, etiam ante solstitium flarent, cum longissimi dies sunt et cum maxime nives tabescunt. Iulio enim mense iam despoliata sunt omnia aut certe admodum pauca iacent adhuc sub nive.

XII. Sunt quaedam genera ventorum, quae ruptae 1 nubes et in primum solutae emittunt: hos Graeci ventos eenephas vocant. qui hoc, ut puto, modo fiunt: cum magna inaequalitas ac dissimilitudo corporum, quae vapor terrenus emittit, in sublime eat et alia ex his corporibus sicca sint, alia humida, ex tanta discordia corporum inter se pugnantium, cum in unum conglobata sunt, verisimile est quasdam cavas effici nubes et intervalla inter illas relinqui fistulosa et in modum tibiae angusta. His intervallis tenuis includitur spiritus, 2 qui maius desiderat spatium, cum everberatus cursu parum libero incalevit et ob hoc amplior fit, scinditque cingentia et erumpit in ventum, qui fere procellosus est,

quia superne dimittitur, et in nos cadit vehemens et acer, quod non fusus neque per apertum venit, sed laborat et iter sibi vi ac pugna parat. Hic fere brevis flatus est, quia receptacula nubium, per quae ferebatur, ac munita perrumpit. ideo tumultuosus venit, aliquando non  
 3 sine igne ac sono coeli. Hi venti multo maiores diuturnioresque sunt, si alios quoque flatus ex eadem causa fluentes in se abstulerunt et in unum confluxere plures, sicut torrentes modicae magnitudinis eunt, quamdiu separatis suis cursus est: cum vero plures in se aquas converterunt, fluminum iustorum ac perennium magnitudinem excedunt. Idem credibile est fieri et in procellis, ut breves sint, quamdiu singulae sunt: ubi vero sociare vires et ex pluribus coeli partibus elisus spiritus eodem se contulit, et inpetus illis accedit et mora. Facit ergo ventum resoluta nubes. quae pluribus modis solvitur: nonnumquam conglobationem illam spiritus rumpit [nonnumquam] inclusi et in exitum nitentis luctatio, nonnumquam calor, quem modo sol fecit, modo ipsa arietatio magnorum inter se corporum et adtritum.

1 XIII. Hoc loco, si tibi videtur, quaeri potest, cur turbo fiat. Evenire in fluminibus solet, ut, quamdiu sine impedimento feruntur, simplex et rectum illis iter sit: ubi incurrerunt in aliquod saxum ad latus ripae prominens, retorqueantur et in orbem aquas sine exitu flectant, ita ut circumlatae in se sorbeantur et vorticem efficiant. Sic ventus, quamdiu nihil obstat, vires suas effundit: ubi aliquo promuntorio repercussus est aut vi locorum coeuntium in canalem devexum tenuemque collectus, saepius in se volutatur similemque illis, quas diximus  
 3 converti aquas, facit vorticem. Hic ventus circumactus et eundem ambiens locum ac se ipsa vertigine concitans turbo est. qui si pugnacior est ac diutius volutatur, inflammatur et efficit quod praetera Graeci vocant: hic est igneus turbo. \* Hinc fere omnia pericula venti erupti de nubibus prodeunt\*, quibus armenta rapiantur et totae naves in sublime tollantur.

4 Etiamnunc quidam venti diversos ex se generant et

impulsum aëra in alias quoque partes quam in quas ipsi inclinavere, dispergunt. Illud quoque dicam, quod mihi occurrit: quemadmodum stillicidia, quamvis iam inclinent se et labantur, nondum efficere lapsum, sed ubi plura coiere et turba vires dedit, tunc fluere et ire dicuntur: sic quamdiu leves sunt aëris motus agitati pluribus locis, nondum ventus est. tunc esse incipit, cum omnes illos miscuit et in unum inpetum contulit. Spiritum a vento modus separat: vehementior enim spiritus ventus est, invicem spiritus leniter fluens aer.

XIV. Repetam nunc, quod primo dixeram, 1  
edi e specu ventos recessuque interiore terrarum. Non tota solido contextu terra in imum usque fundatur, sed multis partibus cava

*et caecis suspensa latebris.*

[*aliubi aquis plena*], aliubi habet inania sine humore. Ibi 2  
etiamsi nulla lux discrimen aëris monstrat, dicam tamen  
nubes nebulasque in obscuro consistere. nam ne hae quidem super terras, quia videntur, sunt, sed quia sunt, videntur. illic quoque nihilo minus ob id sunt, quod non videntur. Flumina illic scias licet nostris paria sublabi, alia leniter ducta, alia in confragosis locis praecipitando sonantia. Quid ergo? non illud aequè dabis, esse aliquos et sub terra lacus et quasdam aquas sine exitu stagnare? Quae si ita sunt, necesse est et illud, aëra onerari oneratumque incumbere et ventum propulsu suo concitare. Ex illis ergo subterraneis nubibus sciemus nutriri inter obscura flatus, dum tantum virium fecerunt, quanto aut terrae obstantia auferant aut aliquod apertum ad hos efflatus iter occupent et per hanc cavernam in nostras sedes efferantur. Illud vero manifestum est, magnam esse 4  
sub terris vim sulphuris et aliorum non minus ignem alentium. per haec loca cum se exitum quaerens spiritus torsit, accendat flammam ipso adfrietu necesse est: deinde flammis lätius fuis, etiamsi quid ignavi aëris erat, extenuatum moveri et viam cum fremitu vasto atque inpetu quaerere. Sed haec diligentius persequar, cum quaeram de motibus terrae.

- 1 XV. Nunc mihi permittite narrare fabulam. Asclepiodotus auctor est demissos quam plurimos a Philippo in metallum antiquum, olim destitutum, ut exploraret, quae ubertas eius esset, quis status, an aliquid futuris reliquisset vetus avarita. descendisse illos cum multo lumine et multos duraturo dies. deinde longa via fatigatos vidisse flumina ingentia et conceptus aquarum inertium vastos, pares nostris nec compressos quidem terra supereminente, sed liberae laxitatis, non sine hor-
- 2 rore visos. Cum magna hoc legi voluptate. intellexi enim seculum nostrum non novis vitiis, sed iam inde antiquitus traditis laborare nec nostra aetate primum avaritiam venas terrarum lapidumque rimatam in tenebris male abstracta quaesisse. Illi maiores nostri, quos celebramus laudibus, quibus dissimiles esse nos querimur, spe ducti montes ceciderunt et supra lucrum sub ruina steterunt.
- 3 Ante Philippum Macedonem reges fuere, qui pecuniam in altissimis usque latebris sequerentur et recto spiritu liberoque in illos se dimitterent specus, in quos nullum noctium dierumque perveniret discrimen. A tergo lucem relinquere quae tanti spes fuit? quae tanta necessitas hominem ad sidera erectum incurvavit et defodit et in fundum telluris intimae mersit, ut erueret aurum non minore
- 4 periculo quaerendum quam possidendum? Propter hoc cuniculos egit et circa praedam lutulentam inertemque reptavit oblitus dierum, oblitus naturae melioris, a qua se avertit. Ulli ergo mortuo terra tam gravis est quam istis, supra quos avaritia ingens terrarum pondus iniecit, quibus abstulit coelum, quos in imo, ubi illud malum virus latitat, infodit? illo descendere ausi sunt, ubi novam rerum positionem, terrarum pendentium habitus ventosque per caecum inane experirentur et aquarum nulli fluentium horridos fontes et altam perpetuamque noctem: deinde cum ista fecerunt, inferos metuunt.
- 1 XVI. Sed ut ad id, de quo agitur, revertar, venti quatuor sunt, in ortum, occasum, meridiem septentrionemque divisi. Ceteri, quos variis nominibus adpellamus, his adplicantur.

*Eurus ad Auroram Nabataeaeque regna recessit  
 Persidaeque et radiis iuga subdita matutinis.  
 Vesper et occiduo quae litora sole tepescunt,  
 Proxima sunt zephyris. Scythiam septemque triones  
 Horrifer invasit boreas: contraria tellus  
 Nubibus adsiduis pluvioque madescit ab austro.*

Vel si brevius illos complecti mavis, in unam tempesta- 2  
 tem, quod nullo modo fieri potest, congregentur:

*una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis  
 Africus*

et, qui locum in illa pugna non habuit, Aquilo. Quidam 3  
 illos duodecim faciunt: quatuor enim coeli partes in ter-  
 nas dividunt et singulis ventis binos subpraefectos dant.  
 Hac arte Varro, vir diligens, illos ordinat, nec sine causa.  
 non enim eodem loco semper sol oritur aut occidit, sed  
 alius est ortus occasusque aequinoctialis, bis autem ae-  
 quinoctium est, alius solstitialis, alius hibernus. Qui 4  
 surgit ab oriente aequinoctiali, subsolanus apud nos  
 dicitur, Graeci illum aphelioten vocant. ab oriente  
 hiberno eurus exit, quem nostri vocavere volturnum.  
 et Livius hoc illum nomine adpellat in illa pugna Roma-  
 nis parum prospera, in qua Hannibal et contra solem  
 orientem exercitum nostrum et contra ventum constituit,  
 tum venti adiutorio ac fulgoris praestringentis oculos ho-  
 stium vicit. Varro quoque hoc nomen usurpat. sed et  
 eurus iam civitate donatus est et nostro sermoni non  
 tamquam alienus intervenit. ab oriente solstitiali excita-  
 tum καίριον Graeci adpellant, apud nos sine nomine  
 est. Aequinoctialis occidens favonium mittit, quem 5  
 zephyrum esse dicent tibi etiam, qui Graece nesciunt lo-  
 qui. a solstitiali occidente corus venit, qui apud quos-  
 dam argestes dicitur: mihi non videtur, quia cori vio-  
 lenta vis est et in unam partem rapax, argestes fere mol-  
 lis est et tam euntibus communis quam redeuntibus. ab  
 occidente hiberno africus furibundus et ruens, apud  
 Graecos lips dicitur. A septemtrionali latere summus 6  
 est aquilo, medius septemtrio, imus thrascias:  
 huic deest apud nos vocabulum. A meridiano axe euro-

notus est: deinde notus, latine auster. deinde leuconotus, qui apud nos sine nomine est.

- 1 XVII. Placet autem duodecim ventos esse, non quia ubique tot sint, quosdam enim inclinatio terrarum excludit, sed quoniam nusquam plures sunt. sic casus sex dicimus, non quia omne nomen sex recipit, sed quia nullum plures quam sex. Qui duodecim ventos esse dixerunt, hoc secuti sunt, totidem ventos esse quot coeli discrimina. coelum enim dividitur in circulos quinque, qui per mundi cardines eunt: est septemtrionalis, est aequinoctialis, est solstitialis, est brumalis, est contrarius septemtrionali. his sextus accedit, qui superiorem partem mundi ab inferiore secernit: ut scis enim, dimidia pars mundi semper supra, dimidia
- 3 infra est. Hanc lineam, quae inter aperta et occulta est, id est hunc circulum Graeci horizonta vocant, nostri finitorem dixerunt, alii finientem. Adiciendus est adhuc meridianus circulus, qui horizonta rectis angulis secat. Ex his quidam circuli in transversa currunt et alios interventu suo scindunt. necesse est autem tot aëris
- 4 discrimina esse quot partes. Ergo horizon sive finiens circulus quinque illos orbes, quos modo dixi fieri, secat et efficit decem partes, quinque ab ortu, quinque ab occasu. meridianus circulus, qui in horizonta incurrit, regiones duas adiecit: sic duodecim aer discrimina accipit
- 5 et totidem facit ventos. Quidam sunt quorundam locorum proprii, qui non transmittunt, sed in proximum ferunt. non est illis a latere universi mundi inpetus: Atabulus Apuliam infestat, Calabriam Iapyx, Athenas Sciron, Pamphyliam *Cataegis*, Galliam Circius: cui aedificia quassanti tamen incolae gratias agunt, tamquam salubritatem coeli sui debeant ei. divus certe Augustus templum illi, cum in Gallia moraretur, et vovit et fecit. Infinitum est, si singulos velim persequi. nulla enim propemodum regio est, quae non habeat aliquem flatum ex se nascentem et circa se cadentem.

- 1 XVIII. Inter cetera itaque providentiae opera hoc quoque aliquis ut dignum admiratio-



ne suspexerit: non enim ex una causa ventos aut invenit aut per diversa disposuit, sed primum, ut aëra non sinerent pigrescere, sed adsidua vexatione utilem redderent vitalemque tracturis. deinde ut imbres terris subministrarent iidemque nimios conpescerent. nam modo adducunt nubes, modo diducunt, ut per totum orbem pluviae dividi possent: in Italiam auster inpellit, aquilo in Africam reicit, etesiae non patiuntur apud nos nubes consistere. iidem totam Indiam et Aethiopiam continuis per id tempus aquis inrigant. Quid, quod 3 fruges percipi non possent, nisi flatu supervacua [et] mixta servandis ventilarentur, nec esset, quod segetem excitaret et latentem frugem ruptis velamentis suis, quae folliculos agricolae vocant, adaperiret? Quid, quod 4 omnibus inter se populis commercium dedit et gentes dissipatas locis miscuit? ingens naturae beneficium, si illud in iniuriam suam non vertat hominum furor! nam quod de Caesare maiori volgo dictatum est et a Tito Livio positum, *in incerto esse, utrum illum nasci magis reipublicae profuerit an non nasci*, dici etiam de ventis potest: adeo quicquid ex illis utile et necessarium est, non potest his repensari, quae in perniciem suam generis humani dementia excogitat. Sed non ideo non sunt ista natura bona, si vitio male utentium nocent. Non in hoc providentia ac dispositor ille mundi deus exercendum ventis aëra dedit et illos ab omni parte, ne quid esset situ squalidum, effudit, ut nos classes partes freti occupaturas conpleremus milite armato et hostem in mari aut post mare quaereremus. Quae nos dementia 6 exagitat et in mutuum conponit exitium? vela ventis damus bellum petituri et periclitamur periculi causa. incertam fortunam experimur, vim tempestatum nulla ope humana superabilem, mortem sine spe sepulturae. Non 7 erat tanti, si ad pacem per ista vehèremur: nunc cum evaserimus tot scopulos latentes et insidias vadosi maris, cum effugerimus procellosos desuper montes, per quos praeceps in navigantes ventus inpingitur, cum involutos nubilo dies et nimbis ac tonitribus horrendas noctes, cum

turbinibus divulsa navigia: quis erit huius laboris ac metus fructus? quis nos fessos tot malis portus excipiet? bellum scilicet et obvius in litore hostis et trucidandae gentes tracturae ex maxima parte victorem et antiquarum  
8 urbium flamma. Quid in arma cogimus populos? quid exercitus scribimus directuros aciem in mediis fluctibus? quid maria inquietamus? parum videlicet ad mortes nostras terra late patet. nimis delicate fortuna nos tractat: nimis dura dedit nobis corpora, felicem valitudinem. non depopulatur nos casus incurrens. emetiri cuique annos suos ex commodo licet et ad senectutem decurrere. itaque eamus in pelagus et vocemus in nos fata cessantia.

9 Miseri, quid quaeritis? mortem, quae ubique superest? petet illa vos et ex lectulo: sed innocentes petat. occupabit nos in nostra domo: sed occupet nullum molientes malum. Hoc vero quid aliud quis dixerit quam insaniam, circumferre pericula et ruere in ignotos, iratum sine iniuria, occurrentia devastantem ac ferarum more occidere quem non oderis? illis tamen in ultionem aut ex fame morsus est: nos sine ulla parsimonia nostri alienique sanguinis movemus manum et navigia deducimus, salutem committimus fluctibus, secundos optamus ventos,  
10 quorum felicitas est ad bella perferri. Quousque nos mala nostra rapuerunt? parum est intra orbem suum furere: sic Persarum rex stolidissimus in Gracciam traiciet, quam exercitus non vincet, cum impleverit. sic Alexander ulterior Bactris et Indis volet quaerere, quid sit ultra magnum mare, et indignabitur esse aliquid ultimum sibi. sic Parthis avaritia Crassum dabit: non horrebit diras revocantis tribuni, non tempestates longissimi maris, non circa Euphratem praesaga fulmina et deos resistentes.

11 per hominum et deorum iras ad aurum ibitur. Ergo non inmerito quis dixerit rerum naturam melius acturam fuisse nobiscum, si ventos flare vetuisset et inhibito discursu furentium in sua quemque terra stare iussisset: si nihil aliud, certe suo quisque tantum ac suorum malo nasceretur: nunc parum mihi domestica, externis quoque la-  
12 borandum est. Nulla terra tam longe remota est, quae

non emittere aliquod suum malum possit: unde scio, an nunc aliquis magnae gentis in abdito dominus fortunae indulgentia tumens non contineat intra terminos arma, an paret classes ignota moliens? unde scio, hic mihi an ille ventus bellum invehet? magna pars erat humanae pacis maria praeccludi. Non tamen, ut paulo ante dicebam, 13 queri possumus de auctore nostri deo, si beneficia eius corrupimus et ut essent contraria effecimus. Dedit ille ventos ad custodiendam coeli terrarumque temperiem, ad evocandas suppressendasque aquas, ad alendos satorum atque arborum fructus, quos ad maturitatem cum aliis causis adducit ipsa iactatio adtrahens cibum in summa et ne torpeant permovens. dedit ventos ad ulteriora no- 14 scenda: fuisset enim inperitum animal et sine magna experientia rerum homo, si circumscriberetur natalis soli fine. dedit ventos, ut commoda cuiusque regionis fierent communia, non ut legiones equitemque gestarent nec ut perniciosa gentium arma transveherent. Si beneficia na- 15 turae utentium pravitate perpendimus, nihil non nostro malo accepimus: cui videre expedit? cui loqui? cui non vita tormentum est? nihil invenies tam manifestae utilitatis, quod non in contrarium transeat culpa: sic ventos quoque natura bonos futuros invenerat: ipsi illos contrarios fecimus. omnes in aliquod nos malum ducunt. Non 16 eadem est his et illis causa solvendi, sed iusta nulli. diversis enim inritamentis ad temptandum mare impellimur. utique alicui vitio navigatur. Egregie Plato dicit, qui nobis circa exitum iam testium loco dandus est, *minima esse, quae homines emant vita*. Immo, Lucili carissime, si bene illorum furorem aestimaveris, id est nostrum, in eadem enim turba volutamur, magis ridebis, cum cogitaveris vitae parari, in quae vita consumitur.

---

**L. ANNAEI SENECAE**  
**AD LUCILIUM**  
**NATURALIUM QUÆSTIONUM**  
**LIBER VI.**

---

1 I. Pompeios, celebrem Campaniæ urbem, in quam  
ab altera parte Surrentinum Stabianumque litus, ab altera  
Herculanense conveniunt et mare ex aperto reductum  
amoeno sinu cingunt, consedisæ terræ motu vexatis  
quæcumque adiacebant regionibus, Lucili virorum opti-  
me, audivimus, et quidem hibernis diebus, quos vacare  
2 a tali periculo maiores nostri solebant promittere. Nonis  
Februariis hic fuit motus Regulo et Verginio Consulibus,  
qui Campaniam numquam securam huius mali, indemnem  
tamen et toliens defunctam metu, magna strage vastavit:  
nam et Herculanensis oppidi pars ruit dubieque stant  
etiam quæ relicta sunt, et Nucerinorum colonia ut sine  
clade, ita non sine querela est. Neapolis quidem priva-  
tim multa, publice nihil amisit leniter ingenti malo per-  
stricta. villæ vero præruptæ passim sine iniuria tre-  
3 muere. Adiciuntur his illa: sexcentarum ovium gregem  
exanimatum et divisas statuas, motæ post hoc mentis  
aliquos atque inpotentes sui errasse. quorum ut causas  
excutiamus, et propositi operis contextus exigit et ipse  
4 in hoc tempus congruens casus. Quaerenda sunt  
trepidis solatia et demendus ingens timor.  
quid enim cuiquam satis tutum videri potest, si mundus  
ipse concutitur et partes eius solidissimæ labant? si quod  
unum immobile est in illo fixumque, ut cuncta in se in-  
tenta sustineat, fluctuat, si quod proprium habet terra,  
perdidit, stare: ubi tandem resident metus nostri? quod  
corpora receptaculum invenient? quo titubantia confu-  
5 gient, si ab imo metus nascitur et funditus trahitur? Con-

sternatio est omnium, ubi tecta crepuerunt et ruina signum  
 dedit. tunc praeceps quisque se proripit et penates suos  
 deserit ac se publico credit: quam latebram prospicimus,  
 quod auxilium, si orbis ipse ruinas agitat? si hoc quod  
 nos tuetur ac sustinet, supra quod urbes sitae sunt, quod  
 fundamentum quidam orbis esse dixerunt, discedit ac  
 titubat? Quid tibi esse, non dico auxilii, sed solatii pot- 6  
 est, ubi timor fugam perdidit? quid est, inquam, satis  
 munitum? quid ad tutelam alterius et sui firmum? Hostem  
 muro repellam et praeruptae altitudinis castella vel ma-  
 gnos exercitus difficultate aditus morabuntur. a tempe-  
 state nos vindicant portus. nimborum vim effusam et sine  
 fine cadentes aquas tecta propellunt. fugientes non se-  
 quitur incendium. adversus tonitrua et minas coeli sub-  
 terraneae domus et defossi in altum specus remedia sunt.  
 ignis ille coelestis non transverberat terram, sed exiguo  
 eius obiectu retunditur. in pestilentia mutare sedes licet.  
 nullum malum sine effugio est. numquam fulmina popu- 7  
 los perusserunt. pestilens coelum exhaustit urbes, non  
 abstulit: hoc malum latissime patet, inevitabile, avidum,  
 publice noxium. non enim domos solum aut familias aut  
 urbes singulas haurit: gentes totas regionesque submer-  
 sit, et modo ruinis operit, modo in altam voraginem con-  
 dit ac ne id quidem relinquit, ex quo adpareat, quod non  
 est, saltem fuisse, sed supra nobilissimas urbes sine ullo  
 vestigio prioris habitus solum extenditur. Nec desunt, 8  
 qui hoc genus mortis magis timeant, quo in abruptum  
 cum sedibus suis eunt et e vivorum numero vivi auferun-  
 tur, tamquam non omne fatum ad eundem termi-  
 num veniat. Hoc habet inter cetera iustitiae suae na-  
 tura praecipuum, quod cum ad exitum ventum est, omnes  
 in aequo sumus. Nihil itaque interest utrum me lapis 9  
 unus elidat an monte toto premar, utrum super me do-  
 mus unius onus veniat et sub exiguo eius tumulo ac pul-  
 vere exspirem, an totus caput meum terrarum orbis abs-  
 condat, in luce hunc et in aperto spiritum reddam, an  
 in vasto terrarum dehiscentium sinu, solus in illud pro-  
 fundum, an cum magno comitatu populorum concaden-

tium ferar. nihil interest mea, quantus circa mortem me-  
 10 am tumultus sit: ipsa ubique tantumdem est. Proinde  
 magnum sumamus animum adversus istam cladem, quae  
 nec evitari nec provideri potest, desinamusque audire  
 istos, qui Campaniae renuntiaverunt quique post hunc  
 casum emigraverunt negantque ipsos umquam in illam  
 regionem accessuros: quis enim illis promittit melioribus  
 11 fundamentis hoc aut illud solum stare? Omnia eiusdem  
 sortis sunt et, si nondum mota, tamen mobilia: hunc  
 fortassis, in quo securius consistis, locum haec nox aut  
 hic ante noctem dies scindet. Unde scias, an [*non*] me-  
 lior eorum locorum condicio sit, in quibus iam vires suas  
 fortuna consumpsit et quae in futurum ruina sua fulta  
 12 sunt? erramus enim, si ullam terrarum partem exceptam  
 immunemque ab hoc periculo credimus: omnes sub ea-  
 dem iacent lege. nihil ita, ut immobile esset, natura con-  
 cepit. alia temporibus aliis cadunt et quemadmodum in  
 urbibus magnis nunc haec domus, nunc illa suspenditur,  
 ita in hoc orbe terrarum nunc haec pars facit vitium, nunc  
 13 illa. Tyros aliquando infamis ruinis fuit. Asia duodecim  
 urbes simul perdidit. anno priore in Achaïam et Macedo-  
 niam quaecumque est ista vis mali incurrit, quae nunc  
 Campaniam laesit: circuit fatum, et si quid diu praeter-  
 iit, repetit. quaedam rarius sollicitat, saepius quaedam:  
 14 nihil immune esse et innoxium sinit. Non homines tan-  
 tum, qui brevis et caduca res nascimur, urbes oraeque  
 terrarum et litora et ipsum mare in servitutem fati venit:  
 nos tamen nobis permansura promittimus bona fortunae  
 et felicitatem, cuius ex omnibus rebus humanis velocis-  
 sima est levitas, habituram in aliquo pondus ac moram  
 15 credimus, et perpetua sibi omnia promittentibus in men-  
 tem non venit, id ipsum, supra quod stamus, stabile non  
 esse. neque enim Campaniae istud aut Achaïae, sed omnis  
 soli vitium est, male cohaerere et ex pluribus causis re-  
 solvi et summa manere, partibus ruere.

1 II. Quid ago? solatium adversus pericula rara pro-  
 miseram: ecce undique timenda denuntio. nego quicquam  
 esse quietis aeternae, quod perire possit et perdere.

Ego vero hoc ipsum solatii loco pono, et quidem valentissimi, quoniam quidem sine remedio timor stultis est. ratio terrorem prudentibus excutit, imprudentibus magna fit ex desperatione securitas. Hoc itaque generi humano 2 dictum puta, quod illis subita captivitate inter ignes et hostem stupentibus dictum est:

*Una salus victis nullam sperare salutem.*

Si vultis nihil timere, cogitate omnia esse ti- 3 menda. Circumspicite quam levibus causis discutiamur: non cibus nobis, non humor, non vigilia, non somnus sine mensura quadam salubria sunt: iam intelletis nugatoria esse nos[tra] et inbecilla corpora, fluida, non magna molitione perdenda. Sine dubio id unum periculi nobis satis esset, quod tremunt terrae, quod subito dissipantur ac superposita deducunt. Magni se aestimat, 4 qui fulmina et motus terrarum hiatusque formidat: vult ille inbecillitatis sibi suae conscius timere puitam? ita videlicet nati sumus, tam felicia sortiti membra, in hanc magnitudinem crevimus: et ob hoc nisi mundi partibus motis, nisi coelum intonuerit, nisi terra subsederit, perire non possumus? Unguiculi nos et ne totius quidem dolor, 5 sed aliqua ab latere eius scissura conficit: et ego timeam terras trementes, quem crassior saliva suffocat? ego extimescam emotum sedibus suis mare, et ne aestus maiore quam solet cursu plus aquarum trahens superveniat, cum quosdam strangulaverit potio male lapsa per fauces? quam stultum est mare horrere, cum stillicidio scias te posse perire! Nullum solatium maius est mortis quam 6 ipsa mortalitas. nullum autem omnium istorum, quae extrinsecus terrēt, quam quod innumerabilia pericula in ipso sinu sunt. quid enim dementius quam ad tonitrua succidere et sub terram correpere fulminum metu? quid stultius quam timere nutationem aut subitos montium lapsus et inruptiones maris extra litus eiecti, cum mors ubique praesto sit et undique occurrat nihilque sit tam exiguum, quod non in perniciem generis humani satis valeat? Adeo non debent nos ista confundere, tamquam 7 plus mali in se habeant quam vulgaris mors, ut contra,

cum sit necessarium e vita exire et aliquando emittere animam, maiore perire ratione iuvet. Necesse est mori ubicumque, quandoque. stet licet ista humus et se teneat suis finibus nec ulla iactetur iniuria, supra me quandoque erit: interest, ego illam mihi an ipsa se mihi inponat? diducitur et ingenti potentia nescio cuius mali rumpitur et me in inmensam altitudinem abducit. quid porro? mors levior in plano est? quid habeo quod querar; si rerum natura me non vult iacere ignobili leto? si mihi incit sui partem? Egregie Vagellius meus in illo inclito carmine:

*Si cadendum est, inquit, mihi, e coelo cecidisse velim.*  
idem licet dicere: si cadendum est, cadam orbe concusso, non quia fas est optare publicam cladem, sed quia ingens mortis solatium est terram quoque videre mortalem.

1 III. Illud quoque proderit praesumere animo; nihil horum deos facere, neque ira numinum aut coelum concuti aut terram: suas ista causas habent nec ex imperio saeviunt, sed quibusdam vitiis, ut corpora nostra, turbantur et tunc, cum facere videntur  
2 iniuriam, accipiunt. Nobis autem ignorantibus verum omnia terribiliora sunt, utique quorum metum raritas auget. levius accidunt familiaria, [et] ex insolito formido maior est. Quare autem quicquam nobis insolitum est? quia naturam oculis, non ratione comprehendimus neque cogitamus, quid illa facere possit, sed tantum quid fecerit. damus itaque huius negligentiae poenas tamquam  
3 novis terri, cum illa non sint nova, sed insolita. Quid ergo? non religionem incutit mentibus et quidem publice, sive deficere sol visus est, sive luna, cuius obscuratio frequentior, aut parte sui aut tota delituit? longeque magis illae actae in transversum faces et coeli magna pars ardens et crinita sidera et plures solis orbes et stellae per diem visae subitque transcursus ignium multam post  
4 se lucem trahentium. Nihil horum sine timore miramur. et cum timendi sit causa nescire, non est tanti scire, ne timeas? quanto satius est causas inquirere, et quidem toto in hoc intentum animo? neque enim illo quicquam



inveniri dignius potest, cui se non tantum commodet, sed inpendat.

IV. Quaeramns ergo, quid sit, quod terram 1 ab infimo moveat, quod tanti molem ponderis pel-lat, quid sit illa valentius, quod tantum onus vi sua labefactet, cur modo tremat, modo laxata subsidat, nunc in partes divisa discedat et alias intervallum ruinae suae diu servet, alias cito conprimat, nunc amnes magnitudinis notae convertat introrsum, nunc novos exprimat, aperiat aliquando aquarum calentium venas, aliquando refrigeret, ignesque nonnumquam per aliquod ignotum antea montis aut rupis foramen emittat, aliquando notos et per secula nobiles conprimat. Mille miracula movet faciemque mutat locis et defert montes, subrigit plana, valles extuberat, novas in profundo insulas erigit: haec ex quibus causis accidant digna res executi. „Quod, inquis, 2 erit pretium operae?“ quo nullum maius est, nosse naturam. neque enim quicquam habet in se huius materiae tractatio pulchrius, cum multa habeat futura usui, quam quod hominem magnificentia sui detinet, nec mercede, sed miraculo colitur. Inspiciamus ergo, quid sit, propter quod haec accidant: quorum adeo est mihi dulcis inspectio, ut quamvis aliquando de motu terrarum volumen ediderim iuvenis, tamen temptare me voluerim et experiri, an aetas aliquid nobis aut ad scientiam aut certe ad diligentiam adiecerit.

V. Causam, qua terra concutitur, alii in 1 aqua esse, alii in ignibus, alii in ipsa terra, alii in spiritu putaverunt: alii in pluribus, alii in omnibus his. quidam liquere ipsis aliquam ex istis causam esse dixerunt, sed non liquere, quae esset. Nunc singula persequar. Illud 2 ante omnia dicendum est, opiniones veteres parum exactas esse et rudes. Circa verum adhuc errabatur. nova omnia erant primo temptantibus. postea eadem illa limata sunt et, si quid inventum est, illis nihilominus referri debet acceptum: magni animi fuit rerum naturae latebras dimovere neque contentum exteriori eius adspe-

etu introspicere et in deorum secreta descendere. plurimum ad inveniendum contulit, qui speravit posse reperiri. cum excusatione itaque veteres audiendi sunt. Nulla res consummata est, dum incipit. nec in hac tantum re omnium maxima atque involutissima, in qua, etiam cum multum acti erit, omnis tamen aetas, quod agat, inveniet, sed in omni alio negotio longe a perfecto fuere principia.

- 1 VI. In aqua dictum est causam esse nec ab uno nec uno modo. Thales Milesius totam terram subiecto iudicat humore portari et innare, sive illud oceanum vocas, sive magnum mare, sive alterius naturae simplicem adhuc aquam et humidum elementum. „Hac, inquit, unda sustinetur orbis velut aliquod grande  
2 navigium et grave his aquis, quas premit.“ Supervacuum est reddere causas, propter quas existimat gravissimam partem mundi non posse spiritu tam tenui fugacique gestari. non enim nunc de situ terrarum, sed de motu agitur: illud argumenti loco ponit, aquas esse in causa, quibus hic orbis agitur, quod in omni maiore motu erumpunt novi fontes, sicut in navigiis quoque evenit, ut si inclinata sunt et abierunt in latus, aquam sorbeant. quae in omni \* onerum eorum, quae vehit, si immodice depressa sunt, aut superfunditur aut certe dextra sinistra  
3 que solito magis surgit. Hanc opinionem esse falsam non est diu colligendum: nam si terra aqua sustineretur, [et ea aliquando concuteretur,] semper moveretur nec agitari illam miraremur, sed manere. deinde tota concuteretur, non ex parte. numquam enim navis dimidia iactatur: nunc vero terrarum non universarum, sed ex parte motus est. Quomodo ergo fieri potest, ut quod totum vehitur, totum non agitur, si eo, quo vehitur,  
4 agitur est? „At quare aquae erumpunt?“ Primum omnium saepe tremuit terra et nihil humoris novi fluxit. deinde si ex hac causa unda prorumperet, a lateribus terrae circumfunderetur, sicut in fluminibus ac mari videmus incidere, ut incrementum aquarum, quotiens navigia desidunt, in lateribus maxime adpareat. ad ultimum non tam exigua fieret, quam tu dicis, eruptio neque ve-

lut per rimam sentina subreperet, sed fieret ingens inundatio, ut ex infinito liquore et ferente universa.

VII. Quidam motum terrarum aquae impu- 1  
taverunt, sed non ex eadem causa. „Per omnem  
terram, inquit, multa aquarum genera decurrunt: aliubi  
perpetui amnes, quorum navigabilis etiam sine adiutorio  
imbrium magnitudo est. hinc Nilus per aestatem ingen-  
tes aquas invehit, hinc, qui medius inter pacata et hosti-  
lia fluit, Danubius ac Rhenus, alter Sarmaticos inpetus  
cohibens et Europam Asiamque disternans, alter Ger-  
manos, avidam gentem belli, repellens. Adice nunc pa- 2  
tentissimos lacus et stagna populis inter se ignotis cir-  
cumdata et ineluctabiles navigio paludes, ne ipsis qui-  
dem inter se pervias, quibus incoluntur. deinde tot fontes,  
tot capita fluminum subitos et ex occulto amnes vomentia.  
tot deinde ad tempus collectos torrentium inpetus,  
quorum vires quam repentinae tam breves. Omnis aqua- 3  
rum et intra terram natura faciesque est: illic quoque  
aliae vasto cursu deferuntur et in praecipitibus volvae ca-  
dunt. aliae languidiores in vadis refunduntur et leniter  
ac quiete fluunt: quis autem neget vastis illas receptacu-  
lis concipi et cessare multis inertes locis? non est diu  
probandum ibi multas aquas esse ubi *origines* sunt. ne-  
que enim sufficeret tellus ad tot flumina edenda, nisi ex  
reposito multoque funderet. Si hoc verum est, necesse 4  
est aliquando illic amnis crescat et relictis ripis violentus  
in obstantia occurrat: sic fiet motus alicuius partis,  
in quam flumen inpetum dedit et quam, donec decrescat,  
verberabit. Potest fieri, ut aliquam regionem rivus ad-  
fluens exedat ac secum trahat aliquam molem, qua lapsa  
superposita quatiuntur. Iam vero nimis oculis permittit 5  
nec [illos] scit producere ultra animum, qui non credit  
in ab[scon]dito terrae sinus maris vasti. nec enim video,  
quid prohibeat vel obstet, quo minus habeatur in ab[scon]-  
dito etiam aliquod litus et per occultos aditus receptum  
mare, quod illic quoque tantumdem loci teneat aut for-  
tassis hoc amplius, quo superiora cum tot animalibus  
erant dividenda. abstrusa enim et sine possessore deserta

6 liberius undis vacant. quas quid vetat illic fluctuare et ventis, quos omne intervallum terrarum et omnis aer creat, impelli? potest ergo maior solito exorta tempestas aliquam partem terrarum impulsam vehementius commovere. nam apud nos quoque multa, quae procul a mari fuerant, subito eius accessu vapulaverunt et villas in prospectu conlocatas fluctus, qui longe audiebatur, invasit. Illic quoque potest recedere ac *resurgere* pelagus infernum, quorum neutrum fit sine motu superstantium.“

- 1 VIII. Non quidem existimo diu te haesitaturum an credas esse subterraneos amnes et mare absconditum: unde enim ista prorepunt, unde ad nos veniunt, nisi  
 2 quod origo humoris inclusa est? Age, cum vides interruptum Tigrim in medio itinere siccare et non universum averti, sed paulatim non adparentibus damnis minui primum, deinde consumi, quo illum putas abire nisi in obscura terrarum, utique cum videas emergere iterum non minorem eo, qui prior fluxerat? Quid cum vides Alpheon, celebratum poetis, in Achaia mergi et in Sicilia rursus transiecto mari effundere amoenissimum fontem Arethusa-  
 3 sam? Nescis autem inter opiniones, quibus enarratur Nili aestiva inundatio, et hanc esse, a terra illum erumpere et augeri non supernis aquis, sed ex intimo redditis? Ego quidem centuriones duos, quos Nero Caesar, ut aliarum virtutum ita veritatis in primis amantissimus, ad investigandum caput Nili miserat, audivi narrantes longum illos iter peregisse, cum a rege Aethiopiae in-  
 4 trassent ad ulteriora. „[*Et*] quidem, aiebant, pervenimus ad immensas paludes, quarum exitum nec incolae noverant nec sperare quisquam potest: ita implicatae aquis herbae sunt et aquae neque pediti eluctabiles nec navigio, quod nisi parvum et unius capax limosa et obsita palus non ferat. Ibi, inquit, vidimus duas petras, ex  
 5 quibus ingens vis fluminis excidebat.“ Sed sive caput illa sive accessio est Nili, sive tunc nascitur sive in terras ex priore recepta cursu redit: nonne tu credis illam, quicquid est, ex magno terrarum lacu adscendere?

habeant enim oportet pluribus locis sparsum humorem et in imo coactum, ut eructare tanto impetu possint.

IX. Ignem causam motus quidam et quidem 1 non ob eandem causam iudicant: inprimis Anaxagoras, qui existimat „simili paene ex causa et aëra concuti et terram, cum in inferiore parte spiritus crassum aëra et in nubes coactum eadem vi, qua apud nos quoque nubila frangi solent, rumpit et ignis ex hoc conlisu nubium cursuque elisi aëris emicuit. hic ipse in obvia incurrit exitum quaerens ac divellit repugnantia, donec per angusta aut nactus est viam exeundi ad coelum, aut vi et iniuria fecit.“ Alii in igne causam quidem esse, 2 sed non ob hoc iudicant, sed quia pluribus obrutus locis ardeat et proxima quaeque consumat. quae si quando exesa ceciderint, tunc sequi motum earum partium, quae subiectis adminiculis destitutae labant, donec corruerunt nullo occurrente, quod onus exciperet: tunc chasmata, tunc hiatus vasti aperiuntur, aut, cum diu dubitaverunt, super ea se, quae supersunt stantque, componunt. Hoc 3 apud nos quoque videmus accidere, quotiens incendio laborat pars civitatis: cum exustae trabes sunt aut corrupta, quae superioribus firmamentum dabant, tunc diu agitata fastigia concidunt et tam diu deferuntur atque incerta sunt, donec in solido resederunt.

X. Anaximenes „terram ipsam ait sibi esse causam 1 motus nec extrinsecus incurrere, quod illam impellat, sed intra ipsam et ex ipsa. quasdam enim partes eius decidere, quas aut humor resolverit aut ignis exederit aut spiritus violentia excusserit. sed his quoque cessantibus non deesse, propter quod aliquid abscedat aut revellatur: nam primum omnia vetustate labuntur nec quicquam tu- 2 tum a senectute est. haec solida quoque et magni roboris carpit: itaque quemadmodum in aedificiis veteribus quaedam non percussa tamen decidunt, cum plus ponderis habuere quam virium, ita in hoc universo terrae corpore evenit, ut partes eius vetustate solvantur, solutae cadant et tremorem superioribus adferant, primum, dum abscedunt. nihil enim utique magnum sine motu eius, cui

haesit, absciditur. deinde cum ceciderunt, solido exceptae resiliunt more pilae, quae cum cecidit, exsultat ac saepius pellitur, totiens a solo in novum inpetum missa. Si vero in stagnantibus aquis delata sunt, hic ipse casus vicina concutit fluctu, quem subitum vastumque inlisum ex alto pondus eiecit.“

XI. Quidam ignibus quidem adsignant hunc tremorem, sed aliter. Nam cum pluribus locis ferveant, necesse est ingentem vaporem sine exituvolvant, qui vi sua spiritum intendit et, si acrius instet, opposita diffindit, si vero remissior fuit, nihil amplius quam movet. Videmus aquam spumare igne subiecto: quod in hac aqua facit inclusa et angusta, multo magis illum facere credamus, cum violentus ac vastus ingentes aquas excitat. tunc ille vaporazione fluctuantium undarum quicquid pulsaverit, agitur.

- 1 XII. Spiritum esse, qui moveat, et plurimis et maximis auctoribus placet. Archelaus antiquitatis diligens ait ita: „Venti in concava terrarum deferuntur. deinde ubi iam omnia spatia plena sunt et in quantum aer potuit, densatus est, is qui supervenit spiritus, priorem premit et elidit ac frequentibus plagis primo cogit, deinde perturbat. Tunc ille quaerens locum omnes angustias dimovet et claustra sua conatur effringere: sic evenit, ut terrae spiritu luctante et fugam quaerente moveantur. Itaque cum terrae motus futurus est, praecedit aëris tranquillitas et quies: videlicet, quia vis spiritus, quae concitare ventos solet, in inferna sede retinetur.“ Nunc quoque cum hic motus in Campania fuit, quamvis hiberno tempore et inquieto, per superiores dies
- 3 coelo aer stetit. Quid ergo? numquam flante vento terra concussa est? Admodum raro duo simul flavere venti: fieri tamen et potest et solet. quod si recipimus et constat duos ventos rem simul gerere: quidni accidere possit, ut alter superiorem aëra agitet, alter inferum?

- 1 XIII. In hac sententia licet ponas Aristotelem et discipulum eius Theophrastum, non ut Graecis visum est divini, tamen et dulcis eloquii virum et nitidi sine labore.

Quid utrique placeat exponam. „Semper aliqua evapora-  
tio est a terra, quae modo arida est, modo humido mixta.  
Haec ab infimo edita et in quantum potuit, elata, cum  
ulteriorem locum, in quem exeat, non habet, retro fer-  
tur atque in se revolvitur. deinde rixa spiritus recipro-  
cantis iactat obstantia et, sive interclusus, sive per an-  
gusta enisus est, motum ac tumultum ciet.“ Straton ex 2  
eadem schola est, qui hanc partem philosophiae maxime  
coluit et rerum naturae inquisitor fuit. Huius tale decre-  
tum est: „Frigidum et calidum semper in contraria abe-  
unt, una esse non possunt. eo frigidum confluit, unde  
vis calida discessit, et invicem ibi calidum est, unde fri-  
gus expulsum est. Hoc quod dico, verum esse *et* utra-  
que in contrarium agi, ex hoc tibi adpareat: hiberno tem- 3  
pore, cum supra terram frigus est, calent putei nec minus  
specus atque omnis sub terra recessus, quia illo se calor  
contulit superiora possidenti frigori cedens. qui cum in  
inferiora pervenit et eo se, quantum poterat, ingessit,  
quo densior hoc validior est: huic alius supervenit, cui  
necessario congregatus ille iam et in angustum pressus  
loco cedit. Idem [*e*] contrario evenit, cum vis maior frigidi 4  
inlata in cavernis est: quicquid illic calidi latet, frigori  
cedens abit in angustum et magno inpetu agitur, quia non  
patitur utriusque natura concordiam nec in uno moram.  
fugiens ergo et omni modo cupiens excedere proxima  
quaeque demolitur ac iactat. ideoque antequam terra 5  
moveatur, solet mugitus audiri ventis in abdito tumultuan-  
tibus.“ (nec enim aliter posset, ut ait noster Vergilius

*sub pedibus mugire solum et iuga celsa moveri,*

nisi hoc esset ventorum opus.) „Vices deinde huius pu- 6  
gnae sunt: defit calori congregatio ac rursus eruptio.  
tunc frigora conpescuntur et succedunt mox futura po-  
tentiora. dum alterna vis cursat et ultro citroque spiritus  
commeat, terra concutitur.“

XIV. Sunt qui existiment spiritu quidem et 1  
nulla alia ratione tremere terram, sed ex alia  
causa, quam Aristoteli placuit. Quid sit, quod  
ab his dicatur, audi. Corpus nostrum et sanguine inri-

gatur et spiritu, qui per sua itinera decurrit. habemus autem angustiора quaedam receptacula animae, per quae nihil amplius quam meat, quaedam patentiora, in quibus colligitur et unde dividitur in partes. Sic hoc totum terrarum omnium corpus et aquis, quae vicem sanguinis tenent, et ventis, quos nihil aliud quis quam animam vocaverit, pervium est. haec duo aliubi currunt, aliubi  
 2 consistunt. Sed quemadmodum in corpore nostro dum bona valitudo est, venarum quoque inperturbata mobilitas modum servat, ubi aliquid adversi est, et micat crebrius et suspiria atque anhelitus laborantis ac fessi signa sunt: ita terris quoque dum positio naturalis est, inconcussae manent. cum aliquid peccatur, tum velut aegri corporis motus est, spiritu illo, qui modestius perfluebat, icto vehementius et quassante venas suas, nec, ut illi paulo ante dicebant, quibus animal placet esse terram: *nam* si hoc est, quemadmodum animal tota vexationem sentiet. neque enim in nobis febris alias partes mordacius inpellit, sed per omnia pari aequalitate discur-  
 3 rit. Vide ergo, numquid intret in illam spiritus ex circumfuso aëre, qui quamdiu habet exitum, sine iniuria labitur. si offendit aliquid et incidit, quod viam claudat, tunc oneratur primo infundente se a tergo aëre. deinde per aliquam rimam maligne fugit et hoc acrius fertur, quo angustius. id sine pugna non potest fieri, nec pugna sine  
 4 motu. At si ne rimam quidem, per quam effluat, invenit, conglobatus illic furit et huc atque illo circumagitur aliaque deicit, alia intercidit, cum tenuissimus idemque fortissimus et inrepat quamvis in obstructa et quicquid intravit, vi sua diducat ac dissipet: tunc terra iactatur. aut enim datura vento locum discedit, aut cum dedit, in ipsam, qua illum emisit, cavernam fundamento spoliata considit.

XV. Quidam ita existimant: Terra multis locis perforata est nec tantum primos illos aditus habet, quos velut spiramenta ab initio sui recepit, sed multos illi casus inposuit: aliubi deduxit, quicquid superne terreni erat, aqua, alia torrentes cecidere, illa aestibus magnis



dirupta patuerunt. Per haec intervalla intrat spiritus, quem si inclusit mare et altius adegit nec fluctus retro abire permisit, tunc ille exitu simul redituque praeculso volutatur et, quia in rectum non potest tendere, quod illi naturale est, in sublime se intendit et terram prementem diverberat.

XVI. Etiam nunc dicendum est, quod plerisque auctoribus placet et in quod fortasse fiet discessio. Non esse terram sine spiritu palam est: non tantum illo dico, quo se tenet ac partes sui iungit, qui inest etiam saxi mortuisque corporibus, sed illo dico vitali et vegeto et alente omnia. hunc nisi haberet, quomodo tot arbustis spiritum infunderet non aliunde viventibus, et tot satis? quemadmodum tam diversas radices aliter atque aliter in se mersas foveret, quasdam summa receptas parte, quasdam altius tractas, nisi multum haberet animae tam multa, tam varia generantis et haustu atque alimento sui educantis? Levibus adhuc argumentis ago. Totum hoc coelum, quod igneus aether, mundi summa pars, claudit, omnes hae stellae, quarum definiri non potest numerus, omnis hic coelestium coetus et, ut alia praeteream, hic tam prope a nobis agens cursum sol, omni terrarum ambitu non semel maior, alimentum ex terra trahunt et inter se partiuntur nec ullo alio scilicet quam halitu terrarum sustentur. hoc illis alimentum, hic pastus est. Non posset autem tam multa tantoque se ipsa maiora nutrire, nisi plena esset animae, quam per diem ac noctem ab omnibus partibus sui fundit. fieri enim non potest, ut non multum ei supersit, ex qua tantum petitur ac sumitur: et ad tempus quidem, quod exeat, nascitur. nec enim esset perennis illi copia suffecturi in tot coelestia spiritus, nisi invicem ista excurrerent et in aliud alia solverentur. sed tamen necesse est abundet ac plena sit et ex condito proferat. Non est ergo dubium, quin multum spiritus interlateat et caeca sub terra spatia aer latus obtineat. Quod si verum est, necesse est id saepe moveatur, quod re mobilissima plenum est. numquid enim dubium esse cuiquam potest, quin nihil sit

tam inquietum quam aer, tam versabile et agitatione gaudens?

1 XVII. Sequitur ergo, ut naturam suam exerceat et quod semper moveri vult, aliquando et alia moveat. Id quando fit? quando illi cursus interdictus est. nam quamdiu non impeditur, ita placide. cum offenditur et retinetur, insanit et moras suas abrumpit, non aliter quam ille  
*pontem indignatus Araxes.*

2 quamdiu illi facilis et liber est alveus, primas quasque aquas explicat: ubi saxa manu vel casu inlata repressere venientem, tunc inpetum mora quaerit et quo plura opposita sunt, plus invenit virium. omnis enim illa unda, quae a tergo supervenit et in se crescit, cum onus suum sustinere non potuit, vim ruina parat et prona cum ipsis, quae obiacebant, fugit. Idem spiritu fit, qui quo valentior agiliorque est, citius eripitur et vehementius septum omne disturbat: ex quo motus fit, scilicet eius partis, sub qua  
 3 pugnatum est. Quod dicitur verum esse ex illo probatur: saepe cum terrae motus fuit, si modo pars eius aliqua dirupta est, inde ventus per multos dies fluxit, ut traditur eo factum motu, quo Chalcis laboravit: apud Asclepiodotum invenies, auditorem Posidonii, in his ipsis quaestionum naturalium causis. invenies et apud alios auctores hiasse uno loco terram et inde non exiguo tempore spirasse ventum, qui scilicet illud iter ipse sibi fecerat, per quod ferebatur.

1 XVIII. Maxima ergo causa est, propter quam terra moveatur, spiritus natura citus et locum e loco mutans: hic quamdiu non impellitur et in vacanti spatio latet, iacet  
 2 innoxius nec circumiectis molestus est: ubi illum extrinsecus superveniens causa sollicitat compellitque et in arctum agit, si licet adhuc, cedit tantum et vagatur: ubi erepta discedendi facultas est et undique obsistitur, tunc  
*magno cum murmure montis*  
*circum claustra fremunt,*

quae diu pulsata convellit ac iactat, eo acrior, quo cum  
 3 mora valentiore luctatus est. Deinde cum circa perlustravit omne, quo tenebatur, nec potuit evadere, inde, quo

maxime inactus est, resilit et aut per occulta dividitur ipso terrae motu raritate facta, aut per novum vulnus emicuit: ita eius non potest vis tanta cohiberi nec ventum tenet ulla compages. solvit enim quodcumque vinculum et onus omne fert secum fususque per minima laxamentum superat indomita naturae potentia [liberat se], utique cum concitatus sibi ius suum vindicat. Spiritus [vero] invicta res est: nihil erit quod

*luctantes ventos tempestatesque sonoras  
imperio premat ac vinclis et carcere frenet.*

Sine dubio poetae hunc voluerunt videri carcerem, in 5 quo sub terra clausi laterent. sed hoc non intellexerunt, nec id, quod clausum est, esse adhuc ventum, nec id, quod ventus est, posse iam claudi. nam quod in clauso est, quiescit et aëris statio est: omnis in fuga ventus est. Etiam nunc et illud accedit his argumentis, [per quod ad- 6 paret, quod motum efficit spiritus,] quod corpora quoque nostra non aliter tremunt, quam si spiritum aliqua causa perturbet, cum timore contractus est, cum senectute languescit et venis torpentibus marcet, cum frigore inhibetur aut sub accessionem cursu suo deicitur. nam 7 quamdiu sine iniuria perfluit et ex more procedit, nullus est tremor corpori: cum aliquid occurrit, quod inhibeat eius officium, tunc parum potens in perferendis his, quae suo vigore tenebat, deficiens concutit, quicquid integer tulerat.

XIX. Metrodorum Chium necesse est au- 1 diamus, quod vult, sententiae loco dicentem. non enim permitto mihi ne eas quidem opiniones praeterire, quas improbo, cum satius sit omnium copiam fieri et quae damnamus improbare potius quam praeterire. quid ergo dicit? „Quomodo cum in dolio cantantis vox illa [bitur,] 2 per totum cum quadam discussione percurrit ac resonat et tam leviter mota tamen circuit non sine tactu eius tumultuque, quo inclusa est: sic speluncarum sub terra pendentium vastitas habet aëra suum, quem simul alius superne incidens percussit, agitatur non aliter quam illa,

de quibus paulo ante retuli, inania indito clamore sonuerunt.“

- 1 XX. Veniamus nunc ad eos, qui omnia ista, quae retuli, in causa esse dixerunt aut ex his plura: Democritus plura putat. ait enim „motum aliquando spiritu fieri, aliquando aqua, aliquando utroque.“ et id hoc modo prosequitur: „Aliqua pars terrae concava est. in hanc aquae vis confluit. ex hac est aliquid tenue et ceteris liquidius. hoc cum superveniente gravitate reiectum est, terris inluditur et illas movet. nec enim fluctuari potest sine motu eius, in quod inpingitur.
- 2 Etiam nunc quomodo de spiritu dicebamus, de aqua quoque dicendum est: ubi in unum locum coniecta est et capere se desiit, aliquo incumbit et primo viam pondere aperit, deinde inpetu. nec enim exire nisi per devexum potest diu inclusa nec in directum cadere moderate aut
- 3 sine concussione eorum, per quae vel in quae cadit. Si vero, cum iam rapi coepit, aliquo loco subsistit et illa vis fluminis in se revoluta est, in continentem terram repellitur et illam, qua parte maxime pendet, exagitat. Praeterea aliquando madefacta tellus liquore penitus accepto altius sedit et fundus ipse vitiatur: tunc ea pars premitur, in quam maxime aquarum vergentium pondus inclinat.
- 4 Spiritus vero nonnumquam inpellit undas et, si vehementius institit, eam scilicet partem terrae movet; in quam coactas aquas intulit. nonnumquam in terrena itinera coniectus et exitum quaerens movet omnia: et terra quoque penetrabilis ventis est et spiritus subtilior est, quam ut possit excludi, et vehementior, quam ut
- 5 sustineri concitatus ac rapidus.“ Omnes istas posse esse causas Epicurus ait pluresque alias temptat et alios, qui aliquid unum ex istis esse adfirmaverunt, corripit, cum sit arduum de his, quae coniectura sequenda sunt, aliquid certi promittere. „Ergo, ut ait, potest terram commovere aqua, si partes aliquas eluit et abrasit, quibus desiit posse extenuatis sustineri, quod integris ferebatur. Potest terram commovere impressio spiritus: fortasse enim aer alio intrante [aëre] agitur.

fortasse aliqua parte subito decidente percutitur et inde motum capit. fortasse aliqua pars terrae velut columnis quibusdam ac pilis sustinetur, quibus vitiatas ac recedentibus tremit pondus inpositum. fortasse calida vis spiritus in ignem versa et fulmini similis cum magna strage obstantium fertur. fortasse palustres et iacentes aquas aliquis flatus inpellit et inde aut ictus terram quatit aut spiritus agitatio ipso motu crescens et se incitans ab imo in summa usque perfertur.“ Nullam tamen illi placet causam motus esse maiorem quam spiritum.

XXI. Nobis quoque placet hunc spiritum esse, qui possit tanta conari, quo nihil est in rerum natura potentius, nihil acrius, sine quo nec illa quidem, quae vehementissima sunt, valent: ignem spiritus concitat. aquae, si ventum detrahas, inertes sunt: tunc demum inpetum sumunt, cum illas agit flatus. et potest dissipare magna spatia terrarum et novos montes subiectus extollere et insulas non ante visas in medio mari ponere. Theren et Therasiam et hanc nostrae aetatis insulam, spectantibus nobis in Aegaeo mari natam, quis dubitet quin in lucem spiritus vexerit?

Duo genera sunt, ut Posidonio placet, quibus movetur terra. utriusque nomen est proprium: altera succussio est, cum terra quatitur et sursum ac deorsum movetur, altera inclinatio, qua in latera nutat navigii more. ego et tertium illud existimo, quod nostro vocabulo signatum est. non enim sine causa tremorem terrae dixere maiores, qui utrique dissimilis est. nam nec succutiuntur tunc omnia nec inclinantur, sed vibrantur: res minime in huiusmodi casu noxia, sicut longe perniciosior est inclinatio concussionem. nam nisi celeriter ex altera parte properaverit motus, qui inclinata restituat, ruina necessario sequitur.

XXII. Cum dissimiles hi motus inter se sunt, [tum] I causae quoque eorum diversae sunt: prius ergo de motu quatiente dicamus. Si quando magna onera per vices vehiculorum plurium tracta sunt et rotae maiore nisu in salebras inciderunt, terram concuti senties. Ascle-

2 piodotus tradit, cum petra e latere montis abrupta ceci-  
disset, aedificia vicina tremore conlapsa [sunt]. Idem  
sub terris fieri potest, ut ex his, quae inpendent, ru-  
pibus aliqua resoluta magno pondere ac sono in subia-  
centem cavernam cadat eo vehementius, quo aut plus  
ponderis venit aut altius, et sic commovetur omne tectum  
3 cavatae vallis. Nec tamen pondere suo abscondi saxa  
credibile est, sed cum flumina supra ferantur, adsiduus  
humor commissuras lapidis extenuat et cotidie his, ad  
quae religatus est, aufert et illam, ut ita dicam, cutem,  
qua continetur, abradit. deinde longa per aevum diminu-  
tio usque eo infirmat illa, quae cotidie adtrivit, ut de-  
4 sinant esse oneri ferendo: tunc saxa vasti ponderis de-  
cidunt, tunc illa praecipitata rupes quicquid ab imo re-  
percussit non passura consistere

*cum sonitu venit et ruere omnia visa repente,*  
ut ait Vergilius noster.

1 XXIII. Huius motus succutientis terras haec  
erit causa. ad alteram transeo. Rara terrae na-  
tura est multumque habens vacui: per has raritates spi-  
ritus fertur, qui, ubi maior influxit nec emittitur, concutit  
2 terram. Haec placet et aliis, ut paulo ante retuli, causa,  
si quid apud te profectura testium turba est: hanc etiam  
Callisthenes probat, non contemptus vir. (fuit enim illi  
nobile ingenium et furibundi regis inpatiens: hic est  
Alexandri crimen aeternum, quod nulla virtus, nulla  
3 bellorum felicitas redimet. nam quotiens quis dixerit:  
„occidit Persarum multa milia“: opponetur. „et Calli-  
sthenem.“ quotiens dictum erit: „occidit Dareum, penes  
quem tum maximum regnum erat“: opponetur: „et Cal-  
listhenem.“ quotiens dictum erit: „omnia oceano tenus  
vicit, ipsum quoque temptavit novis classibus et impe-  
rium ex angulo Thraciae usque ad Orientis terminos pro-  
tulit“: dicetur: „sed Callisthenem occidit.“ Omnia licet  
4 antiqua ducum regumque exempla transierit, ex his, quae  
fecit, nihil tam magnum erit quam scelus hoc.) Calli-  
sthenes in libris, quibus describit, quemadmodum Helice  
Buriisque mersae sunt, quis illas casus in mare vel in

illas mare inmersit, dicit id quod in priore parte dictum est: „Spiritus intrat terram per occulta foramina, quemadmodum ubique, ita et sub mari. deinde cum obstructus est ille trames, per quem descenderat, reditum autem illi a tergo resistens aqua abstulit, huc et illuc refertur et sibi ipse occurrens terram labefactat. Ideo frequentissime mari adposita vexantur et inde Neptuno haec adsignata est maris movendi potentia.“ Quisquis primas literas Graecas didicit, scit illum apud Homerum *Ἐνοσίχθωνα* vocari.

XXIV. Spiritum esse huius mali causam et ipse consentio: de illo disputabo, quomodo intret hic spiritus, utrum per tenuia foramina nec oculis comprehensibilia an per maiora ac patentiora, et utrum ab imo an etiam per summa terrarum. Hoc incredibile est. nam in nostris quoque corporibus cutis spiritum respuit neque est illi introitus, nisi per quem trahitur, neque consistere quidem a nobis receptus potest nisi in laxiori corporis parte. non enim inter nervos pulpasve, sed in visceribus et patulo interioris partis recessu conmoratur. Idem de terra suspicari licet vel ex hoc, quod motus non in summa terra circave summa est, sed subter et ab imo. huius indicium, quod altitudinis profundae maria iactantur, motis scilicet his, supra quae fusa sunt: ergo verisimile est terram ex alto moveri et illic spiritum in cavernis ingentibus concipi. „Immo, inquis, ceu cum frigore inhorruimus, tremor sequitur, sic terras quoque spiritus extrinsecus accidens quassat.“ quod nullo modo potest fieri. algere enim debet, ut idem illi accidat quod nobis, quos externa causa in horrorem agit. accidere autem terrae simile quiddam nostrae adfectioni, sed non ex simili causa concesserim. Illam interior et altior iniuria debet impellere: cuius rei argumentum vel maximum hoc potest esse, quod cum vehementi motu adaptum ingenti ruina solum est, totas nonnumquam urbes et recipit hiatus ille et abscondit. Thucydides ait circa Peloponnesiaci belli tempus Atalanten insulam aut totam aut certe maxima ex

parte suppressam. idem Sidone accidisse Posidonio crede. nec ad hoc testibus opus est: meminimus enim terris interno motu divulsis loca disiecta et campos interisse. quod iam dicam, quemadmodum existimem fieri.

- 1 XXV. Cum spiritus magna vi vacuum terrarum locum penitus opplevit coepitque rixari et de exitu cogitare, latera ipsa, inter quae latet, saepius percutit, supra quae urbes interdum sitae sunt. haec nonnumquam adeo concutiuntur, ut aedificia superposita procumbant, nonnumquam in tantum, ut parietes, quibus fertur omne tegimen cavi, decidant in illum subtervacantem locum totaque
- 2 urbes in immensam altitudinem vergant. Si velis credere, aiunt aliquando Ossam Olympo cohaesisse, deinde terrarum motu recessisse et fissam unius magnitudinem montis in duas partes. tunc effugisse Peneon, qui paludes, quibus laboravit Thessalia, siccavit abductis in se, quae sine exitu stagnaverant, aquis. Ladon flumen inter Elin et Megalenspolin medius est, quem terrarum motus
- 3 effudit. Per hoc quid probo? in laxos specus — quid enim aliud adpellem loca vacua sub terra? — spiritum convenire. quod nisi esset, magna terrarum spatia commoverentur et una multa titubarent: nunc exiguae partes laborant nec unquam per ducenta milia motus extenditur. Ecce hic, qui inplevit fabulis orbem, nec trans-
- 4 scendit Campaniam. Quid dicam, cum Chalcis tremuit, Thebas stetisse? cum laboravit Aegium, tam propinquas illi Patras de motu nihil audisse? illa vasta concussio, quae duas suppressit urbes, Helicen et Burin, circa Aegium constitit. Adparet ergo, in tantum spatium motum protendere, quantum illa sub terris vacantis loci inanitas pateat.
- 1 XXVI. Poteram ad hoc probandum abuti auctoritate magnorum virorum, qui Aegyptum numquam tremuisse tradunt. rationem autem huius rei hanc reddunt, quod ex limo tota concreverit. tantum enim, si Homero fides est, aberat a continenti Pharos, quantum navis diurno cursu metiri plenis lata velis potest, sed continenti adnotata est:



turbidus enim defluens Nilus multumque secum coeni tra- 2  
hens et id subinde adponens prioribus terris Aegyptum  
annuo incremento semper ultra tulit. inde pinguis et li-  
mosi soli est nec ulla intervalla in se habet, sed crevit in  
solidum arescente limo, cuius pressa erat et sedens stru-  
ctura, cum partes glutinarentur, nec quicquam inane  
intervenire poterat, cum solido liquidum ac molle semper  
accederet. Sed movetur et Aegyptus et Delos, quam 3  
Vergilius stare iussit:

*inmotamque coli dedit et contemnere ventos.*

hanc philosophi quoque, credula natio, dixerunt non  
moveri auctore Pindaro. Thucydides ait antea quidem  
inmotam fuisse, sed circa Peloponnesiacum bellum tre-  
muisse. Callisthenes et alio tempore ait hoc accidisse: 4  
*Inter multa, inquit, prodigia, quibus denuntiata est dua-  
rum urbium, Helices et Buris, eversio, fuere maxime no-  
tabilia columna ignis inmensi et Delos agitata.* quam ideo  
stabilem videri vult, quia mari inposita sit habeatque  
concavas rupes et saxa pervia, quae dent deprehensio-  
aëri reditum. ob hoc et insulas esse certioris soli urbes-  
que eo tutiores, quo propius ad mare accesserunt. Falsa 5  
haec esse Pompeii et Herculaneum sensere. Adice nunc,  
quod omnis ora maris obnoxia est motibus: sic Paphos  
non semel corrui, sic nobilis et huic iam familiaris malo  
Nicopolis. Cyprum ambit altum mare et agitur. Tyros  
et ipsa tam movetur quam diluitur. Hae fere causae  
redduntur, propter quas tremat terra.

XXVII. Quaedam tamen propria in hoc Cam- 1  
pano motu accidisse narrantur, quorum ratio  
reddenda est.

Aiunt enim sexcentarum ovium gregem  
exanimatum in Pompeiana regione. Non est,  
quare hoc putes ovibus illis timore accidisse. Diximus 2  
solere post magnos terrarum motus pestilentiam fieri, nec  
id mirum est. multa enim mortifera in alto latent: aer  
ipse, qui vel terrarum culpa vel pigrizia et aeterna nocte  
torpescit, gravis haurientibus est vel corruptus interno-  
rum ignium vitio, cum est longo situ emissus, purum

hunc liquidumque maculat ac polluit insuetumque ducen-  
 3 tibus spiritum adfert nova genera morborum. Quid, quod  
 aquae quoque inutiles pestilentesque in abdito latent, ut  
 quas numquam usus exerceat, numquam aura liberior  
 everberet? crassa itaque et gravi caligine sempiternaque  
 tectae nihil nisi pestiferum in se et corporibus nostris  
 contrarium habent. aer quoque, qui mixtus est illis qui-  
 que inter illas paludes iacet, cum emersit, late vitium  
 4 suum spargit et haurientes necat. Facilius autem pecora  
 sentiunt, in quae pestilentia incurrere solet, quo avidiora  
 sunt: aperto coelo plurimum utuntur et aquis, quarum  
 maxima in pestilentia culpa est. oves vero mollioris na-  
 turae, quo propiora terris ferunt capita, corruptas esse  
 non miror, cum adflatus aëris diri circa ipsam humum  
 exceperint. nocuisset ille et hominibus, si maior exisset.  
 sed illum copia aëris sinceri exstinxit, antequam, ut ab  
 homine posset trahi, surgeret.

1 XXVIII. Multa autem terras habere mortifera vel ex  
 hoc intellege, quod tot venena nascuntur non manu spar-  
 sa, sed sponte, solo scilicet habente ut boni ita mali se-  
 mina. Quid, quod pluribus Italiae locis per quaedam  
 foramina pestilens exhalatur vapor, quem non homini  
 ducere, non ferae tutum est? aves quoque si in illum in-  
 ciderint, antequam coelo meliore leniatur, in ipso volatu  
 cadunt liventque corpora et non aliter quam per vim eli-  
 2 sae fauces tument. Hic spiritus quamdiu terris continetur  
 tenui foramine fluens, non plus potentiae habet, quam  
 ut despectantia et ultro sibi inlata conficiat. ubi per secula  
 conditus tenebris ac tristitia loci crevit in vitium, ipsa  
 ingravescit mora, peior quo segnior. cum exitum nactus  
 est, aeternum illud umbrosi frigoris malum et infernam  
 noctem volvit ac regionis nostrae aëra infuseat. vincun-  
 3 tur enim meliora peioribus. Tunc etiam ille spiritus pu-  
 rior transit in noxam: inde subitae continuaequae mortes  
 et monstrosa genera morborum ut ex novis orta causis.  
 brevis aut longa clades est, prout vitia valere, nec prius  
 pestilentia desinit quam spiritum illum gravem exercuit  
 laxitas coeli ventorumque iactatio.

XXIX. Nam quod aliquot insanis adtonitis-<sup>1</sup> que similes discurrere, fecit metus, qui excutit mentes, ubi privatus ac modicus est. qui ubi publice terret, ubi cadunt urbes, populi opprimuntur, terra concutitur, quid mirum est animos inter dolorem et metum destitutos aberrasse? Non est facile inter magna mala<sup>2</sup> non desipere. itaque levissima fere ingenia in tantum venere formidinis, ut sibi exciderent. Nemo quidem sine aliqua iactura sanitatis expavit similisque est furenti quisquis timuit: sed alios cito timor sibi reddit, alios vehementius perturbat et in dementiam transfert. Inde inter<sup>3</sup> bella erravere lymphatici nec usquam plura exempla vaticinantium invenies, quam ubi formido mentes religione mixta percussit.

XXX. Statuam divisam non miror, cum dixeri<sup>1</sup> montes a montibus recessisse et ipsum diruptum esse ab imo solum.

*Haec loca vi quondam et vasta convolsa ruina  
(tantum aevi longinqua valet mutare vetustas)  
dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus  
una foret. Venit ingenti vi pontus et ingens  
Hesperium Siculo latus abscidit aruaque et urbes  
aequore diductas angusto interluit aestu.*

Vides totas regiones a suis sedibus revelli et trans mare<sup>2</sup> iacere, quod in confinio fuerat. vides et urbium fieri gentiumque discidium, cum pars naturae concita est de se et aliquo mare, ignem, spiritum inpegit, quorum mira ut ex toto vis est: quamvis enim ex parte saeviat, mundi tamen viribus saevit. Sic et Hispanias a contextu Africae<sup>3</sup> mare eripuit. sic per hanc inundationem, quam poetarum maximi celebrant, ab Italia Sicilia reiecta est. Aliquanto autem plus inpetus habent, quae ex infimo veniunt. acriora enim sunt, quibus nisus est per angusta. Quantas res<sup>4</sup> hi terrarum tremores quamque mira spectacula ediderint, satis dictum est: cur ergo aliquis ad hoc stupet, quod aes unius statucae ne solidum quidem, sed concavum ac tenue diruptum est, cum fortasse in illud se spiritus quarens fugam incluserit? Illud vero quis nescit? diductis.

aedificia angulis vidimus moveri iterumque conponi. quaedam vero parum aptata positu suo et a fabris negligentius solutiusque composita terrae motus saepius agitata conepigit. Quod si totos parietes et totas findit domos et latera magnarum turrium, qua solida sunt, scindit et pilas operibus subditas dissipat: quid est quare quisquam dignum adnotari putet, sectam esse aequaliter ab imo ad caput in partes duas statuum?

1 XXXI. Quare tamen per plures dies motus fuit? non desiit enim adsidue tremere Campania, clementius quidem, sed ingenti damno, quia quassa quatiebat, quibus ad cadendum male stantibus non erat impelli, sed agitari: nondum videlicet spiritus omnis exierat, sed adhuc emissa sui parte maiore oberrabat. Inter argumenta, quibus probatur spiritu ista fieri, non est  
2 quod dubites et hoc ponere. Cum maximus editus tremor est, quo in urbes terrasque saevitum est, non potest par illi subsequi alius, sed post maximum lenes motus sunt, quia iam vehementior exitum ventis luctantibus fecit. reliquiae deinde residui spiritus non idem possunt nec pugna illis opus est, cum iam viam invenerint sequanturque ea, qua prima vis ac maxima evasit.

3 Hoc quoque dignum memoria iudico ab eruditissimo et gravissimo viro cognitum: forte enim, cum hoc evenit, lavabatur. vidisse se adfirmat in balneo tessellas, quibus solum erat stratum, alteram ab altera separari iterumque committi et aquam modo recipi in commissuras pavimento recedente, modo compresso ebullire et elidi. Eumdem audivi narrantem vidisse se materias mollius crebriusque tremere quam natura duri sinit.

1 XXXII. Haec, Lucili virorum optime, quantum ad causas ipsas: illa nunc, quae ad confirmationem animorum pertinent, quos magis refert nostra fortiores fieri quam doctiores. sed alterum sine altero non fit. non enim aliunde venit animo robur quam  
2 a bonis artibus, quam a contemplatione naturae. Quem enim non hic ipse casus adversus omnes firmaverit,

erexerit? quid est enim, cur ego hominem aut feram, quid est cur sagittam et lanceam tremam? maiora me pericula expectant: fulminibus et terris et magnis naturae partibus petimur. Ingenti itaque animo mors pro-3  
vocanda est, sive nos aequo vastoque inpetu adgreditur, sive cotidiano et volgari exitu. nihil refert, quam minax veniat quantumque sit, quod in nos trahat: quod a nobis petit, minimum est. hoc senectus a nobis ablatura est, hoc auriculae dolor, hoc humoris in nobis corrupti abundantia, hoc cibus parum obsequens stomacho, hoc pes leviter offensus. Pusilla res est hominis anima, sed ingens 4  
res contemptus animae: hanc qui contempsit, securus videbit maria turbari, etiamsi illa omnes excitaverint venti, etiamsi aestus aliqua perturbatione mundi totum in terras verterit oceanum. securus adspiciet fulminantis coeli trucem atque horridam faciem, frangatur licet coelum et ignes suos in exitium omnium, in primis suum misceat. securus adspiciet ruptis compagibus dehiscens solum, illa licet inferorum regna retegantur. stabit super illam voraginem intrepidus et fortasse quo debet cadere, desiliet. Quid ad me, quam sint magna, quibus pereor? 5  
ipsum perire non est magnum. proinde si volamus esse felices, si nec hominum nec deorum nec rerum timore versari, si despiciere fortunam supervacua promittentem, levia minitantem, si volumus tranquille degere et ipsis dis de felicitate controversiam agere, anima in expedito est habenda: sive illam insidiae sive morbi petent, sive hostium gladii sive insularum cadentium fragor sive ipsarum ruina terrarum sive vasta vis ignium urbes agrosque pari clade complexa, qui volet illam, accipiat. Quid aliud 6  
debeo quam exeuntem hortari et cum bonis ominibus emit-tere: „vade fortiter, vade feliciter!“ Nihil dubitaveris, reddideris: non de re, sed de tempore est quaestio. facis quod quandoque faciendum est. nec rogaveris nec timueris nec te velut in aliquod malum exiturum tuleris retro: rerum natura te, quae genuit, exspectat et locus melior ac tutior. Illic non tremunt terrae nec inter se venti 7  
cum magno nubium fragore concurrunt, non incendia

regiones urbesque vastant, non naufragiorum totas classes sorbentium metus est, non arma contrariis disposita vexillis et in mutuam perniciem multorum milium par furor, non pestilentia et ardentis promiscue communes populis cadentibus rogi. Istud leve est: quod timemus, grave est. potius semel incidat quam semper impendeat.

8 Ego autem perire timeam, cum terra ante me pereat, cum ista quatiantur, quae quatunt, et in iniuriam nostram non sine sua veniant? Helicen Burinque totas mare accepit: ego de uno corpusculo timeam? supra oppida duo navigatur. duo autem quae novimus, quae in nostram notitiam memoria literis servata produxit: quam multa alia aliis locis mersa sunt? quot populos aut terra aut infra se mare inclusit? ego recusem mei finem, cum sciam me sine fine non esse? immo cum sciam omnia esse fini-

9 ta? ego ultimum suspirium timeam? Quantum potes itaque, ipse te cohortare, Lucili, contra metum mortis: hic est, qui nos humiles facit. hic est, qui ipsam vitam, cui parcit, inquietat ac perdit. hic omnia ista dilatat, terrarum motus et fulmina. quae omnia feres constanter, si cogitaveris nihil interesse inter exiguum tempus et longum.

10 Horae sunt, quas perdimus. puta dies esse, puta menses, puta annos: perdimus illos, nempe perituros. Quid, oro te, refert, num perveniam ad illos? fluit tempus et avidissimos sui deserit. nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit. in puncto fugientis temporis

11 pendeo et magni est modicum fuisse. Eleganter ille Laelius sapiens dicenti cuidam: *Sexaginta annos habeo: Hos, inquit, sexaginta dicis, quos non habes?* Ne ex hoc quidem intellegimus incomprehensibilis vitae condicionem et sortem temporis semper alieni, quod annos adnumeramus

12 amissos? Hoc adfigamus animo, hoc nobis subinde dicamus: „moriendum est. quando, quid tua? mors naturae lex est, mors tributum officiumque mortalium malorumque omnium remedium est: optavit illam quisquis timet.“ Omnibus omissis hoc unum, Lucili, meditare, ne mortis nomen reformides. effice illam tibi cogitatione multa familiarem, ut, si ita tulerit, possis illi et obviam exire.

# L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

## NATURALIUM QUESTIONUM

LIBER VII.

---

I. Nemo usque adeo tardus et hebes et demissus in 1  
terram est, ut ad divina non erigatur ac tota mente con-  
surgat, utique ubi novum e coelo aliquod miraculum ful-  
sit. nam quamdiu solita decurrunt, magnitudinem rerum  
consuetudo subducit. ita enim compositi sumus, ut nos  
cotidiana, etiamsi admiratione digna sunt, transeant: con-  
tra minimarum quoque rerum, si insolitae prodierunt,  
spectaculum dulce fiat. Hic itaque coetus astrorum, qui- 2  
bus immensi corporis pulchritudo distinguitur, populum  
non convocat: at cum aliquid ex more mutatum est, omni-  
um in coelo voltus est. Sol spectatorem nisi defecit non  
habet. nemo observat lunam nisi laborantem: tunc urbes  
conclamant, tunc pro se quisque superstitione vana tre-  
pidat. Quanto illa maiora sunt, quod sol totidem, ut ita 3  
dicam, gradus quot dies habet et annum circuitu suo  
claudit, quod a solstitio [ad minuendos dies vertitur, quod  
a solstitio] statum inclinat et dat noctibus spatium, quod  
sidera abscondit, quod terras, cum tanto maior sit illis,  
non urit, sed calorem suum intensionibus ac remissio-  
nibus temperando fovet, quod lunam numquam inplet  
nisi adversam sibi neque obscurat? Haec tamen non ad- 4  
notamus, quamdiu ordo servatur. si quid turbatum est  
ac praeter consuetudinem emicuit, spectamus, interro-  
gamus, ostendimus: adeo naturale est magis nova quam  
magna mirari. Idem in cometis fit: si rarus et insolitae 5  
figurae ignis adparuit, nemo non scire quid sit cupit et  
oblitus aliorum de adventicio quaerit, ignarus utrum de-  
beat mirari an timere. non enim desunt qui terreant, qui

significationes eius praedicent graves. sciscitantur itaque  
 6 et cognoscere volunt, prodigium sit an sidus. At meher-  
 cules non aliud quis aut magnificentius quae-  
 sierit aut didicerit utilius quam de stellarum  
 siderumque natura, utrum flamma contracta, quod  
 et visus noster adfirmat et ipsum ab *illis* fluens lumen et  
 calor inde descendens, an non sint flammei orbes, sed  
 solida quaedam terrenaque corpora, quae per igneos  
 tractus labentia inde splendorem trahant caloremque, non  
 7 de suo clara. in qua opinione magni fuere viri, qui si-  
 dera crediderunt ex duro concreta et ignem alienum pa-  
 scentia. „nam per se, inquit, flamma diffugeret, nisi  
 aliquid haberet, quod teneret et a quo teneretur, con-  
 globatamque nec stabili inditam corpori profecto iam mun-  
 dus turbine suo dissipasset.“

1 II. Ad haec investiganda proderit quae-  
 rere, num cometae condicionis sint [*eius*], cu-  
 ius superiora. videntur enim cum illis quaedam ha-  
 bere communia, ortus et occasus, ipsam quoque, quam-  
 vis spargatur et longius exeat, faciem: aequae enim ignei  
 2 splendidique sunt. Itaque si omnia terrena sidera sunt, his  
 quoque eadem sors erit: si vero nihil aliud sunt quam pu-  
 rus ignis manentque mensibus senis neque illos conversio  
 mundi solvit et velocitas, illa quoque possunt et tenui con-  
 stare materia nec hoc disculi adsiduo coeli circumactu.  
 3 Illo quoque pertinebit hoc excussisse, ut  
 sciamus, utrum mundus terra stante cir-  
 cumeat an mundo stante terra vertatur. fue-  
 runt enim, qui dicerent nos esse, quos rerum natura ne-  
 scientes ferat nec coeli motu fieri ortus et occasus, sed  
 ipsos oriri et occidere: digna res contemplatione, ut scia-  
 mus, in quo rerum statu simus, pigerrimam sortiti an  
 velocissimam sedem, circa nos deus omnia an nos agat.

1 III. Necessarium est autem veteres ortus cometarum  
 habere collectos. deprehendi enim propter raritatem eo-  
 rum cursus adhuc non potest nec explorari, an vices ser-  
 2 vent et illos ad suum diem certus ordo producat. Nova  
 haec coelestium observatio est et nuper in Graeciam



invecta. Democritus quoque, subtilissimus antiquorum omnium, suspicari se ait plures esse stellas, quae currant, sed nec numerum illarum posuit nec nomina, nondum comprehensis quinque siderum cursibus. Eudoxus primus ab Aegypto hos motus in Graeciam transtulit. hic tamen de cometis nihil dicit. ex quo adparet ne apud Aegyptios quidem, quibus maior coeli cura fuit, hanc partem elaboratam. Conon postea, diligens et ipse in-<sup>3</sup>quisitor, defectiones quidem solis servatas ab Aegyptiis collegit, nullam autem mentionem fecit cometarum, non praetermissurus, si quid explorati apud illos conperisset.

IV. Duo certe, qui apud Chaldaeos studuisse se di-<sup>1</sup>cunt, Epigenes et Apollonius Myndius, peritissimus inspicendorum nat[ur]alium, inter se dissident: hic autem ait cometas in numero stellarum errantium poni a Chaldaeis tenerique cursus eorum. Epigenes contra ait Chaldaeos nihil de cometis habere comprehensi, sed videri illos accendi turbine quodam aëris concitati et intorti. Primum ergo, si tibi videtur,<sup>2</sup> opinioniones huius ponamus ac refellamus. Huic videtur plurimum virium habere ad omnes sublimium motus stella Saturni: „haec cum proxima signa Marti premit aut [in] lunae viciniam transit aut in solis incidit radios, natura ventosa et frigida contrahit pluribus locis aëra conglobatque. deinde si radios solis adsumpsit, tonat fulguratque: si Martem quoque consentientem habet, fulminat. Praeterea, inquit, aliam materiam habent fulmi-<sup>3</sup>na, aliam fulgurationes. aquarum enim et omnis humidi evaporatio splendores tantum coeli citra ictum minaces movet: illa autem calidior sicciorque terrarum exhalatio fulmina extundit. Trabes vero et faces, quae nullo alio inter se quam magnitudine distant, hoc modo fiunt: cum<sup>4</sup> humida terrenaque in se globus aliquis aëris clausit, quem turbinem dicimus, quacumque fertur, praebet speciem ignis extenti, quae tam diu durat, quamdiu mansit aëris illa complexio humidi intra se terrenique multum vehens.“

- 1 V. Ut a proximis mendaciis incipiam, falsum est faces et trabes turbine exprimi. turbo enim circa terras concipitur et fertur ideoque arbusta radicitus vellit et, quacumque incubuit, solum nudat, silvas interim et tecta corripuens, inferior fere nubibus, utique numquam altior. at contra trabes editior pars coeli ostentat: ita numquam
- 2 nubibus obstiterunt. Praeterea turbo omni nube velocius rapitur et in orbem vertitur. super ista velociter desinit et ipse se vi sua rumpit. trabes autem non transcurrunt nec praetervolant ut faces, sed conmorantur et in eadem
- 3 coeli parte conlucent. Charmander quoque in eo libro, quem de cometis composuit, ait Anaxagorae visum grande insolitumque coelo lumen magnitudine amplae trabis. et id per multos dies fulsisse Callisthenes tradit, antequam
- 4 Burin et Helicen mare absconderet. Aristoteles ait non trabem illam, sed cometen fuisse: ceterum ob nimium ardorem non adparuisse sparsum ignem, sed procedente tempore, cum iam minus flagraret, redditam suam cometae faciem. In quo igne multa quidem fuere digna quae notarentur, nihil tamen magis, quam quod, ut ille fulsit in coelo, statim supra Burin et Helicen mare fuit.
- 5 Numquid ergo Aristoteles non illam tantum, sed omnes trabes cometas esse credebat, hanc habentes differentiam, quod his continuus ignis est, ceteris sparsus? trabes enim flammam aequalem habent nec ullo modo intermissam aut languidam, in ultimis vero partibus coactam, qualem fuisse in illa, de qua modo retuli, Callisthenes tradit.
- 1 VI. „Duo, inquit Epigenes, cometarum genera sunt: alii ardorem undique effundunt nec locum mutant. alii in unam partem ignem vagum in modum comae porrigunt et stellas praetermeant, (quales duo aetate nostra visi sunt.) Illi priores criniti undique et inmoti humiles fere sunt et isdem causis, quibus trabes facesque, conflantur, ex intemperie aëris turbidi multa secum
- 2 arida humidaque terris exhalata versantis. potest enim spiritus per angusta elisus accendere supra se positum aëra, plenum alimentis idoneis igni, deinde propellere

ex nitido, ne ex aliqua causa refluat rursus ac remittatur, deinde iterum proximo die ac sequentibus consurgere et eundem locum inflammare. videmus enim ventos per complures dies ad constitutum redire. pluviae quoque et alia tempestatum genera ad praescriptum revertuntur.“ Ut breviter autem voluntatem eius 3 exprimam, eadem fieri ratione hos cometas existimat, qua fiunt ignes turbine eiecti. Hoc unum interest, quod illi [turbines] ex superiori parte in terras deprimuntur, hi de terra in superiora eluctantur.

VII. Adversus haec multa dicuntur. Primum 1 si ventus in causa esset, numquam cometas sine vento adpareret: nunc autem et quietissimo aëre adparet. deinde si vento fieret, cum vento caderet, et si vento inciperet, cresceret vento eoque esset ardentior, quo ille incitalior. His accedit illud quoque, quod ventus multas aëris partes impellit, cometas in uno loco adparet, et ventus in sublime non pervenit, cometae autem visuntur supra quam ire ventis licet. Transit deinde ad illos, quos 2 ait certiozem habere stellarum speciem, qui et procedunt et signa praetereunt. hos ait ex eisdem causis fieri quibus illos, quos dixit humiliores: hoc tantum interesse, quod terrarum exhalationes multa secum arida ferentes celsiorem petant partem et in editiora coeli aquilone pellantur. Si illos aquilo propelleret, 3 ad meridiem semper agerentur, quo ventus hic nititur: atqui varie concurrunt, alii in ortum, alii in occasum, omnes in flexum, quod iter non daret ventus. Deinde si aquilonis illos inpetus in altum levaret, aliis ventis non orirentur cometae: atqui oriuntur.

VIII. Illam nunc rationem eius (utraque enim utitur) 1 refellamus. Quicquid humidi aridique terra efflavit, cum in unum coit, ipsa discordia corporum spiritum versat in turbinem. tunc illa vis venti circumeuntis quicquid intra se comprehendit, cursu accendit et levat in altum, ac tam diu manet splendor ignis expressi, quamdiu alimenta sufficiunt. quibus desinentibus et ipse subsidit. Qui hoc 2 dicit, non notat, qualis sit turbinum cursus et qualis come-

- tarum: illorum rapidus ac violentus et ipsis ventis citatior est, cometarum lenis et qui per diem noctemque quantum transierit abscondit. Deinde turbinum motus vagus est et disiectus et, ut Salustii utar verbis, verticosus, cometarum autem compositus et destinatum
- 3 iter carpens. Num quis nostrum accederet lunam aut quinque sidera rapi vento aut turbine rotari? non, ut puto. quare? quia non est illis perturbatus et inpotens cursus. ad cometas idem transferamus: non confuse nec tumultuose eunt, ut aliquis credat illos causis turbulentis et
- 4 inconstantibus pelli. Deinde etiamsi vertices isti comprehendere terrena humidaque et ex humili in altum exprimere possent, non tamen supra lunam efferrent[ur]. omnis illis usque in nubilum vis est: cometas autem inmixtos stellis videmus per superiora labentes. Ergo verisimile non est in tantum spatium perseverare turbinem, qui quo maior est, maturius corrumpitur.
- 1 IX. Utrumlibet itaque eligat: aut levis vis *in* tantum pervenire non poterit, aut magna et concitata citius ipsa se franget. Praeterea humiliores illi cometae ob hoc, ut putant, non exeunt altius, quia plus terreni habent [et] gravitas illos sua in proximo tenet: atqui necesse est his cometis diuturnioribus, celsioribus plenior materia sit. neque enim diutius adparerent, nisi maioribus nutrimentis sustinerentur. Dicebam modo non posse verticem diu permanere nec supra lunam aut usque in stellarum locum crescere. nempe efficit turbinem plurium ventorum inter ipsos luctatio: haec diu non potest esse. nam cum vagus et incertus spiritus conluctatus est, novissime uni vis
- 3 omnium cedit. Nulla autem tempestas magna perdurat: procellae quanto plus habent virium, tanto minus temporis. venti cum ad summum venerunt, remittuntur omni violentia: necesse est ipsa concitatione in exitum sui tendant. nemo itaque turbinem toto die vidit, ne hora quidem: mira velocitas eius et mira brevitudo est. Praeterea violentius celeriusque circa terram et in terra volvitur: quo celsior, eo solutior laxiorque est et ob hoc diffun-
- 4 ditur. Adice nunc, quod etiamsi in summum pertinen-

deret, ubi sideribus iter est, utique ab eo motu, qui universum trahit, solveretur. quid enim est illa conversione mundi citatius? hac omnium ventorum in unum congesta vis dissiparetur et terrae solida fortisque conpages, nedum particula aëris torti.

X. Praeterea manere in alto non potest ignis turbine 1 inlatus, nisi ipse quoque permanet turbo. quid porro tam incredibile est quam in turbine longior mora? utique motus motu contrario vincitur. habet enim suam locus ille vertiginem, quae rapit coelum

*sideraque alta trahit celerique volumine torquet.*

et ut det eis aliquam advocacionem, quod fieri nullo modo potest: quid de his cometis dicetur, qui senis mensibus adparuerunt? Deinde duo debent esse motus eodem loco, 2 alter ille divinus et adsiduus, suum sine intermissione peragens opus, alter novus et recens et turbine inlatus. necesse est ergo, alter alteri inpedimento sit: atqui lunaris illa orbita ceterorumque supra lunam meanantium motus inrevocabilis est. nec haesitat usquam nec resistit nec dat ullam nobis suspicionem obiectae sibi morae. Fidem non habet turbinem, violentissimum et perturbatissimum tempestatis genus, in medios siderum ordines pervenire et inter disposita ac tranquilla versari. Credamus ignem 3 circumacto turbine accendi et hunc expulsam in sublime praebere nobis opinionem speciemque sideris longi: puto, tale esse debet, quale est id, quod ignem efficit. turbinis autem rotunda facies est. in eodem enim vestigio versatur et columnae modo circumagentis se volvitur. ergo ignem quoque, qui inclusus est, similem esse illi oportet: atqui longus est et disiectus minimeque similis in orbem coacto.

XI. Epigenen relinquamus et aliorum opi- 1 niones persequamur. quas antequam exponere incipiam, illud inprimis praesumendum est, cometas non in una parte coeli adspici nec in signifero tantum orbe, sed tam in ortu quam in occasu, frequentissime tamen circa septemtrionem. Forma eis vero 2 est una. quamvis enim Graeci discrimina fecerint eorum,

quibus in morem barbae flamma dependet, et eorum, qui undique circa se velut comam spargunt, et eorum, quibus fusus quidem est ignis, sed in verticem tendens, tamen isti omnes eiusdem notae sunt cometaeque recte di-  
 3 cuntur. quorum cum post longum tempus adpareant formae, inter se eos comparare difficile est: illo ipso tempore, quo adparent, inter spectantes de habitu illorum non convenit, sed prout cuique acrior acies aut hebetior, ita ait aut lucidiorem esse aut rubicundiorem et crines aut in inferiora deductos aut in latera dimissos. Sed sive sunt aliquae eorum differentiae sive non sunt, eadem fiant ratione necesse est cometae: illud unum constare debet, praeter solitum adspici novam sideris faciem circa se dissipatum ignem trahentis.

1 XII. Quibusdam antiquorum placet haec ratio: cum ex stellis errantibus alteri se altera adplicuit, confuso in unum duarum lumine facies longioris sideris redditur. nec hoc tunc tantum evenit, cum stella stellam  
 2 adtigit, sed etiam cum adpropinquavit. intervallum enim, quod inter duas est, inlustratur ab utraque inflammatur-  
 3 que et longum ignem efficit. His illud respondemus, certum esse numerum stellarum mobilium, solere autem eodem tempore et has adparere et cometen. ex hoc manifestum fit non illarum coitu fieri cometen, sed  
 4 proprium et sui iuris esse. Etiamnunc frequenter stella sub altioris stellae vestigium venit. et Saturnus aliquando supra Iovem est et Mars Venerem et Mercurium recta linea despicit, nec tamen propter hunc illorum concursum, cum alter alterum subit, cometes fit. alioquin omnibus annis fieret: omnibus enim aliquae stellae in eodem  
 4 signo simul sunt. Si cometen faceret stella stellae superveniens, momento esse desineret. summa enim velocitas transeuntium est. ideo omnis sideris defectio brevis est, quia cito illas idem cursus, qui admoverat, abstrahit: videmus solem et lunam intra exiguum tempus, cum obscurari coeperunt, liberari: quanto celerior debet esse in stellis digressio tanto minoribus? atqui cometae senis mensibus manent. quod non accideret, si duarum stel-

larum conventu gignerentur. illae enim diu cohaerere non possunt et necesse est illas lex celeritatis suae separet. Praeterea ista nobis vicina videntur: ceterum intervallis 5 ingentibus dissident. quomodo ergo potest altera stella usque ad alteram ignem mittere, ita ut utraque iuncta videatur, cum sint ingenti regione diductae? „Stellarum, 6 inquit, duarum lumen miscetur et praebet unius speciem: nempe sic, quemadmodum rubicunda fit nubes solis incursu, quemadmodum vespertina aut matutina flavescunt, quemadmodum arcus, alterve sol visitur.“ Haec omnia 7 primum magna vi efficiuntur: sol enim est, qui ista succendit. stellarum non est eadem potentia. Deinde nihil horum nisi infra lunam in terrarum vicinia nascitur: superiora pura et sincera sunt et coloris sui semper. Prae- 8 terea si quid tale accideret, non haberet moram, sed exstingueretur cito, sicut coronae, quae solem lunamve cingunt, intra brevissimum spatium exolescunt. ne arcus quidem diu perseverat. Si quid esset tale inter duas stellas, quo medium spatium confunderetur, aequo cito dilaberetur: utique non in tantum maneret, quantum morari cometae solent. Stellis intra signiferum cursus est, hunc premunt gyrum: at cometae ubique cernuntur. non magis certum est illis tempus, quo adpareant, quam locus ullus, ultra quem non exeant.

XIII. Adversus haec ab Artemidoro illa dicuntur: non has tantum stellas quinque discurrere, sed has solas observatas esse: ceterum innumerabiles ferri per occultum aut propter obscuritatem luminis nobis ignotas aut propter circulorum positionem talem, ut tunc demum, cum ad extrema eorum venere, visantur. „ergo intercurrunt quaedam stellae, ut ait, nobis novae, quae lumen suum constantibus misceant et maiorem quam stellis mos est porrigant ignem.“ Hoc ex his, quae mentitur, levissimum est: tota eius enarratio mundi mendacium impudens est. nam si illi credimus, summa coeli ora solidissima est, in modum tecti durata et alti crassique corporis, quod atomi congesti coacervatique fecerunt. Huic proxima superficies ignea est, ita compacta, 3

ut solvi vitiarique non possit: habet tamen spiramenta quaedam et quasi fenestras, per quas ex parte exteriori mundi influant ignes, non tam magni, ut interiora conturbent. rursus ex mundo in exteriora labuntur. itaque haec, quae praeter consuetudinem adparent, influxerunt ex illa ultra mundum iacente materia.

- 1 XIV. Solvere ista quid aliud est quam manum exercere et in ventum iactare brachia? Velim tamen mihi dicat iste, qui mundo tam firma lacunaria inposuit, quid sit, quare credamus illi, tantam esse crassitudinem coeli. quid fuerit, quod illo tam solida corpora adduceret et ibi detineret? Deinde quod tantae crassitudinis est, necesse est et magni ponderis sit. quomodo ergo in summo manent gravia? quomodo illa moles non descendit et se onere suo frangit? fieri enim non potest, ut tanta vis ponderis, quantam ille substituit, pendeat et levibus innixa sit. Ne illud quidem potest dici, extrinsecus esse aliqua retinacula, quibus cadere prohibeatur. nec rursus de medio aliquid esse oppositi, quod imminens corpus excipiat aut fulciat. Illud etiam nunc nemo dicere audebit, mundum ferri per immensum et cadere quidem, sed non adparere an cadat, quia praecipitatio eius aeterna est, nihil habens novissimum, in quod incurrat. Hoc quidem de terra dixerunt, cum rationem nullam invenirent, propter quam pondus in aëre staret. „Fertur, inquit, semper: sed non adparet an cadat, quia infinitum est, in quod cadit.“ Quid est deinde, quo probes non quinque tantum stellas moveri, sed multas esse et in multis mundi regionibus? aut si hoc sine ullo probabili argumento licet respondere, quid est, quare non aliquis aut omnes stellas moveri aut nullam dicat? Praeterea nihil te adiuvat ista stellarum passim euntium turba. nam quo plures fuerint, saepius in aliquas incident: rari autem cometae et ob hoc mirabiles sunt.

- 1 XV. Quid, quod testimonium dicet contra te omnis aetas, quae talium stellarum exortus et adnotavit et posteris tradidit? Post mortem Demetrii Syriae regis, cuius Demetrius et Antiochus liberi fuere, paulo ante Achaium



bellum cometes effulsit non minor sole. primo igneus ac rubicundus orbis fuit clarumque lumen emittens, quanto vinceret noctem. deinde paulatim magnitudo eius adstricta est et evanuit claritas. novissime autem totus intercidit. Quot ergo coire stellas oportet, ut tantum corpus efficiant? mille in unum licet congreges, numquam hunc habitum solis aequabunt. Attalo regnante initio cometes modicus adparuit. deinde sustulit se diffuditque et usque in aequinoctialem circulum venit, ita ut illam plagam coeli, cui lactea nomen est, in immensum extentus aequaret. Quot ergo convenisse debent erraticae, ut tam longum coeli tractum occuparent igne continuo?

XVI. Contra argumentum dictum est, contra testes dicendum est. nec magna molitione detrahenda est auctoritas Ephoro: historicus est. Quidam incredibilium relatu commendationem parant et lectorem aliud acturum, si per cotidiana duceretur, miraculo excitant. quidam creduli, quidam neglegentes sunt. quibusdam mendacium obrepat, quibusdam placet: illi non evitant, hi adpetunt. Haec in commune de tota natione, quae adprobari opus suum et fieri populare non putet posse, nisi illud mendacio adperserit: Ephorus vero non est religiosissimae fidei: saepe decipitur, saepe decipit: sicut hic cometen, qui omnium mortalium oculis custoditus est, quia ingentis rei traxit eventum, cum Helicen et Burin ortu suo merserit, ait illum discessisse in duas stellas, quod praeter illum nemo tradidit. quis enim posset observare illud momentum, quo cometes solutus et in duas partes redactus est? quomodo autem, si est, qui viderit cometen in duas dirimi, nemo vidit fieri ex duabus? quare autem non adiecit, in quas stellas divisus sit, cum aliqua ex quinque stellis esse debuerit?

XVII. Apollonius Myndius in diversa opinione est: ait enim cometen non unum ex multis erraticis effici, sed multos cometas erraticos esse. „Non est, inquit, species falsa nec duarum stellarum confinio ignis extentus, sed proprium sidus cometes est sicut solis ac lunae. Talis illi forma est, non in rotundum restricta,

2 sed procerior et in longum producta. Ceterum non est illi palam cursus: altiora mundi secatur et tunc demum adparet, cum in imum cursus sui venit. Nec est, quod putemus eundem visum esse sub Claudio, quem sub Augusto vidimus. nec hunc, qui sub Nerone Caesare adparuit et cometis detraxit infamiam, illi similem fuisse, qui [*post necem*] divi Iulii Veneris ludis Genitricis circa 3 undecimam horam diei emersit. Multi variique sunt, dispares magnitudine, dissimiles colore: aliis rubor est sine ulla luce, aliis candor et purum liquidumque lumen, aliis flamma et haec non sincera nec tenuis, sed multum circa se volvens fumidi ardoris. cruenti quidam, minaces, qui omen post se futuri sanguinis ferunt: hi minuunt augentque lumen suum, quemadmodum alia sidera, quae clariora, cum descendere, sunt maioraque, quia ex loco propiore visuntur, minora, cum redeunt, et obscuriora, quia abducunt se longius.“

1 XVIII. Adversus hoc protinus respondetur non idem accidere in cometis, quod in ceteris. cometae enim quo primum die adparuerint, maximi sunt. atqui deberent crescere, quo propius accederent: nunc autem manet illis prima facies, donec incipiant exstingui. Deinde quod adversus priores, etiam adversus hunc dicitur: si erraret cometes essetque sidus, intra signiferi terminos moveretur, intra quos omne sidus cursus suos colligit.

2 Numquam adparet stella per stellam. acies nostra non potest per medium sidus exire, ut per illud editiora prospiciat: per cometen autem non aliter quam per nubem ulteriora cernuntur: ex quo adparet illum non esse sidus, sed levem ignem ac tumultuarium.

1 XIX. Zenon noster in illa sententia est: congruere iudicat stellas et radios inter se committere. hac societate luminis exsistere imaginem stellae longioris. Ergo quidam nullos esse cometas existimant, sed speciem illorum per repercussionem vicinorum siderum aut 2 per coniunctionem cohaerentium reddi. Quidam aiunt esse quidem, sed habere cursus suos et post certa lustra in conspectum mortalium exire. Quidam esse quidem,

sed non quibus siderum nomen inponas, quia dilabuntur nec diu durant et exigui temporis mora dissipantur.

XX. In hac sententia sunt plerique nostrorum nec id putant veritati repugnare. videmus enim in sublimi varia ignium concipi genera et modo coelum ardere, modo

*longos a tergo flammaram albescere tractus,*

modo faces cum igne vasto rapi. iam ipsa fulmina, etsi velocitate mira simul et praestringunt aciem et relinquunt, ignes sunt aëris triti et inpetu inter se maiore colisi. ideo ne resistunt quidem, sed expressi fluunt et protinus pereunt. Alii vero ignes diu manent nec ante discedunt quam consumptum est omne, quo pascebantur, alimentum: hoc loco sunt illa a Posidonio scripta miracula, columnae clipeique flagrantés aliaequé insigni novitate flammae, quae non everterent animos, si ex consuetudiné et lege decurrerent: ad haec stupent omnes, quae repentinum ignem ex alto efferunt, sive emicuit aliquid et fugit sive compresso aëre et in ardorem coacto loco miraculi stetit. Quid ergo? non aliquando lacuna 3 secedentis [retro] aetheris patuit et vastum in concavo lumen? exclamare posses: quid est hoc?

*medium video discedere coelum*

*palantesque polo stellas,*

quae aliquando non exspectata nocte fulserunt et per medium eruperunt diem. sed alia huius rei ratio est, quare alieno tempore adparent in aëre, quas esse, etiam cum latent, constat. Multos cometas non videmus, quod obscurantur radiis solis. quo deficiente quondam cometen adparuisse, quem sol vicinus texerat, Posidonius tradit. Saepe autem cum occidit sol, sparsi ignes non procul ab eo videntur. videlicet ipsa stella sole perfunditur et ideo adspici non potest: com[et]ae autem radios solis effugiunt.

XXI. Placet ergo nostris cometas sicut faces, sicut 1 tubas trabesque et alia ostenta coeli denso aëre creari. Ideo circa septemtrionem frequentissime adparent, quia

2 illic plurimum est aëris pigri. „Quare autem non stat  
 cometes, sed procedit?“ dicam: ignium modo alimentum  
 suum sequitur. quamvis enim ad superiora nisus sit, de-  
 ficiente tamen materia retro iens ipse descendit. in aëre  
 quoque non dextram laevamque premit partem. nulla  
 est enim illi via, sed qua vena pabuli sui duxit, illa repit  
 3 nec ut stella procedit, sed ut ignis pascitur. „Quare ergo  
 per longum tempus adparet et non cito exstinguitur?  
 sex enim mensibus hic, quem nos Neronis principatu lae-  
 tissimo vidimus, spectandum se praebuit in diversum illi  
 Claudio circumactus: ille enim a septemtrione in ver-  
 ticem surgens orientem petiit semper obscurior: hic ab  
 eadem parte coepit, sed in occidentem tendens ad meri-  
 4 diem flexit et ibi se subduxit oculis.“ Videlicet ille hu-  
 midiora habuit et aptiora ignibus, quae persecutus est:  
 huic cursus ulterior fuit et plenior regio. huc itaque de-  
 scendit invitante materia, non itinere, quod adparet duo-  
 bus, quos spectavimus, fuisse diversum, cum hic in  
 dextrum motus sit, ille in sinistrum. omnibus autem stel-  
 lis in eandem partem cursus est, id est contrarius mundo:  
 hic enim ab ortu volvitur in occasum, illae ab occasu in  
 ortum eunt et ob hoc duplex his motus est, ille, quo eunt,  
 et hic, quo auferuntur.

1 XXII. Ego nostris non adsentior: non enim  
 existimo cometen subitaneum ignem, sed inter aeterna  
 opera naturae. Primum quaecumque aer creat, brevia  
 sunt. nascuntur enim in re fugaci et mutabili. quomodo  
 potest aliquid in aëre diu permanere idem, cum ipse aer  
 numquam idem diu maneat? fluit semper et brevis illi  
 quies est. intra exiguum momentum in alium quam fuerat  
 statum vertitur: nunc pluvius, nunc serenus, nunc inter  
 utrumque varius. nubes, quae illi familiarissimae sunt,  
 in quas coit et ex quibus solvitur, modo congregantur,  
 modo digeruntur, numquam inmotae iacent. Fieri non  
 potest, ut ignis certus in corpore vago sedeat et tam per-  
 tinaciter haereat quam quae natura, ne umquam excute-  
 2 rentur, aptavit. Deinde si alimento suo haereret, semper  
 descenderet. eo enim crassior est aer, quo terris propior.

numquam cometes in imum usque dimittitur neque adpropinquat solo.

XXIII. Etiamnunc ignis aut it, quo illum natura sua 1 ducit, id est sursum, aut eo, quo trahit materia, cui adhaesit et quam depascitur: nullis ignibus ordinariis et coelestibus iter flexum est. sideris proprium est ducere orbem: atqui hoc an cometae fecerunt alii, nescio: duo nostra aetate fecerunt. Deinde omne, quod causa tem- 2 poralis accendit, cito intercidit: sic faces ardent, dum transeunt. sic fulmina in unum valent ictum. sic quae transversae dicuntur stellae et cadentes, praetervolant et secant aëra: nullis ignibus nisi in suo mora est, illis dico divinis, quos habet mundus aeternos, quia partes eius sunt et opera. hi autem aliquid agunt et vadunt et tenorem suum servant paresque sunt. non alternis diebus maiores minoresve fierent, si ignis esset collecticius et ex aliqua causa repentinus? minor enim esset ac maior, prout plenius aleretur aut malignius. Dicebam modo 3 [modo] nihil diuturnum esse, quod exarsit aëris vitio. nunc amplius adicio: morari ac stare nullo modo potest. nam et fax et fulmen et stella transcurrens et quisquis alius est ignis ex aëre expressus, in fuga est neque adparet, nisi dum cadit: cometes habet suam sedem et ideo non cito expellitur, sed emetitur spatium suum. nec extinguitur, sed excedit.

XXIV. „Si erratica, inquit, stella esset, in signifero 1 esset.“ Quis unum stellis limitem ponit? quis in angustum divina compellit? nempe haec ipsa sidera, quae sola moveri creditis, alios et alios circulos habent: quare ergo non aliqua sint, quae in proprium iter et ab istis remotum secesserint? quid est, quare in aliqua parte coeli pervium non sit? Quod si iudicas non posse ullam stel- 2 lam, nisi signiferum adtingit, vadere: cometes potest sic latum habere circulum, ut in hunc tamen parte aliqua sui incidat. quod fieri non est necessarium, sed potest. vide ne hoc magis deceat magnitudinem mundi, ut in multa itinera divisus sit nec hanc unam deterat semitam, ceteris partibus torpeat. Credis autem in hoc maximo et 3

pulcherrimo corpore inter innumerabiles stellas, quae noctem decore vario distinguunt, quae aëra minime vacuum et inertem esse patiuntur, quinque solas esse, quibus exercere se liceat, ceteras stare, fixum et immobilem populum?

- 1 XXV. Si quis hoc loco me interrogaverit: quare ergo non, quemadmodum quinque stellarum, ita harum observatus est cursus? huic ego respondebo: multa sunt, quae esse concedimus: qualia  
2 sunt, ignoramus. Habere nos animum, cuius imperio impellimur et revocamur, omnes fatebuntur: quid tamen sit animus ille rector dominusque nostri, non magis tibi quisquam expediet, quam ubi sit: alius illum dicet spiritum esse, alius concentum quemdam, alius vim divinam et dei partem, alius tenuissimum aerem, alius incorporealem potentiam. non deerit, qui sanguinem dicat, qui calorem: adeo animo non potest liquere de ceteris rebus,  
3 ut adhuc ipse se quaerat. Quid ergo miramur cometas, tam rarum mundi spectaculum, nondum teneri legibus certis nec initia illorum finesque notescere, quorum ex ingentibus intervallis recursus est? Nondum sunt anni mille quingenti, ex quo Graecia

*stellis numeros et nomina fecit.*

- multae hodieque sunt gentes, quae tantum facie noverunt coelum, quae nondum sciunt, cur luna deficiat, quare obumbretur. haec apud nos quoque nuper ratio ad certum perduxit. Veniet tempus, quo ista, quae  
4 nunc latent, in lucem dies extrahat et longioris aevi diligentia. ad inquisitionem tantorum aetas una non sufficit, ut tota coelo vacet. quid, quod tam paucos annos inter studia ac vitia non aequa portione dividimus? itaque per successiones ista longas explicabuntur.  
5 Veniet tempus, quo posteri nostri tam aperta nos nescisse mirentur. Harum quinque stellarum, quae se ingerunt nobis, quae alio atque alio occurrentes loco curiosos nos esse cogunt, qui matutini vespertinique ortus sint, quae stationes, quando in rectum ferantur, quare agantur retro, modo coepimus scire. Utrum mergeretur

Iupiter, an occideret, an retrogradus esset — nam hoc illi nomen inposuere cedenti — ante paucos annos didicimus. Inveniuntur, qui nobis dicerent: „erratis, quod ullam stellam aut suppressere cursum iudicatis aut vertere. non licet stare coelestibus nec averti: prodeunt omnia, ut semel missa sunt, vadunt. idem erit illis cursus, qui sui finis. opus hoc aeternum inrevocabiles habet motus: qui si quando constiterint, alia ex aliis incident, quae nunc tenor et aequalitas servat.“ Quid est ergo, cur aliqua resistere videantur? solis occursus speciem illis tarditatis inponit et natura viarum circularumque sic positorum, ut certo tempore intuentes fallant: sic naves, quamvis plenis velis eant, videntur tamen stare. Erit qui demonstret aliquando, in quibus cometae partibus currant, cum tam seducti a ceteris errent, [et] quanti qualesque sint. Contenti simus inventis: aliquid veritati et posteris conferant.

XXVI. „Per stellas, inquit, ulteriora non cernimus, 1  
per cometas aciem transmittimus.“ Primum si fit illud, non in ea parte fit, qua sidus ipsum est spissi ignis ac solidi, sed qua rarus splendor excurrit et in crines dispergitur, per intervalla ignium, non per ipsos vides. „Stellae, inquit, omnes rotundae sunt, cometae porrecti: 2  
ex quo adparet stellas non esse.“ Quis enim concedit tibi cometas longos esse? quorum natura quidem, ut ceterorum siderum, globus est, ceterum fulgor extenditur. Quemadmodum sol radios suos longe lateque dimittit, ceterum ipsi alia est forma, alia ei, quod ex ipso fluit, lumini: sic cometarum corpus ipsum conrotundatur, splendor autem longior quam ceterorum siderum adparet.

XXVII. „Quare?“ inquis. Dic tu mihi prius, quare 1  
luna dissimillimum soli lumen accipiat, cum accipiat a sole. quare modo rubeat, modo palleat. quare lividus illi et ater color sit, cum conspectu solis excluditur. Dic 2  
mihi, quare omnes stellae inter se dissimilem habeant aliquatenus faciem, diversissimam soli. quomodo nihil prohibet ista sidera esse, quamvis similia non sint, sic nihil prohibet cometas aeternos esse et sortis eiusdem,

cuius cetera, etiamsi faciem illis non habent similem.  
 3 Quid porro? mundus ipse, si consideres illum, nonne ex diversis conpositus est? quid est, quare in leone sol semper ardeat et terras aestibus torreat, in aquario adstringat hiemem, flumina gelu claudat? et hoc tamen et illud sidus eiusdem condicionis est, cum effectu et natura dissimile sit. Intra brevissimum tempus aries extollitur, libra tardissime emergit: et hoc tamen sidus et illud eiusdem naturae sunt, cum illud exiguo tempore ad  
 4 scendat, illud diu proferatur. Non vides, quam contraria inter se elementa sint? gravia et levia sunt, frigida et calida, humida et sicca. tota haec mundi concordia ex discordibus constat: negas cometen stellam esse, quia forma eius non respondeat ad exemplar nec sit ceteris similis? *quid* enim? simillima est illa, quae tricesimo anno revertitur ad locum suum, huic, quae intra annum  
 5 revisit sedem suam? Non ad unam natura formam opus suum praestat, sed ipsa varietate se iactat: alia maiora, alia velociora aliis fecit, alia validiora, alia temperatiora. quaedam eduxit a turba, ut singula et conspicua procederent, quaedam in gregem misit. Ignorat naturae potentiam, qui illi non putat aliquando licere, nisi quod  
 6 saepius fecit. Cometas non frequenter ostendit, adtribuit illis alium locum, alia tempora, dissimiles ceteris motus: voluit et his magnitudinem operis sui colere, quorum formosior facies est, quam ut fortuitam putes, sive amplitudinem eorum consideres sive fulgorem, qui maior est ardentiorque quam ceteris. facies vero habet insigne quiddam et singulare, non in angustum coniecta et artata, sed dimissa liberius et multarum stellarum amplexa regionem.

1 XXVIII. Aristoteles ait cometas significare tempestatem et ventorum intemperantiam atque imbrium. Quid ergo? non iudicas sidus esse, quod futura denuntiat? non enim sic hoc tempestatis signum est, quomodo futurae pluviae

*scintillare oleum et putres concrescere fungos.*

aut quomodo indicium est saevituri maris, si marinae



*in sicco ludunt fulicae notasque paludes  
deserit atque altam supra volat ardea nubem,*

sed sic, quomodo aequinoctium in calorem frigusque fle-  
ctentis anni, quomodo illa, quae Chaldaei canunt, quid  
stella nascentibus triste laetumve constituat. Hoc ut scias 2  
ita esse, non statim cometes ortus ventos et pluvias mi-  
natur, ut Aristoteles ait, sed annum totum suspectum facit.  
ex quo adparet illum non ex proximo quae in proximum  
daret signa traxisse, sed habere reposita et compressa le-  
gibus mundi. Fecit hic cometes, qui Paterculo et Vopisco  
consulibus adparuit, quae ab Aristotele Theophrastoque 3  
sunt praedicta. fuerunt enim maximae et continuae tem-  
pestates ubique: at in Achaia Macedoniaque urbes ter-  
rarum motu prorutae sunt.

XXIX. „Tarditas, inquit, illorum argumentum est 1  
graviore esse multumque in se habere terreni, ipse prae-  
terea cursus: fere enim compelluntur in cardines.“ Utrum-  
que falsum est. De priore dicam prius. Quid? quae tar-  
dius feruntur, gravia sunt? quid ergo? stella Saturni,  
quae ex omnibus iter suum lentissime efficit, gravis est?  
atqui levitatis argumentum habet, quod supra ceteras  
est. „Sed maiore, inquis, ambitu circuit nec tardius it 2  
quam ceterae, sed longius.“ Succurrat tibi idem de  
cometis me posse dicere, etiamsi segnior illis cursus sit.  
sed mendacium est ire eos tardius. nam intra sextum  
mensem dimidiam coeli partem transiit hic proximus,  
prior intra pauciores menses recepit se. „Sed quia gra- 3  
ves sunt, inferius deferuntur.“ Primum non defertur  
quod circumfertur. Deinde hic proximus a septemtrione  
motus sui initium fecit et per occidentem in meridiana  
pervenit erigensque cursum suum oblituit. alter ille Clau-  
dianus a septemtrione primum visus non desiit in rectum  
adsidue celsior ferri, donec excessit. Haec sunt,  
quae aut alios movere ad cometas pertinen-  
tia aut me. quae an vera sint, di sciunt, quibus est  
scientia veri: nobis rimari illa et coniectura ire in occulta  
tantum licet nec cum fiducia inveniendi neque sine spe.

XXX. Egregie Aristoteles ait numquam nos verecun- 1

diorese esse debere, quam cum de dis agitur. Si intramus templa compositi, si ad sacrificium accessuri voltum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiae fingimur: quanto hoc magis facere debemus, cum de sideribus, de eorum natura, de stellis disputamus, ne quid temere, ne quid imprudenter aut ignorantes 2 adfirmemus aut scientes mentiamur? Nec miremur tam tarde erui, quae tam alte iacent. Panaetio et his, qui videri volunt cometen non esse ordinarium sidus sed falsam sideris faciem, diligenter tractandum est, an aequae omnis pars anni edendis cometis satis apta sit, an omnis coeli regio idonea, in qua creentur, an quacumque ire, ibi etiam concipi possint, et cetera, quae universa tolluntur, cum dico illos non fortuitos esse ignes, sed intextos mundo, quos non frequenter educit, sed in 3 occulto movet. Quam multa praeter hos per secretum eunt numquam humanis oculis orientia? neque enim omnia deus homini fecit. Quota pars operis tanti nobis committitur? ipse qui ista tractat, qui condidit, qui totum hoc fundavit deditque circa se, maior pars sui operis ac melior, effugit oculos, cogitatione visendus est. Multa praeterea cognata numini summo et vicinam sortita potentiam obscura sunt. aut fortasse, quod magis mireris, oculos nostros et implent et effugiunt, sive illis tanta subtilitas est, quantam consequi acies humana non possit, sive in sanctiore secessu maiestas tanta delituit et regnum suum, id est se regit nec ulli aditum dat nisi animo. Quid sit hoc, sine quo nihil est, scire non possumus: et miramur, si quos igniculos parum novimus, cum maxima 5 pars mundi deus lateat? Quam multa animalia hoc primum cognovimus seculo! quam multa negotia ne hoc quidem! Multa venientis aevi populus ignota nobis sciet. multa seculis tunc futuris, cum memoria nostri exoleverit, reservantur. Pusilla res mundus est, nisi in illo, quod 6 quaerat, omnis mundus habeat. Non semel quaedam sacra traduntur. Eleusin servat, quod ostendat revisentibus: rerum natura sacra sua non semel tradit. iniñiatos nos credimus: in vestibulo eius haeremus. illa arcana

non promiscue nec omnibus patent: reducta et interiore sacrario clausa sunt. ex quibus aliud haec aetas, aliud quae post nos subibit, dispiciet.

XXXI. Quando ergo ista in notitiam nostram perducentur? Tarde magna proveniunt, utique si labor cessat. Id quod unum toto agimus animo, nondum perfecimus, ut pessimi essemus. adhuc in processu vitia sunt: invenit luxuria aliquid novi, in quod insaniat. invenit impudicitia novam contumeliam sibi. invenit deliciarum dissolutio et tabes aliquid tenerius molliusque, quo pereat. Nondum satis robur omne proiecimus: adhuc quicquid est boni moris, extinguimus laevitate et politura corporum. muliebres munditias antecessimus. colores metretricos matronis quidem non induendos viri sumimus. tenero et molli incessu suspendimus gradum: non ambulamus, sed incedimus. exornamus anulis digitos, in omni articulo gemmam disponimus. cotidie comminiscimur, per quae virilitati fiat iniuria, ut traducatur, quia non potest exui: alius genitalia excidit, alius in obscenam partem ludi fugit et locatus ad mortem infamem armatur. egenus etiam in quo morbum suum exerceat, legit.

XXXII. Miraris, si nondum sapientia omne opus suum inplevit? nondum tota se nequitia protulit. adhuc nascitur et huic omnes operam damus: huic oculi nostri, huic manus serviunt: ad sapientiam quis accedit? quis dignam iudicat, nisi quam in transitu noverit? quis philosophiam aut ullum liberale respicit studium, nisi cum ludi intercalantur, cum aliquis pluvius intervenit dies, quem perdere libet? Itaque tot familiae philosophorum sine successore deficiunt: Academici et veteres et minores nullum antistitem reliquerunt. quis est qui tradat praecepta Pyrrhonis? Pythagorica illa invidiosa turbae schola praeceptorem non invenit. Sextiorum nova et Romani roboris secta inter initia sua, cum magno inpetu coepisset, exstincta est. At quanta laboratur, ne cuius pantomimi nomen intercيدات? stat per successores Pyladis et Bathylli domus. harum artium multi discipuli sunt multique doctores: privatum urbe

tota sonat pulpitum. in hoc viri, in hoc feminae tripudiant. mares inter se uxoresque contendunt, uter det latus illis. deinde sub persona cum diu trita frons est, 4 transitur ad galeam: philosophiae nulla cura est. Itaque adeo nihil ex his invenitur, quae parum investigata antiqui reliquerunt, ut multa, quae inventa erant, oblitterentur: at mehercules si hoc totis membris premeremus, si in hoc iuventus sobria incumberet, hoc maiores docerent, hoc minores addicerent: vix ad fundum veniretur, in quo veritas posita est, quam nunc in summa terra et levi manu quaerimus.

---

Bei **B. G. Teubner** in Leipzig ist erschienen und in allen Buchhandlungen zu haben:

# **Handbuch der Religion und Mythologie der Griechen.**

Nebst einem Anhang über die Römische Religion.

Für Gymnasien bearbeitet

von

**Heinrich Wilhelm Stoll,**

Lehrer am Gymnasium zu Wiesbaden.

Mit 12 Tafeln Abbildungen.

8. geh. Preis 1 Thlr.

Es fehlte bisher an einem Buche, welches, auf dem heutigen Standpunkte der Wissenschaft stehend, die griechische Religion und Mythologie speciell für die Bedürfnisse der Gelehrtenschule darzustellen versucht hätte, indem die vorhandenen mythologischen Lehrbücher entweder noch ganz in der alten Zeit fussen oder, wie die Handbücher von *Hefster* und *Schwenck*, über den Kreis der Schule weit hinausgehen. Die vorliegende Schrift ist mit besonderer Rücksicht auf die Oberclassen der Gymnasien abgefasst. In möglichster Kürze sucht der Verfasser eine Darstellung der griechischen Mythologie und Religion auf der Stufe der Entwicklung zu geben, auf welche sie durch Homer und Hesiod gehoben worden ist und auf der sie während der Blüthezeit des hellenischen Lebens stand. Doch ist bei den einzelnen Gottheiten auch auf die weniger entwickelten Vorstellungen einer frühern Zeit oder localer Culte, sowie auf die

Ausartungen späterer Zeit hingewiesen und durch einen kurzen einleitenden Theil der Entwicklungsgang der griechischen Religion selbst in allgemeinen Umrissen geschildert worden. Um den Zwecken des Gymnasiums völlig zu genügen, ist ein Anhang über die römische Religion zugefügt, und bei den einzelnen griechischen Göttern am Schlusse jedes Artikels über das Verhältniss der bezüglichen römischen Gottheiten das Nöthigste gesagt.

Die beigegebenen Kupfertafeln enthalten Abbildungen von Antiquen nach *O. Müller's* und *Oesterley's* Denkmälern der alten Kunst.


Alle bis jetzt erschienenen Beurtheilungen sprechen sich einstimmig dahin aus, dass der Verfasser seinen Zweck vollkommen erreicht und einem allgemein gefühlten Bedürfnisse durchaus genügend abgeholfen habe.

---











PA  
6661  
A2  
1852  
v.1-2

Seneca, Lucius Annaeus  
Opera quae supersunt

PLEASE DO NOT REMOVE  
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

---

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

---

UTL AT DOWNSVIEW



D RANGE BAY SHLF POS ITEM C  
39 15 17 08 07 005 3